
SIGILLVM ACADEMIÆ HARVARDIANÆ IN NOV: ANG:
CHRISTO ET ECCLESIÆ

SCHOLIA

IN

SUETONII VITAS CAESARUM.

SCHOLIA

IN

SUETONII VITAS CAESARUM.

DAV. RUHNKENII

SCHOLIA IN

SUETONII VITAS CAESARUM.

EDIDIT

JACOBUS GEEL.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud S. ET I. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
1828.

PRAEFATIO EDITORIS.

Debetur editio horum Scholiorum admonitioni Heinrichii, viri celeberrimi. Nam duo sunt anni quum ex itinere Bonnam deverterem, ibique comiter exceptus ab omnibus, in huius quoque venirem notitiam. Is aliquando me in museolum suum duxerat, ut sermonem haberemus de communibus literis: monstrabat multas schedarum sarcinulas, unam alteramque aperibat: ego mirabar paratos acutissimi viri commentarios, nihil horum ad communem utilitatem emitti tacitus dolebam. Tum Bibliothecam eius lustrabamus, nitidam, lectissimis libris. Ibi Heinrichius prae caeteris indicare, qui in mea patria essent olim vulgati: hos promere, evolvere, et sic agere, non ut mihi tantum placere velle, sed delectari ipse videretur. Quo quum pervenissemus, in memoriam redibat Ruhnkenii, de ineditis huius commentariis sciscitabatur, quos in Bibliotheca Leidensi servari ferretur. Ego affirma-

mabam existere, ad laboris admirationem multa, ad editionem fere nihil: quae enim descripsisset ille e Grammaticis Parisinis, edita esse a Bekkero: scholia graeca in Apollonium Rhodium a Schaefero (*), alia ab aliis; caetera commentariolis contineri in privatum discipulorum usum compositis. Tum Heinrichius lectiones Gronovii Plautinas obiiciens, Terentianas Ruhnkenii, has quidem fastidire dicebat nonnullos, sed longe plurimos amplecti, qui minus reconditas disputationes non spernerent, modo magnos viros haberent auctores; simul arripiebat Suetonium Wolfianum: inspiciebamus praefationem; legebamus haec: » Oblitus sum adhuc dicere de observationibus, in quibus auctoritas Dav. Ruhnkenii laudatur: quod nomen, in his literis maximum, facile cuipiam ampliorem, quam res praestet, exspectationem moveat. Indicandum est igitur, usurpasse me Excerpta quaedam ex illius ad Suetonium lectionibus, quae mecum communicavit ornatissimus iuvenis Batavus,

qui

(*) Descripsit enim ipse Ruhnkenius nitidissime haec scholia e Cod. Paris. 2727: e quo apographo alterum, ut coniicio, fieri curavit, Heynio mittendum. Haec monui Schaeferi causa, quem vide in Praef. ad Schol. Apoll. Rh. T. II, p. v et xii.

qui antequam in hanc Universitatem studiorum caussa venisset, Ruhnkenio seni latinos et graecos scriptores enarranti operam dederat. Valde me delectarunt ea hypomnemata, quae ad quatuor priores Caesares pertinebant, quatenus mihi eximium virum e cathedra docentem ante oculos ponere videbantur; neque ceteros celare volui qualemcumque fructum huius lectionis. Dixi qualemcunque: nam ex omnibus paginis apparebat, illum auditorum viribus indulsisse, suis pepercisse; adeo ut nihil nisi grammaticam interpretationem spectarit, et in depravatis locis plerumque doctiores Editores adeundos praeceperit: nec tamen indicia deerant Viri, qui etiam trita et vulgaria cum subtili doctrina et elegantia tractare sciret."

De grammatica interpretatione fefellerunt Wolfium excerpta. His autem lectis, Heinrichius; quin, inquit, illa quantocyus edis: Wolfius enim excerpta habebat, vos integrum commentarium possidetis. Quid quaeris, benevole lector; discessi confirmatus: vicerat enim religionem tanti viri auctoritas. Reducem in patriam multa negotia me si-

sibi vindicarunt, rediit deinde sensim vetus illa dubitatio, ex dubitatione cunctatio; denique, ut fit, oblivio: et iacerent etiamnum in scriniis Scholia Ruhnkeniana, nisi me excitassent literae humanissimae Friedemanni, viri clarissimi, scriptum exemplum horum scholiorum mittentis, satis quidem accuratum, sed prius quam typis traderetur, cum autographo conferendum. Meditabatur enim Friedemannus editionem, mihique collationis curam mandabat. Rescripsi in aliis me praesto futurum, hanc certe editionem a me prope requiri; quam si relinquerem, iam non specie cuiusdam prudentiae me tegerem, sed contraherem culpam desidiae.

Haec igitur, si veterani facile carebunt, legant tirones et accurate meditentur: quomodocumque enim se iactet nostrum tempus, non meliores sunt quam ii fuerunt, quos Ruhnkenius docebat.

Scripsi Lugduni Batavorum d. 7 Julii 1828.

SCHO-

SCHOLIA

IN

SUETONIUM.

CAESAR.

1. *Divus.* Antiquitus *Deus*, *Dius*, et *Divus* promiscue de numine dicebatur. Sed ex hoc tempore Caesares, qui post mortem sollemni consecratione in Deorum numerum relati erant, propria ratione *Divi* appellari coeperunt. Quo honore cum omnium primus Julius Caesar affectus esset, per eminentiam *Divus* dictus est, ut a Virgilio Aen. VI. 793. *Augustus Caesar, Divi genus.* ubi v. N. Heins. Christianis etiam Imperatoribus usque ad Valentinianum II. quamquam alio sensu, hic titulus datus est in publicis monumentis. v. Spanhem. de U. et P. N. Diss. XI. p. 328.

Annum agens sextum decimum. Haec locutio capi potest vel de eo, qui nondum implevit annum aetatis sextum decimum, sed in eo est, ut impleat, vel de eo, qui iam implevit, incepitque annum sequentem. Unde discriminis caussa *annum plenum nonum decimum agens* dicit Ic. in L. 74. D. ad SC. Trebell. *Gerere annum*, quod rarius est, dixit Sueton. Vesp. 24. ubi videte, quae dicemus.

Sequentibus Coss., i. e. sequenti anno. Ex his verbis apparet, Suetonium alios consules ante com-

mu-

memorasse. Nimirum perierunt, quae de gente Iulia, de familia Caesarea, et Caesaris pueritia more suo praemiserat. v. Intt. ad. h. l.

Flamen ex *filamen* contractum videtur. Varro de L. L. IV. p. 22. ex emendatione Jos. Scaligeri: *Flamines dicti, quod licio in apice velati erant semper, ac caput velatum habebant filo.* v. Fest. in h. v. et Gronov. ad Liv. I. 32.

Dialis formatur a genitivo Διός antiqui nominis Δὶς, quod Iovem significat. v. Fest. v. Dium. Flamines non nisi unius certi Dei sacra curabant, divisi in *Flamines maiores* et *minores*. *Maiorum*, qui ex patriciis capiebantur, non nisi tres erant, *flamen Dialis*, qui Iovis, *flamen Martialis*, qui Martis, *flamen Quirinalis*, qui Quirini sive Romuli sacra curabat. v. Dionys. Hal. II. p. 124. Liv. I. 21. et Gell. X. 15.

Destinare proprie est alligare, vinciendo firmare, ut *funibus antennas ad malos destinare*, apud Caesar. de B. G. III. 14. Hinc transfertur ad omne firmum propositum et consilium, notatque adeo certo definire, designare sive rem sive personam. v. Gronov. Observ. II. 8. *Destinatus* igitur *flamen* est *designatus*, ut Cicero et Livius loqui solent. Et sic in Domit. 10. *quod eum destinatum non consulem, sed imperatorem pronuntiasset.* Aliis tamen locis *destinare* minus est, quam *designare*: de quo discrimine v. Swarz. ad Plin. Paneg. 77.

Praetextato, i. e. puero, ut in Aug. 44. Claud. 35. Omnes ingenui pueri *praetextam*, i. e. vestem albam, cui purpureus limbus praetextus erat, usque ad annum 15 gestabant. Cicer. Verr. I. 44. Liv. XXXIV. 7. Stat. Sylv. V. Carm. 2. 66. Hac quamdiu induti erant, *pueri praetextati* dicebantur. Praetexta posi-

sita, accipiebant *togam virilem*, sic dictam, quod viri omnes eam gestabant. Virilis autem toga erat alba, nullo colore tincta, neque limbo purpureo praetexta: unde *pura toga* dicitur a Catullo LXVII. 15. et Cic. ad Att. IX. 19.

Ut repudiaret. Intelligendum pronomen *illam*, cuius frequentissima ellipsis est. v. Casaub. ad h. l. Caesar de B. G. I. 28. *Quorum per fines ierant, his uti conquirerent et reducerent, imperavit.* Liv. IV. 3. *civis si sit ex plebe, praecisa consulatus spes erit.* ubi v. Drakenb.

Gentilitiis hereditatibus. *Gens* quae sit, alio loco dicemus. Ad hujus loci intelligentiam hoc tenere satis est. Lex XII Tabularum ad intestatorum hereditates primum vocabat heredes suos vel necessarios, i. e. filios et nepotes; deinde, suis heredibus deficientibus, agnatos, i. e. qui per virilis sexus personas cognatione coniuncti sunt: denique, his deficientibus, gentiles, i. e. qui ex eadem gente sunt, quamvis sanguine remotissimi. v. Ulpian. Fragm. XXVI. §. 1. 2. et ibi Intt. Talis *hereditas gentilitia* dicitur. Gentilium ius postea cessasse, docent Ulpian. l. c. et Caius in Collat. LL. Mos. et Rom. Tit. XVI. §. 2.

Diversarum partium, i. e. contrariarum Sullanis. Sulla optimatium partibus favebat: Marius, factioni populari. *Diversus* est adversus. Liv. XXXIV. 4. *diversis vitiis, avaritia et luxuria civitatem laborare.* Seneca de Ira II. 23. *aut in diversis, aut in neutris fuisse partibus.* ubi v. Gronov.

Discedere e medio, i. e. subducere se ex oculis hominum, abdere se in locum secretum. Terent. Hec. IV. 3. 14. *e medio aequum excedere est.* Sueton. Tib. 10. *statuit, secedere, seque e medio quam*

longissime amovere. v. Petron. 58. et ibi Intt. Contra qui in conspectu aut in promptu sunt, *in medio esse* dicuntur. Terent. Adelph. III. 4. 32. *mater virginis in medio est.* Cic. Verr. II. 42. *tabulae in medio sunt.*

Aggravante pro aggravato, ut in Aug. 98. *aggravata valetudine.* Saepe activa verba significatione passiva dicuntur, tanquam *praecipitare*, *inclinare*, *mutare*, *vertere.* v. Serv. ad Aen. I. 104. Heins. ad Ovid. Ep. III. 89. et Drakenb. ad Liv. I. 17. Ipse Sueton. inf. 76. *Praegravant tamen cetera facta*, pro praegravescunt.

Inquisitoribus, i. e. militibus, quos Sulla miserat ad investigandos, qui Marianarum partium erant.

Virgines vestales saepe adhibebantur ad deprecandum. v. Cic. pro Font. 17. Sic et sacerdotes missos esse ad Coriolani animum flectendum, narrat Liv. II. 39.

Satis constat. Sic Latini dicunt de re omnibus nota. Liv. XXXVI. 35. *quos non sincera fide in amicitia fuisse satis constabat.* ubi v. Gronov. Voci *satis* intendendi et augendi vim inesse, docet Broukhus. ad Tibull. I. 7. 35.

Ornatissimi viri. Epitheton *ornatissimus* saepe tribuitur iis, qui praediti sunt rebus, quae ornamentum aliquod, i. e. decus et gloriam pariunt. Sed peculiariter *ornati* et *ornatissimi viri* dicuntur, qui summis honoribus perfuncti sunt. Nostrae aetatis consuetudo male *ornatissimos* et *honoratissimos* vocat, quos indicare vult a se magni fieri: v. Duker. ad Flor. I. 7. p. 65. et Ernest. ad h. l.

Expugnari dicuntur, qui assiduis precibus exorantur, placantur. Tiber. 21. *expugnatum precibus uxoris adoptionem non abnuisse.* v. Casaub. ad h. l.

Di-

Divinitus est per divinationem, cum instinctu afflatuque divino sic futura praedicas, ut nescias, unde scias. Quod qui faciunt, *divini* dicuntur. v. Cic. ad Att. X. 4. et ibi Graev. *Conjectura* est, cum ex caussis ante cognitis, quid futurum sit, praedicas. Cic. de Div. II. 11. *artificiosum divinandi genus constat partim ex conjectura, partim ex observatione diuturna.* v. Casaub. et Ernest. ad h. l.

Vincerent. Est formula aliquid concedentis per iram. Terent. Andr. v. 3. 21. *viceris.* ubi v. Donat. Caesar de B. G. V. 50. *vincite, si ita vultis.* v. Casaub. ad h. l.

Sibi haberent, i. e. salvum et incolumen suis precibus haberent. Hac quoque formula utuntur, qui quid irato animo concedunt. Terent. Andr. IV. 1. 25. *habeas.* ubi v. Donat. Ib. V. 5. 18. *Imo habeat: valeat: vivat cum illa.*

Tanto opere. Pro *tantopere, quantopere, magnopere* saepe divisim scribitur, *tanto opere, quanto opere, magno opere.* v. Graev. ad h. l.

Optimates sunt, qui optimas partes, i. e. senatus in republica sequuntur: quos Cicero saepe etiam *bonos* appellat. Optimatibus opponuntur populares, qui plebis partes sequuntur. Hae factiones, de quibus classicus locus est Ciceronis pro Sextio 45. omnes prope seditiones, quibus respublica laboravit, excitarunt, ac demum ipsam rempublicam in perpetuum perdiderunt. v. Sigon. de ant. iure Civ. Rom. II. 21.

Caesari multos Marios inesse, i. e. ingenium Caesari aptum esse factioni populari, sed multo acrius, quam ipse Marius habuerit, ut bene explicat Casaub. *Marius* significat animum vel ingenium Marianum. Magna vero vis est in nominibus propriis

 sic

sic usurpatis. Ovid. Ep. VI. 151. *Medeae Medea forem.* Seneca Thyeste 242. *Animoque sume Tantalum.* ubi v. Gronov. Inf. 30. *tantis rebus gestis C. Caesar condemnatus essem.* E Graecis similia exempla dedit Cl. Valckenar. Diatr. in Eurip. XX. p. 211. Etiam appellativa nomina pari efficacia de animo, affectione, habitu dicuntur. Ovid. Met. XIII. 187. *Atque in rege tamen pater est.* Valer. Max. V. 8. 1. *exuit patrem, ut consulem ageret.* Plura habet Oudendorp. ad. h. l.

2. *Stipendia prima fecit*, i. e. primum militavit. Nepos Catone 1. *Primum stipendium meruit annorum decem septemque.* Apud Livium XXIX. 1. *plurimorum stipendiorum milites* sunt, qui multos annos militarunt. Legibus Romanis pedites viginti stipendia faciebant, equites decem. Quae cum fecissent, *emerita stipendia* dicebantur. v. Liv. III. 57. et Lips. de Mil. Rom. I. 2.

Contubernium proprie dicitur de militibus, qui in eodem tabernaculo sub eodem decano degunt, et inde *contubernales* vocantur. v. Veget. II. 13. Solebant vero nobiles adolescentes cum imperatoribus in provincias exire, et in cohorte praetoria, quae circa imperatorem est, militare, ut eius consiliis interessent, et rerum usu mature instruerentur. Illi *contubernales imperatorum* vocabantur, ut inf. 42. v. Cic. pro Coel. 30. Manut. ad Cic. ad Div. V. 20. et Sigon. de ant. iur. Prov. II. 2.

Arcessendam. Semper scribendum *arcessere*, ut antiquiores membranae habent, non *accersere*, ut recentiores. *Accerso* nec formam, nec analogiam latinam habet. *Arcesso* formatur ab *adcio* vel *accio*, ut *capesso* a *capio*, *facesso* a *facio*, *lacesso* a *lacio*. *Arcesso* igitur proprie significat, facio ut quis ve-

veniat, voco: unde etiam dicitur pro accuso, sive voco aliquem in ius ad praetorem. v. Gesner. in Thes. L. L. v. Accerso. Pro *arcessere* alia quoque forma dicitur *arcessire*. v. Nepot. Dion. 2. Att. 21. Caesar. de B. G. L. 31. et ibi Oudendorp.

Desedit, i. e. longam moram fecit, nihil agendo tempus consumsit. Plaut. Pseud. IV. 4. 7. *Quid tu intus desedisti tamdiu?* Terent. Hec. IV. 3. 2. *frustra ubi totum desedi diem*. v. Torrent. inf. ad cap. 4.

Prostratae, i. e. prostitutae. Hoc verbum saepe ad veneream turpitudinem refertur. Tib. 35. *matronas prostratae pudicitiae*. Cal. 24. *ut sorores saepe exoletis suis prostraverit*. Justin. XII. 7. *regina, propter prostratam pudicitiam, scortum regium appellata*. v. Oudend. ad Aug. 68.

Rursus repetita. *Rursus* poterat abesse. Nam *repeto* est rursus peto. Sed Latini millies per pleonasmum dicunt *rursus reverti*, *rursus revocare*, *rursus reducere*. v. Casaub. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. IX. 27.

Per caussam, i. e. usus praetextu, ut exponit Casaub. Ovid. Trist. II. 451. *Saepe, velut gemmam dominae signumve probaret, Per caussam meminit se tetigisse manum*. ubi v. Heins. Liv. II. 32. *per caussam renovati ab Aequis belli*: ubi plura exempla habet Drakenb. Hinc *caussari* dicitur pro praetextum afferre. Ovid. Met. IX. 766. *omina saepe visaque caussatur*.

Exigere proprie dicitur de creditoribus, qui debitam pecuniam a debitoribus repetunt. Cic. pro Muren. 20. *ut nostri homines desperatas iam pecunias exigerent*. Vespas. 11. *ne foeneratoribus exigendi crediti ius unquam esset*.

Libertus vel *libertinus* est, qui ex justa servi-

tute manumissus est. Antiquitas hoc nomen etiam libertinorum posteris, quamvis iam ingenuis, tribuit, teste Suetonio Claud. 24. cujus locus male intellectus magnos etiam viros, tanquam Casaubonum ad Aug. 23. induxit, ut existimarent, libertinos dictos esse libertorum filios: quos refellit Cl. Ernestus ad illum locum. *Liberti* iidem sunt, qui *libertini*. Sed *liberti* dicuntur relatione ad patronum, *libertini* relatione ad ordinem, tanquam oppositi ingenuis. Sic dicitur *meus libertus*, non *meus libertinus*; *homo libertinus*, non *homo libertus*. v. Donat. ad Terent. Andr. I. 1. 10. et Burm. ad Sueton. Aug. 72.

Militia, i. e. militiae tempore. Saepe apud Suetonium ablativi rerum absolute ponuntur, cum adiuncta significatione temporis, ut inf. 11.

Proscriptione pro tempore proscriptionis. Sic alibi *ludis*, *comitiis*, *censu*, *munere*, pro tempore ludorum, comitiorum, etc. v. Drakenb. ad Liv. II. 36.

Secundiore fama, i. e. feliciore. *Secundus* est a verbo *sequor*. Ita *secundus ventus* est, qui nos sequitur a tergo. Caesar de B. G. IV. 23. *et ventum et aestum uno tempore nactus secundum.* v. Gronov. ad Liv. XXIII. 41. Inde *secundus* dicitur pro felix, prosper. Claud. 7. *secunda existimatio.* Galb. 9. *secundissima auspicia.* Contrarium est *adversus*. v. Duker. ad Liv. XXV. 40.

Civica corona, ex fronde quercus vel ex ilice facta, dabatur ei, qui civem servasset, eodemque tempore hostem occidisset. v. Gell. V. 6. Servatus civis fateri debebat, se salutem suam servatori debere, eumque parentis loco colere. v. Cic. pro Planc. 30. Plin. H. N. XVI. 4. Haec corona cum summo in honore esset, Augustus et sequentes Imperatores ea po-

postes aedium suarum, tanquam civium servatores, ornarunt. v. Ovid. Met. I. 562. Trist. III. 1. 36. Suet. Tib. 26. et ibi Intt. Ea quoque occurrit in Imperatorum numis cum inscriptione, *ob cives servatos.*

3. *Meruit.* Intellige *stipendium*, vel *aera. Merere* saepe simpliciter dicitur pro militare. Cic. pro Rabir. 21. *quo tu imperatore meruisti?* Stat. Theb. IV. 237. *Non hi tibi solum, Amphiaraë, merent.* Plena locutione Ovid. Amor. I. 10. 20. *Non decet imbelles aera merere Deos.* v. Sanct. Min. IV. 4. p. 643.

Simul idem est, quod et. Liv. XXIII. 12. *tuendae simul pacis libertatisque.* ubi v. Intt. Pro *simul* inf. 67. est *simul et.* ubi v. Oudend.

Conditionibus, i. e. pactionibus, transactionibus. Cic. ad Div. VI. 2. *armis aut conditione positis, aut defatigatione abiectis.* Vell. Pat. II. 5. *discordiae civium, antea conditionibus sanari solitae.* ubi v. Heins. Curt. IV. 11. *opimum regnum occupari posse conditione, non bello.* v. Gronov. ad Liv. XXXIV. 23.

Occasioni. Veterrimi Codices habent *occasione*: quod non spernendum. Nam *fido, confido, diffido*, aliquando cum sexto casu iunguntur. Caesar de B. C. I. 12. *Diffisus municipii voluntate.* Exempla sunt apud Burm. et Oudendorp.

4. *Composita seditione*, i. e. sedata. *Bellum, controversiae, curae, fluctus* saepe *componi* dicuntur. v. Tib. 25. Cal. 1. et Duker. ad Flor. III. 23. p. 641. *seditio* proprie est dissensio civium, ut e Cicerone docet Serv. ad Aen. I. 149.

Repetundarum, scil. pecuniarum crimine. Si, qui provincias regebant, provincialibus contra ius et fas pecunias extorsissent, eae repetundarum iudi-

tus vero maxime dabatur adolescentibus nobilibus, et quasi gradus erat ad senatoriam dignitatem.

Per suffragia populi, i. e. in comitiis populi. Tribuni dicti sunt a numero ternario. Nam primo tres fuerunt, qui singulis tribubus, a Romulo institutis, praeessent, deinde sex, tum sexdecim, postremo viginti quatuor, ut seni essent in singulis legionibus. Creati modo sunt a populo, modo ab imperatoribus. v. Cic. ad Q. Fr. II. 15. Act. I. in Verr. 10. A populo creati, *comitiati* vocabantur: ab imperatoribus creati, *rufuli*, quod Rutilius Rufus de Imperatorum jure legem tulisset. v. Liv. VII, 5. Ascon. ad Cic. l. c. Fest. v. Rufuli. Deinde ius creandi tribunos saepe variatum est, ut ex pluribus Livii locis intelligitur. v. Manut. ad Cic. ad Div. V. 20. et Lips. de Mil. Rom. II. 9. Tribunatum militum in comitiis populi datum *magistratum* vocant Sallust. Iug. 63. et Liv. VII. 32. ubi v. Duker.

Nex plerumque dicitur de morte violenta, hic vero de naturali. Nam Lepidus morbo et animi aegritudine periit. Ovid. Trist. V. 1. 12. *deflere Caystrius ales Dicitur ore suam deficiente necem.* Iustin. XLII. 1. *Post necem Mithridatis, Parthorum regis.* v. Vavassor. de vi verb. Lat. p. 156. et Graev. ad h. l.

Rogatione, i. e. lege ad populum lata. Sic lex et plebiscitum dicebatur, quod qui legem ferret, populum sollemni formula rogabat: *velitis iubeatis*, *Quirites.* v. Festum v. Rogat, et Gell. X. 20. Cui populus olim voce, post per tabellas respondebat, *uti rogas*, vel contra *antiquo.* Ex hac rogandi ratione manarunt locutiones, *abrogare*, *arrogare*, *derogare*, *irrogare*, *obrogare*, *subrogare*, *praerogativa.* v. Ulpian. Fragm. I. 3.

Su-

Super ea re, i. e. de ea re. Inf. 20. *super tali consternatione*. v. Burm. ad Virgil. Aen. I. 29.

Concionem, i. e. orationem, qua legem Plotiam suasit. Ex hac Caesaris oratione locum affert Gell. XIII. 3.

6. *Laudare* simpliciter dicitur pro orationem funebrem habere. v. Claud. 1. et sic *laudatio* pro oratione funebri apud Liv. II. 61. ubi v. Drakenb. Athenienses publice laudabant, qui in bello periissent. v. Jo. Taylor. Lect. Lys. c. III. Quos imitatus Valerius Poplicola Iunium Brutum pro concione laudavit: ex quo illa consuetudo perpetuo Romae remansit. v. Plutarch. in Poplicol. p. 101. Initio hic honor solis viris illustrioribus habitus est, post etiam mulieribus, ut ex hoc loco patet. v. Liv. V. 10. Laudandi munere fungebatur proximus cognatus, ut h. l. Caesar, conscendens rostra, antequam cadaver porta efferretur. v. Polyb. VI. 51. Ipsae laudationes fere consumebantur in referendis maiorum ornamentis, generis antiquitate, triumphis, etc. Sed mos egregius brevi abiit in turpem adulationem, qua multa falsa narrabantur, quibus etiam historia mendosior fieret. v. Liv. VIII. 40. et ibi Duker. et maxime evilnit tum, cum etiam pueri rostra conscenderent, legentes orationem ab aliis scriptam. v. Cic. de Orat. II. 83. et Burm. ad Ovid. I. ex P. 8. 30.

Pro rostris, i. e. in rostris. Sic *pro tribunali*, *pro concione* dicitur pro in tribunali, in concione. v. Festum v. Pro, et Duker. ad Flor. IV. 2. p. 719.

Gentis familia. Ex hoc loco discrimen, quod est inter *gentem* et *familiam*, cognoscitur. *Gens* ad nomen, *familia* ad cognomen refertur. Illa tanquam totum continere videtur, haec quodammodo partem. e. g. Valerii omnes unius gentis esse dicuntur, quod

uno

uno nomine continentur omnes: at partes huius gentis sunt plures, quae ex cognominum varietate distinctae sunt, eaeque familiae dicuntur, ut Valerii Maximi, Valerii Messalae, Valerii Flacci, Valerii Laevini, Valerii Faltones. Sic Sueton. Ner. 1. *ex gente Domitia duae familiae claruerunt, Calvinorum et Aenobarborum.* v. Sigon. ad Liv. IV. 1. inprimisque libro singulari de Nominibus Romanorum. Saepe tamen *familia* pro gente dicitur, ut Liv. VI. 40. *Claudiam familiam* vocat, quam paullo ante *Claudiam gentem* dixerat. Et sic *Iunia familia* apud Nepot. Att. 18. v. Intt. ad Vell. Paterc. II. 55.

Sanctitas regibus tribuitur, quod sacrosancti et inviolabiles sunt. Sic Tacit. Ann. II. 65. *sacra regni* vocat sanctitatem regii nominis, ubi v. Cl. Ernest.

Caerimonia idem est quod *sanctitas.* Cic. pro Rosc. Amer. 39. *qui perfidia legationis ipsius caerimoniam polluerit, maculaque affecerit.* ubi v. Graev.

Adulterat vir, qui mulierem nuptam stuprat: mulier ipsa adulteratur. v. Torrent. ad h. l. Tamen aliquando mulier *adulterare* dicitur, ut apud Iustin. XLIII. 4. *mulier, quae adulterare cum Graeco adolescente solita.*

Inter publicas caerimonias, i. e. in publicis sacris, in cultu Bonae Deae, cuius sacra nobiles matronae, praeëuntibus Vestalibus, in domo ea, quae erat in imperio, celebrabant. Illud Clodianum crimen Cicero saepe exagitat in Orationibus.

Muliebri veste. MSS. quidam habent, *in muliebri veste:* quae lectio praeferenda. Nam usitatae locutiones sunt, *in veste, in toga, in tunica esse* pro veste, toga, tunica indutum esse. Tibull. I. 9. 70. *in laxa quid iuvat esse toga?* Ovid. Art.

Am.

Am. II. 297. *sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus; sive erit in Cois, Coa decere puta.* v. Duker. ad Flor. I. 2. p. 30. et Oudend. ad h. l.

7. *Obvenit.* Scil. sorte, quod saepe additur, ut a Cic. Verr. II. 6. *simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit.* Omnes enim provinciae coniiciebantur in sortem. v. Sigon. de ant. iure Provinc. II. 3. Proprie vero *obvenire* et *evenire* de provinciarum sortitione dicuntur. v. Drakenb. ad Liv. IX 31.

Mandatu. Ictorum est *mandatus* pro mandatum. Permultae voces sunt iu *um* desinentes, quae alteram quoque rariorem formam in *us* habeant, e. g. *consultum, consultus, iussum, iussus, promissum, promissus, erratum, erratus.* v. Intt. ad h. l. Dicit vero Suetonius *mandatu Praetoris*, quoniam Quaestor nullam jurisdictionem habebat, nisi quam ipsi Praetor mandasset. v. Sigon. de ant. iure Provinc. II. 5.

Iure dicundo dicitur per ellipsin praepositionis *in*, ut *duumvir sacris faciendis, decemviri litibus iudicandis*, etc. v. Gronov. de P. V. I. 6.

Conventus. Praesides provinciarum annum ita diviserant, ut aestivos menses rei militari darent, hiemem iurisdictioni. Iudicia vero non in omnibus urbibus exercebant, sed in nonnullis tantum ad eam rem electis, quo omnes, qui quid controversiae haberent, evocabantur. Quae urbes proprie dicebantur *conventus*, ut h. l. v. Cic. Verr. II. 20. item *fora.* v. Cic. ad Att. V. 17. unde magistratus illi propria locutione dicebantur *conventus agere.* v. Liv. XXXI. 29. item *forum agere.* v. Cic. ad Att. V. 21. Sigon. de ant. iure Provinc. II. 5. inprimis Gronov. Obs. III. 22.

Apud pro in ponitur; quo sensu frequentissime iun-

iungitur nominibus urbium et regionum. Aug. 92. *apud insulam Capreas.* ib. 93. *apud Hierosolymam.* v. Duker. ad Liv. Epit. CXI. Templum Herculis, ducta Gades colonia, Tyrii constituerunt. v. Melam, III. 6.

Orbem terrarum. Sic veteres saepe maxima imperia vocant. Iustin. XIII. 1. de Alexandri M. comitibus: *quis miretur, talibus ministris orbem terrarum victum?* Florus II. 18. 16. *orbis terrarum viribus fultus Populus Rom.* quod intelligendum de Orbe Romano.

Efflagitavit, i. e. cum contentione quadam postulavit. v. Gesner. in Comment. Societ. Götting. T. III. p. 245.

Captare occasiones est observare tempus opportunum. Vesp. 21. *eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnopere captabant.* Flor. III. 5. 5. *quasi captato tempore.* ubi v. Duker.

Confusum, i. e. perturbatum, attonitum. *Confundi* de omnibus animi motibus, ira, metu, tristitia, pudore, dicitur. Ovid. Ep. XIX. 193. *Confundor imagine noctis.* Liv. VI. 34. *confusam ex recenti morsu animi.* v. Drakenb. ad Sil. It. XI. 101. et Oudend. ad h. l.

Conjectores. Ita vocantur omnes vates, sed praecipue interpretes somniorum. v. Fest. h. v.

Arbitrium, i. e. summam potestatem. Calig. 14. *ius arbitriumque omnium rerum illi permissum est.*

8. *Decedere* dicuntur magistratus provinciales, cum provinciam relinquunt, eamque successoribus tradunt. v. Nepot. Att. 4. Cic. ad Div. III. 6. et Sigon. de ant. iur. Provinc. II. 9. Hinc *decessor* dicitur, cui e provincia abeunti, successor mittitur, aut quilibet, qui quem in munere antecessit. Barbari *praedecessorem* vocant.

Co-

Colonias Latinas. In Gallia Transpadana Latinae coloniae erant omnes, iure Latii lege Pompeia accepto. Quo non contentae, petebant ius civitatis Romanae optimo iure; ut ius suffragii et honorum Romae haberent. Hac tota de re Sigonius egregie libris de antiquo iure Italiae.

In Ciliciam. Praepositio *in* cum accusativo saepe notat finem, vel caussam, propter quam aliquid fit. Manil. I. 88. *Fecit et ignotis iter in commercia terris.* Sil. Ital. V. 499. *aeratam in bella bipennem.* Flor. II. 6. 3. *in caussam belli Saguntus delecta est.* ubi v. Duker.

Neque eo secius, i. e. nihilo minus. MSS. ubique fluctuant inter *nihilo secius*, et *nihilo segnius*, ut iudicio discernendum sit, utrum praeferri debeat: v. Heins. ad Ovid. Met. II. 809. et Intt. ad Caesar. de B. C. II. 7.

9. *Adorirentur*, i. e. ex insidiis repente invaderent. Significatio ducta ex eo, quod corpora aggredientium exsurgant subito atque increscant. Sic Donatus ad Terent. Andr. III. 1. 20.

Regnum et *regnare* de iis dicitur, quorum in libera republica nimia est potentia. Cic. pro Sull. 7. *se regnum meum ferre non posse.* Liv. XXXIII. 46. *Horum in tam impotenti regno praetor factus Annibal.* v. Flor. III. 13. 6. et ibi Duker. Sic *regium* dicunt, quicquid immodicum et intolerabile est. v. Sallust. Iug 64. Cic. ad Att. I. 16.

Destinatum diem non obiisse, i. e. ad diem constitutum non adfuisse. Cic. ad Div. X. 25. *annum petitionis suae non obierunt.* de Amicit. 2. *qui diligentissime semper illum diem et illud munus solitus esses obire.* v. Graev. ad h. l. Sic *vadimonium obire* dicitur pro se sistere ad diem, et vadem

liberare, et *diem obire* pro mori, quoniam quis tum praesto adest ad diem mortis.

Ab eo dari, pro dandum esse. Sisenna ap. Non. Marcell. p. 263. *signum, quod inter eos tolli convenerat.*

Extra ordinem, i. e. nullo more. Nam insolens erat, Quaestorem mitti in provinciam praetoriam, qualis erat Hispania. v. Sallust. Catil. 19. et ibi Cort.

Ad res novas, i. e. ad mutandum reipublicae statum. Sic veteres millies loquuntur. v. Ernest. Clav. Cic. v. Novus.

Consurgerent. Locutio ducta ab iis, qui ex insidiis, ubi sedent, subito hostem adoriuntur. Caesar de B. C. III. 37. *subito illi ex insidiis consurrexerunt.*

Lambranos. Hoc nomen varie tentatur a criticis. Sed praeferenda Oudendorpii coniectura, *Ambronas*. *Ambrones* erant reliquiae Gallici populi, latrocinari soliti, quem Marius delerat. v. Strabon. VII. p. 183. et Plutarch. in Mario p. 414.

Destituere, est irritum facere. Ovid. Amor. III. 12. 18. *Phoebus et inceptum destituisset opus*. Liv. XXXIV. 34. *destituere rem inchoatam*. Vellei. Pat. II. 42. *conata eius metu suo destituere*. ubi v. Burm. utroque modo dicitur, *destituo rem*, et *res me destituit*. v. Intt. ad Liv. I. 51.

10. *Aediles* curules ludos publicos edebant suo sumtu, in quos multi, popularem auram captantes, maximam patrimonii partem profundebant. v. Cic. de Off. II. 17. pro Milon. 35. Eodem tempore comitium, forum Romanum, basilicas statuis, columnis, porticibus ornabant. v. Cic. Verr. I. 54. Plin. H. N. XXXIII. 3. Quae ornamenta vel coëmebant, vel

vel ex provinciis mutua petebant. v. Cic. Verr. IV. 3. et Graev. ad h. l.

Ad tempus, i. e. in constitutum ludorum edendorum spatium. Flor. I. 6. 2. *substitutus in locum regis, quasi ad tempus.* ubi v. Duker.

Rerum. Quarum usus erat in spectaculis publicis.

Apparatus, scil. ludorum. Liv. XXVII. 6. *luctos, pro temporis eius copia, magnifici apparatus fecerunt.*

Exponere, est cognoscendum et inspiciendum in publico ponere. Cic. Verr. IV. 15. *cum essent triclinia strata, argentumque expositum in aedibus.* v. Gronov. Diatr. Stat. VI. p. 43.

Venationes, i. e. pugnas cum bestiis. v. Aug. 43. et Lips. de Amphith. 5.

Ludi, simpliciter dicuntur ludi scenici, tragoediae, comoediae, Atellanae, mimi et pantomimi. v. inf. 39. Aug. 43. Tib. 34.

Geminis fratribus. Nempe Castori et Polluci. Templum Castori et Polluci a Postumio dedicatum brevitatis caussa *Castoris templum* vocabatur. v. Liv. II. 20. Flor. I. 11. et ibi Duker. p. 86. Saepe etiam veteres *Castores* et *geminum Castorem*, item *Polluces* et *geminum Pollucem* eosdem fratres dicebant. v. Ovid. A. A. I. 746. Serv. ad Georg. III. 89. et Oudend. ad Frontin. I. 11. 8.

Gladiatores, dicuntur servi vel liberi homines, qui armis depugnabant, delectandi populi gratia. Fiebant vero gladiatores vel damnatione, vel venditione. De damnatis ad ludum et gladium videte Paulum IC. Rec. Sent. V. Tit. 17. §. 3. Tit. 18. §. 2. de liberis hominibus, qui sanguinem suum venalem haberent, Liv. XXVIII. 21. et ibi Gronov. Quem turpissimum quaestum Augustus a liberis exerceri vetuit, facto

SC. ne quis se venderet ad ludum gladiatorium, nisi ante infamia notatus esset. v. Sueton. Aug. 45. Hanc rem copiose explicat Lipsius in Saturnalibus.

Munus, per excellentiam gladiatorios ludos significat: unde etiam qui tale munus edit, *munerarius*, vel *munerator* appellatur. v. Sueton. Domit. 10. Flor. III. 20. 9. *Muneris* nomen his ludis inditum est, quod in populi gratiam fiebant. v. Lips. l. c. et Ernest. Clav. Cic. v. Munus.

Par gladiatorum, proprie dicuntur, cum pares paribus, i. e. bini robore corporis et arte similes componuntur. v. Lucan. IV. 710. unde *par* eleganter dicitur pro adversario, apud Liv. XXII. 27. XXVIII. 44. ubi v. Gronov. Compositi inter se gladiatores ad certandum, propriis verbis dicuntur *comparari*, *componi*, *committi*. v. Cic. ad Div. II. 8. et ibi Manut. Horat. Serm. I. 7. 19. Ex quo translatum est illud Livii XXX. 28. *erexerant omnium animos Scipio et Hannibal, velut ad supremum certamen comparati duces.*

Multiplici, i. e. quae magno numero constat.

Familia, dicitur grex gladiatorum, qui ad unum dominum pertinet, vel sub uno lanista est. Cic. pro Sull. 19. *At praefuit familiae Cornelius.* Sueton. Aug. 42. *cum venalicios et lanistarum familias urbe expulisset.* Unde Lips. Saturnal. I. 15. repetit locutionem *ducere familiam*, pro caput vel principem esse. Sed tralatio potius ducta est a rectoribus familiarum, quos domestici velut duces sequuntur. v. Manut. ad Cic. ad Div. VII. 5.

Cautum est, i. e. constitutum est. Liv. XXXIII. 13. *ita in foedere primo cautum esse, ut belli praeda Romanos sequeretur.*

De numero gladiatorum. Paria gladiatorum ad cer-

certum numerum redegit primum Augustus, deinde Tiberius. v. Dion. Cass. LIV. p. 731. Sueton. Tib. 24. et P. Fabrum Semestr. II. 10.

. *Quo ne maiorem.* Sic veteres loqui solent, cum praecedit *cautum est*, vel simile verbum. Cato apud Priscian. VII. p. 750. *arbitror oportere institui, ne quo minus duobus millibus sit aerum equestrium* (*). Cic. ad Div. VII. 2. *praefinisti, quo ne pluris emerem.* v. Sanct. Min. IV. 4. p. 620.

11. *Favore.* Vocabulum *favor* Ciceronis demum aetate usurpari coepit. Cic. pro Sext. 115. *qui rumore, et, ut ipsi loquuntur, favore populi tenentur et ducitur.* v. Quinctil. VIII. 3. p. 373. et Vavass. de vi verb. p. 165. Ceterum *favor* et *favere* proprie dicitur de applausu populi in theatris et circo. v. Sueton. Cal. 55. Casaub. ad Vopisc. Aurelian. 48. et Broukh. ad Tibull. I. 5. 110.

. *Socium atque amicum.* Qui *socius* Romanorum erat, idem etiam *amicus*: sed qui *amicus*, non etiam *socius*. Hoc discrimen apparet ex Liv. XLV. 20. 25. ubi v. Duker.

. *Vulgo*, i. e. passim, ab universis. Cic. Verr. V. 50. *cum vulgo loquerentur, suppositum in eius locum alium.* pro Muren. 35. *sed vulgo, passim quid est vulgo? universos.* v. Burm. ad h. l.

. *Tropaeum*, a Graeco τρέπω, *verto*, est victoriae monumentum, ex armis hostium structum fere eo in loco, ubi τροπὴ vel fuga hostium facta esset. v. Serv. ad Aen. XI. 6. et Casaub. ad h. l. Negat Florus III. 2. Romanos tropaea in hostico posuisse: quem exemplis refellit Cl. Ernestus ad h. l. Graeci, a quibus mos tropaeorum statuendorum ad Romanos venit, olim

(*) Videntur Ruhnkenio fuisse caussae hunc locum ita citandi,

olim non ex aere et lapide, sed ex lignis tropaea excitabant, ut victoriam modo in praesenti declararent, non ut in perpetuum belli memoria maneret. v. Diodor. Sicul. XIII. 24. et ibi Cl. Wesseling. Sed Romani, praesertim in urbe, in perpetuam victoriae memoriam magnifica tropaea statuebant.

Sicarius, proprie est, qui sicam sive breviorem gladium maleficii alicuius gratia gerit, deinde in genere, qui hominis occidendi caussa cum telo ambulat. v. Tit. D. ad leg. Cornel. de Sicariis.

Quaestione, i. e. extraordinario iudicio capitali apud eum Praetorem, cui quaestio de sicariis obtigisset. Praetori, in hac quaestione, praeter iudices selectos, aderat iudex quaestionis, qui erat iuvenis aedilitius, reliquorum iudicum princeps, et Praetoris sive absentis, sive nimis occupati vicarius. v. Cic. pro Cluent. 33. Brut. 76. Talem iudicem in hac quaestione Caesarem fuisse, verissime observat Casaub. ad h. l. v. Sigon. de Iudic. II. 5. et Ernest. Clav. Cic. v. Quaestio.

Sicariorum numero, i. e. pro sicariis. Caesar de B. G. VI. 6. *hostium se habiturum numero*. ubi v. Oudend. Utrumque dici, *habere numero*, et *habere in numero*, exemplis docet Gronov. Observ. I. 6.

Proscriptione, i. e. tempore proscriptionis. *Proscribere* proprie est aliquid scriptum publice proponere. Sic *aedes proscribi* dicuntur, cum affixa tabula significamus venales vel locandas esse. v. Cic. de Off. III. 13. Sic Sulla Marianos *proscripsit*, i. e. nomina eorum in tabula scripsit, ut impune necari possent. Unde *proscribere* poni coepit pro capitis damnare, et e civitate eiicere. v. Graev. ad Iustin. II. 12.

12. *Subornavit*, i. e. latenter necessariis praesidiis ad nocendum instruxit. Sic passim dicitur *subor-*

ornare indicem, testem, accusatorem, percussorem. v. Cic. pro Deiot. 17. Nepot. Phoc. 2. Sueton. Aug. 10.

Perduellis, antiquis temporibus dicebatur, qui postea *hostis*. v. Cic. de Offic. I. 12. et L. 234. D. de V. S. Sed veteres sic etiam vocabant parricidam, sive eum, qui sciens liberum hominem occidisset. v. Liv. I. 26. Deinde *Perduellionis* crimen dicebant, quo quis maiestatem P. R. violasset, tanquam affectato regno, tribuno plebis interfecto, etc. Exstat Ciceronis oratio pro hoc C. Rabirio, perduellionis reo, e qua pluscula declarando huic crimini et iudicio peti possunt. v. Ernest. Clav. Cic. v. Perduellio.

Diem diceret, i. e. accusaret. Loquendi forma inde ducta est, quod actor a Praetore diem, quo reus se in iudicio sisteret, definiri postularet. Nam *dicere* in hac formula est praescribere. v. Heins. ad Ovid. Ep. XII. 39.

Coërcuerat, i. e. represserat. Hoc verbum inprimis dicitur de magistratibus et potestatibus. Sallust. Catil. 29. *coërcere omnibus modis socios atque cives.* Iug. 100. *pudore magis, quam malo, exercitum coërcebat.*

Sorte iudex in reum ductus. Modus deligendorum iudicum per sortitionem hic erat. Praetor, aut iudex quaestionis in urnam coniiciebat omnes iudices selectos, qui eo anno fuerant allecti, ac numerum, quem lex praescribebat, sorte educebat. Quo facto, accusatori et reo potestas dabatur reiiciendi, quos sibi adversos, aut parum idoneos iudicarent. Reiectorum numerum Praetor aliis supplebat; quae altera iudicum sortitio proprie *subsortitio* dicebatur. v. Cic. Act. I. in Verr. 6. et ibi Ascon. Sigon. de Iudic. II. 12. Sed hic diversa ratio est. Nam Cae-

sar perduellionis iudicandae duumvir sorte constitutus erat. In qua caussa neque Praetor, neque iudex quaestionis, neque iudices selecti locum habebant, ut Ernestus ad h. l. ostendit.

Duci, proprie de sorte dicitur. Virgil. Aen. VI. 22. *stat ductis sortibus urna.* ubi v. Serv. Claud. 6. *sodalium Augustalium, sorte ductorum.*

Cupide, i. e. magno studio partium. *Cupiditas* inprimis dicitur de iudicibus, qui odio aut amore ducti, reum vel damnare vel absolvere cupiunt. Cic. pro Marc. 9. *sine amore et sine cupiditate iudicabunt* pro Font. 9. *ne qua significari possit suspicio cupiditatis.* Liv. XXIV. 28. *quo minus cupiditatis ac studii visa est oratio habere.* v. Graev. ad h. l.

Acerbitas, proprie dicitur de iudicibus nimis severis. Liv. IV. 24. *exemplo acerbitatis censoriae offensos.*

13. *Ad comitia*, non tributa, ut quidam tribuum mentione inducti crediderunt, sed centuriata. v. Ernest. et Oudend. ad h. l.

Ad comitia descenderet. *Forum* et *campus* in locis planis et humilibus erant, quo ituri descendebant ex collibus propinquis. Inde ortae locutiones *descendere in forum, in campum Martium, in comitia.* v. Cic. de Orat. II. 66. Horat. III. Carm. 1. 11. *Descendere* etiam simpliciter ponitur pro in publicum prodire. v. Gronov. Observ. III. 12. Graev. ad Cic. ad Div. VIII. 8. de Offic. III. 20. et Bentlei. ad Horat. I. Ep. 20. 5.

Suffragia tulerit, i. e. abstulerit, acceperit, ut apud Horatium, *omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.* Alio sensu *suffragia ferre* est in Aug. 56.

14. *Ultimam poenam*, i. e. poenam capitis. Liv. III. 58.

58. *remittente Virginio ultimam poenam.* Plin. II. Ep. 11. *amicorum eius ultimam poenam arguebatur emisse.* Sic etiam *ultimum supplicium* dicitur, Liv. IX. 16. *perfusumque ultimi supplicii metu*, ubi v. Drakenb.

Municipatim, i. e. per municipia. *Municipium* est genus oppidorum Italiae, iure civitatis Romanae donatum, sed ita, ut suis legibus, suis magistratibus uteretur, v. Gell. XVI. 13. et Sigon. de ant. iur. Ital. II. 6. Nomen vero habet ex eo, quod municipes ius adepti essent cum populo Romano munera capiendi. De more, quo Romani honoratiores captivos munitis per Italiam oppidis custodiebant, videte Casaub. ad h. l. et Cort. ad Sallust. Cat. 51.

Censere, proprie dicuntur, qui sententiam in senatu dicunt. v. Sallust. Catil. 51. et passim.

Ostentans, idem est quod *ostendens*, ut in Aug. 87. v. Duker. ad Flor. III. 5. p. 469. *ostendere* est docere.

Maneret, i. e. exspectaret. Tib. 67. *quanta se quandoque acerbitas et infamia maneret.* Domit. 15. *quis ipsum maneret exitus?* v. Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. p. 354.

Invidia, est infamia, mala hominum existimatio, inde dicta, quia non libenter videmus, neque qui fortuna meliore, quam vellemus, utuntur, neque qui sequuntur ea, quae ipsi non probamus. Hanc vocem egregie explanavit Manut. ad Cic. ad Div. I. 1.

Designatus consul, dicitur, qui nondum re ipsa consul erat, sed creatus, ut sequenti anno consulatum gereret. Designati vero consules primi sententiam rogabantur. v. Manut. de Senatu Rom. 8.

Gravius exceptum, i. e. duriore et asperiore sen-

su intellectum. *Excipere* idem est quod *accipere*, i. e. intelligere.

Atque, ponitur pro *quam*, ut post alia verba comparativa, ita post gradum comparativum. Horat. Serm. II. 7. 96. *Qui peccas minus atque ego.*

Obtinuissetque adeo, scil. id quod volebat. Particula *adeo* interdum significat aliquam consequentiam, ut h. l. interdum servit narrationi et explicationi. Sed saepe eius vis sentitur facilius, quam exprimitur.

Labantem, i. e. vacillantem, fluctuantem in sententia, mutaturum sententiam. Metaphora ducta est ab arbore, quae multis succisa ictibus, sensim et leniter labi incipit. v. Donat. ad Terent. Adelph. II. 2. 31. Cic. Phil. VI. 4. *cum ei labare videretur.* Liv. XXII. 61. *qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare coeperunt.* v. Gronov. ad Liv. praef.

Ordo, saepe per excellentiam dicitur ordo senatorius. v. Othon. 8. Vesp. 2. et Drakenb. ad Liv. VIII. 18.

Confirmasset. Labantia proprie dicuntur *confirmari*, *fulciri*. Horat. III. Carm. 5. 45. *Donec labantes consilio patres Firmaret auctor*, ubi v. Torrent.

Quoadusque. Legendum, ut meliores Codices habent, *quoad*. Nam *quoadusque* vox est cadentis Latinitatis. v. Intt. ad h. l.

Deterrere, proprie est aliquem terrore a sententia vel proposito avertere. Cic. de Arusp. Resp. 9. *quae nostros animos deterrent, atque avocant a religione.* Ovid. Met. X. 600. *Non tamen eventu iuvenum deterritus horum.* v. Intt. ad Liv. XXII. 42.

15. *Primo Praeturae die*, i. e. Kalendis Ianuariis, quo die Praetores religio[illegible] [illegible]que caussa iuris-

di-

dictionem suam leviore quodam actu auspicari solebant, contra ac Caesar fecit. v. Ovid. Fast. I. 165. Casaub. ad Neron. 7. et Lips. ad Tacit. Ann. IV. 36.

Ad disquisitionem populi vocavit, i. e. ad examen et cognitionem. Ner. 2. *Caesarem ad disquisitionem senatus vocavit.* v. Casaub. ad h. l. *Venire in disquisitionem* frequens est Livio, tanquam VIII. 23. ubi v. Drakenb.

Promulgari lex dicitur, cum publice proponitur ante comitia, ut facultas sit populo considerandi, an e re sua sit, necne. v. Fest. in h. v. *Promulgare* natum est ex *provulgare.*

Curatio, proprie dicitur de administratione rei cuiusdam publicae, tanquam aedificiorum, viarum, annonae. Cic. de Arusp. Resp. 31. *Aedes telluris est curationis meae.* Liv. IV. 13. *Minucius eandem publice curationem agens.* ubi v. Drakenb. Et sic Q. Catulus apud Gell. II. 10. dicitur *curator restituendi Capitolii.*

Transferebat, i. e. transferre volebat. Multa, apud utriusque linguae scriptores, non tam de effectu, quam de conatu et consilio accipienda sunt. Cic. ad Att. VII. 23. *Mutavi consilium de mulieribus, quas, ut scripseram, ad te Romam remittebam*, i. e. remittere volebam. Virgil. Aen. I. 606. *Haec celerans iter ad naves tendebat Achates*, i. e. celeriter facere cupiens, ut bene explicat Serv. Aen. II. 111. *terruit Auster euntes*, ubi Servius *euntes* exponit ire cupientes. Videte Casaub. ad cap. 29. et quos laudat Duker. ad Liv. V. 25.

Conspiratio hic in bonam partem sumitur pro consensu. Cic. pro Dom. 28. *hanc nostram coniunctionem, hanc conspirationem in rep. bene gerenda:* ad Div. X. 16. *concordia et conspiratio omnium ordi-*

di-

dinum ad defendendam libertatem. v. Flor. III. 16. 5. et ibi Duker.

Officium dicitur, quod vel honoris, vel amicitiae caussa alicui facimus. Plin. I. Ep. 5. *Regulus me convenit in Praetoris officio.* Paneg. 76. *ipsius quidem officium tam modicum, tamque temperatum,* ubi v. Swarz. Claud. 2. *sine sollemni officio lectica in Capitolium latus est.* Unde, qui eius generis officia multum obeunt, *officiosi* dicuntur. v. Casaub. ad Aug. 53. et Ernest. ad h. l.

Obstinatos, i. e. animis obfirmatis. Liv. II. 65. *Restitere primo obstinatis animis.* ubi v. Drakenh.

Actionem, i. e. rogationem, quam promulgarat. Nam magistratuum *actiones* dicuntur aut leges ad populum latae, aut Scta, iis ad Senatum referentibus facta. Quo sensu passim commemorantur *actiones tribunitiae*, *actiones consulares*. v. Ernest. Clav. Cic. v. Actio.

16. *Intercessio*, vox propria de Tribunis plebis, cum vel Senatus, vel alterius magistratus actiones impediunt. *Intercedere* proprie est ingerere se in alterius actionem, et eam conari prohibere aliqua caussa. v. Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. p. 348.

Auctorem. Legem laturi magnae auctoritatis viros in rostra producere solebant, qui populo suaderent, ut legem, quam erant rogaturi, iubere vellet. Is dicebatur *auctor*. Cic. Agrar. II. 5. *cum ostenderem, si lex utilis plebi Rom. videretur, auctorem me atque adiutorem futurum.* de Legg. III. 16. *isti rationi neque lator quisquam est inventus, nec auctor unquam bonus*, v. Gronov. ad Liv. II. 56. Magnum igitur discrimen est inter *latorem* et *auctorem legis*, quamvis interdum etiam *lator* dicatur *auctor*, ut a Vell [illegible] I. 45. *Valer. Flaccus*,

tus, *turpissimae legis auctor*. v. Graev. ad Cic. ad Att. I. 19.

Decretum, etsi saepe pro SC. ponitur, tamen haec differentia est, quod SC. ad universam rempublicam, decretum ad singulos homines spectet, SC. de re communi, decretum semper de re privata dicatur: id quod pluribus demonstravit Manut. de Senat. Rom. 10.

Ut comperit, i. e. postquam. Aug. 12. *ut cognovit, Antonium a Lepido receptum esse.* Videte quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 156.

Vi ac per arma, dicitur pro *vi et armis.* Quae casus variatio notanda. Sallust. Iug. 7. *neque per vim, neque insidiis opprimi posse.* Liv. VII. 32. *factionibus et per coitiones.* v. Cort. ad Sallust. Catil. 33. et Burm. ad Vesp. 19.

Lictor, analogiee formatur ab antiquo verbo *ligo, ligui, lictum, ligere*, pro quo deinde dictum est *ligo, ligavi, ligatum, ligare.* Nam praecipuum lictorum ministerium, cum antiquitus carnificum officio fungerentur, in ligandis manibus cernebatur. v. Gell. XII. 3. Praetori sex lictores tribuuntur. v. Lips. Elect. I. 23.

Sponte et ultro. In his vocibus nullum discrimen est. Sed vidimus iam supra, Suetonium saepe coniungere vocabula synonyma.

Asserenda, i. e. tuenda, defendenda. *Asserere* proprie est iuxta serere, iuxta plantare. Unde primum hoc verbum translatum est ad forum, ubi quis *in libertatem* vel *in servitutem asserere* dicitur, cum aliquem ad Praetoris tribunal iuxta se statuit, contendens, eum liberum, vel servum esse. Is proprie dicitur *assertor*: et eius est *assertio*. v. Terent. Adelph. II. 1. 40. et ibi Donat. Hinc *Asserere*, etiam

etiam extra iudicium, dicitur pro vindicare, defendere. Claud. 10, *asserturi communem libertatem*. Lactant. Epit. 55. *asserentes et extollentes summa laude virtutem*. ubi v. Davis. Vulgo *asserere* pro affirmare dicunt, sed sine exemplo meliorum scriptorum. v. Graev. ad Iustin. XXXVIII. 2. et Drakenb. ad Liv. XXIV. 1.

Coetum, dicit seditiosorum hominum congregationem. Liv. II. 13. *ne rursus occulti coetus coniurationesque fierent*. *Coitiones* vocat Liv. IV. 13. ubi v. Intt. *coïtus* Liviana Epitom. 71. Sed ubi merito quaerit Dukerus, qui *coïtus* pro coetus dixerint.

Cogere senatum, frequens formula est, in qua *cogere* significat congregare, colligere. Cic. pro Caec. 12. *cum multitudinem hominum coëgerit*. Serv. Sulpic. Ciceroni IV. 12. *qui rogaret, ut cogerem medicos*. v. Drakenb. ad Liv. IV. 26.

Primores, sunt proceres, primarii viri. Catull. LXVII. 88. *primores Argivorum coeperat ad sese Troia ciere viros*. Apud Tacitum Ann. II. 19. *primores plebi* opponuntur.

Amplissimis verbis, i. e. honorificentissimis. Cic. Phil. II. 6. *supplicationem decrevit verbis amplissimis*. v. Gronov. ad Liv. XXVIII. 42.

Inducere saepe sumitur pro tollere aliquid, abolere. Cic. ad Att. I. 17. *ut induceretur locatio postulaverunt*. pro Dom. 4. *coeptum est referri de inducendo* etc. Metaphora sumta est a stilo, quo per ceras ducto sive lato sive inverso scripta delebantur. Ner. 52. *multa et deleta et inducta et subscripta inerant*. v. Gronov. de P. V. I. 3. p. 12.

17. *Nominatus*. Hoc verbum frequens est de iis, qui tanquam participes coniurationis indicantur.

ri inf. 20. Tib. 73. Curt. VI. 10. VIII. 6. Torrent. ad h. l. et Brisson. de V. S.

Quaestorem. Cui extra ordinem videtur mandata fuisse quaestio de Catilinariis. v. Ernest. ad h. l.

L. Vettio Iudice. Sic legendum, non *indice.* Nam *Iudex* Vectii cognomen est. v. Graev. et Oudend. ad h. l.

Publice, i. e. publica auctoritate. Liv. IV. 13. *eandem publice curationem agens.* ubi v. Gronov. Iustin. XII. 11. *corpus eius Thurii publice redemtum sepulturae tradiderunt.* Indicibus coniurationis, quae contra remp. facta esset, praemium dari solebat, libero pecunia, servo libertas. v. Sallust. Cat. 30. Liv. XXVI. 27.

Pignoribus captis, i. e. supellectilis parte per apparitores ablata. *Pignorum captio* est genus coërcitionis lenioris, quo magistratus utebantur in eos, qui iusso suo parere nollent. v. Cic. de Orat. III. 1. Phil. I. 5. et Brisson. de V. S. v. Pignus.

Mulcare, proprie est mollire, macerare: hinc verberare, pulsare: denique in genere male habere. Terent. Eun. IV. 7. 4. *male mulcabo ipsam.* Adelph. I. 2. 10. *omnem familiam mulcauit usque ad mortem.* ubi v. Donat. Phaedr. I. 3. 9. *male mulcatus graculus.* Tacit. Ann. I. 32. *prostratos verberibus mulcant.* ubi v. Lips. Hoc verbum passim confunditur cum *multare:* qua de re Critici saepe egerunt. v. Gronov. ad Liv. XXVIII. 30. Duker. ad Liv. III. 11. et Intt. ad h. l.

Compellare, est accusare, nomen deferre. Nepos Alcib. 4. *Hoc crimine in concione ab inimicis compellabatur.* ubi v. Lambin. Coelius Ciceroni Ep. 12. *compellari ea lege me voluerunt.* ubi plura Manut. Addite Interprett. ad h. l.

Po-

Potestas, saepe ponitur pro ipso viro, qui est in potestate, qui honorem in republica gerit. Liv. III. 55. Valer. Max. II. 8. 5. *ne in honore triumphi minor potestas maiori aequaretur*. Plin. H. N. XXIX. 4. *mites praestare dominos, potestatesque exorabiles*. v. Sueton. Calig. 46. Claud. 23. et Brisson. de V. S. Sic *imperium* pro imperatoribus; apud Auson. Epigr. 4. v. Oudend. inf. ad cap. 19.

18. *Ex praetura*, i. e. post praeturam gestam. Sic *ex consulatu, ex dictatura; e quaestura* pro post consulatum, etc. v. Aug. 5. Liv. IV. 31. et Gronov. Observ. IV. 20.

Ornari provinciae dicuntur, cum Senatus constituit fines provinciae, magnitudinem exercitus, stipendium in milites, viaticum in legatos, et cohortem; et cetera generis eiusdem. v. Liv. XL. 36. Sed ipsi quoque *magistratus* provinciales *ornari* dicuntur, cum Senatus illis decernit, quae diximus. v. Cic. ad Q. Fr. II. 3. Sigon. de ant. iur. Prov. II. 1. et Intt. ad h. l.

Privato, i e. deposita iam praetura, et nondum profecto in provinciam.

Non exspectato successore. Praesidem non solum oportebat in provincia manere, dum annuum munus terminatum esset, sed etiam successorem in provincia exspectare. v. Cic. ad Div. II. 15. ad Att. VI. 5. Sigon. de ant. iur. Provinc. II. 9. Hunc locum minus recte explicat magnus Casaubonus.

Edictis comitiis. *Edicere* hac in re proprium verbum est. Liv. III. 37. *consulibus creandis comitia edicebantur*. Gell. XIII. 15. *In edicto consulum, quo edicunt, qui dies comitiis futurus sit*.

Ratio illius haberi, dicitur, qui recipitur in numerum candidatorum, cui magistratum petere licet.

Quod

Quod signatum hic in re loquendi genus est. Cic. ad Div. VI. 6. *Rationem haberi absentis non tam pugnavi ut liceret.* ubi v. Graev. Liv. VIII. 16. *qui negabat rationem eius se habiturum.* Videte quos laudat Duker. ad Flor. IV. 2. p. 665.

Ambienti, i. e. contendenti. Aug. 31. *cum ambirent multi, ne filias in sortem darent.* v. Casaub. ad h. l.

Ut legibus solveretur, i. e. ut illi aliquid permitteretur contra leges. *Legibus solvi* saepe dicuntur, qui tantum una lege solvuntur, ut h. l. v. Liv. X. 15. XXXI. 50. Graev. ad h. l. et ad Cic. Phil. II. 13.

19. *De suo.* scil. patrimonio. Sic etiam dicitur *de meo, de tuo, de alieno.* Terent. Adelph. I. 2. 37. *olet unguenta de meo.* Plin. IV. Ep. 13. *qui de alieno negligentes, de suo diligentes erant.* v. Drakenb. ad Liv. IV. 60.

Pronuntiaret, i. e. palam promitteret. Inf. 26. *munus populo epulumque pronuntiavit.* Cic. ad Att. I. 16. *qui numos in tribu pronunciavit.* ubi v. Intt. Liv. XLV. 40. *si benigne, hac ipsa summa pronunciata, acclamassent.* ubi v. Gronov.

Summo magistratu, i. e. consulatu, qui summus honos erat inter ordinarios magistratus. Ovid. ex P. IV. 9. 65. *nullum Martia summo Altius imperium consule Roma videt.* Hinc Graeci consules ὑπάτους, i. e. *summos* dicunt. v. Aug. 26. Calig. 26. et Perizon. Diss. de Augustea orb. terr. descript. p. 362.

E republica, i. e. ex utilitate reipublicae. Sollemnis est formula de omnibus, quae ad reip. utilitatem spectant. Liv. VIII. 23. *cum Publilium avocari ab spe capiendae in dies urbis, haud e rep. esset.* ubi v. Drakenb.

Optimatibus, i. e. ab optimatibus, quamquam

etiam tertius casus esse potest. Horat. I. Carm. 6. *Scriberis Vario — Maeonii carminis alite*, i. e. scriberis a Vario, epici carminis poëta. Hirt. de B. Afric. 78. *Quo rem gestam scripsimus*. Ovid. Ep. XIII. 105. *Deseror coniuge*. v. Oudend. ad h. l.

Silvae callesque. Intelliguntur provinciae, in quibus non exercitu, sed tantum praesidiis ordinariis opus erat adversus latrocinia, et publicae securitatis caussa. Quibus praesidiis futuri consules nihil contra imperium R. et libertatem moliri poterant. v. Intt. ad h. l. *Calles* sunt inviae et occultae semitae in saltibus. *Silvas callesque* etiam iungit Caesar de B. G. V. 15. ubi v. Oudend.

Assectari, fere dicuntur inferiores, qui potentiores in comitia, curiam, forum, domumque deducunt, omni officiorum genere colunt. v. Ernest. ad h. l. et Clav. Cic. v. Assectari.

Offensus, est laesus, et ob eam caussam iratus. Tib. 13. *is forte tunc M. Lollio offensior*. Ner. 2. *pontificibus offensior*. v. Broukhus. ad Propert. III. 6. 40. et Intt. ad h. l.

Ex consulatu, i. e. ab eo tempore, quo consulatum simul gesserant.

Instituit, i. e. auctor rei fuit.

20. *Senatus acta*, sunt SCta, auctoritates, decreta. *Populi acta* sunt iudicia publica, comitia, plebiscita, natales dies, matrimonia, mortes singulorum. Olim P. M. res omnes singulorum annorum mandabat literis, earumque cognoscendarum potestatem populo dabat; iique *annales maximi* sunt appellati. v. Cic. de Orat. II. 12. Huic mori cum postea motus intestini finem attulissent, Caesar rationem publicae memoriae retinendae in consuetudinem revocandam duxit, eamque ob caussam *Acto-*

rum *Senatus et populi* confectionem publicationemque instituit. Quam actorum conficiendorum consuetudinem non quidem abolevit Augustus, sed tamen vetuit, ne acta publicarentur, teste Suetonio in eius vita 35. Hac de re omnino legendus elegantissimus Ernesti Excursus ad. h. l.

Conficerentur. Veterrimi MSS. habent *conferent.* Cui verbo paullo rariori librarii, ut solent, notius *conficerentur* supposuerunt. Caesar de B. G. VII. 11. *ut quam primum iter conferet.* ubi similiter a librariis peccatur. Serv. Sulpic. Ciceroni IV. 5. *per quos consolatio conferi debet.* v. Heins. ad Virgil. Aen. IV. 116. et Intt. ad h. l.

Retulit morem, i. e. repetiit, renovavit. Liv. III. 4. *relatis quibusdam ex magno intervallo cerimoniis.* v. Duker. ad XXXVII. 6.

Quo mense fasces non haberet. Statim sub consulatus initium cautum est, ut fasces per vices singulis mensibus penes alterutrum consulum essent, ne, si ambo fasces haberent, terror duplicatus videretur. v. Dionys. Hal. V. p. 278. Liv. II. 1. et Drakenb. ad Liv. II. 55. Ante consulem, qui fasces non haberet, accensus ibat, lictores pone sequebantur, sed sine fascibus, ut ex h. l. patet.

Accensus, i. e. minister publicus, de quo v. Varron. de L. L. V. p. 62.

Lege agraria. De hac lege v. Sigon. de ant. iur. Ital. II. 2.

Obnunciare est significare, se vidisse fulgur, vel audivisse tonitru: in quo sollemnis formula erat: *alio die.* v. Cic. Phil. II. 33. Liv. XXII. 42. Augures vitium auspiciorum *nuntiare* poterant magistratui, sed non *obnuntiare*, i. e. dicere *alio die:* quod

 ma-

magistratibus proprium putat Ernestus Ind. Legg. v. Aelia.

Censere aliquid. Burmannus et alii *censere aliquid* exponunt, praeter et post sententiam dictam de re relata, hoc amplius petere, ut de consternatione referrent. Sed locus non explicandus, sed emendandus videtur. Neque enim Latinis usitata locutio est *censere aliquid.*

Nihil aliud. scil. faceret. Quae frequentissima et elegantissima ellipsis est. Ovid. Trist. I. 2. 37. *At pia nil aliud quam me dolet exule coniux.* Liv. VI. 41. *quid igitur aliud, quam tollit ex ciuitate auspicia?* Similis est formula *nihil amplius quam.* Cat. 44. *Nihil autem amplius, quam Adminia in deditionem recepta.* v. Duker. ad Flor. III. 23. p. 640. et Intt. ad Liv. XXXI. 24.

Urbani, sunt faceti, dicaces, quales esse solent in urbe otiose viventes, nihilque agentes, nisi ut in foro sub basilicis stent, circulos faciant. v. Cic. ad Div. IX. 15. pro Dom. 34. et Gronov. de P. V. IV. 9.

Ferrentur hi versus, i. e. circumferrentur inter elegantissima dicta. Terent. Eun. III. 1. 39. *dictum fertur inprimis.*

Ad viginti millibus. Ad per ellipsin ponitur pro circiter. Caesar de B. G. II. 33. *occisis ad hominum millibus* IV. de B. C. III. 53. *ad duorum millium numero ex Pompeianis cecidisse.* v. Oudendorp. ad h. l.

Publicani, sunt, qui publicos reipublicae reditus redimunt, sic appellati a *publicum*, quod omne illud, unde respublica emolumentum et reditum habet, significat, et inde pro vectigali [illegible]ur, ut ad Vespas. 1. dicemus.

Mercedum, i. e. pretii, quo ve[illegible]ndu[illegible]

tant. Terent. Heaut. I. 1. 93. *inscripsi illico aedes mercede.* Cic. Verr. III. 50. *quod tanto sibi plus mercedis ex fundo refectum sit.* v. Burm. de Vect. II. p. 15.

Relevarit, i. e. liberavit. Cic. Catil. I. 13. *videbimur ad breve tempus cura et metu esse relevati.*

Licerentur, i. e. pretium offerrent. Caesar de B. G. I. 18. *vectigalia parvo pretio redempta habebat: propterea quod illo licente, contra liceri audeat nemo.*

Calumniae, sunt falsa, ficta crimina. Vitell. 7. *Formianos non nisi terrore calumniae amovit.*

Ad genua sibi accideret. Genua sunt sedes misericordiae, quam supplices prensant. v. Serv. ad Virgil. Ecl. VI. 4. Aen. III. 607. Unde natae sunt loquendi formulae, *genua amplecti*, *genua prensare*, *per genua obsecrare*, *genibus advolvi*, *accidere ad genua*, *accidere genibus.* Videte quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 96.

Deplorante, i. e. cum deplorasset. Nam participia praesentia etiam praeteriti temporis significationem habent, quia Latini carent participiis praeteriti temporis, praeterquam in verbis deponentibus. v. Voss. de Anal. IV. 14. et Casaub. ad h. l.

A patribus ad plebem transire. Ad hunc locum intelligendum assumenda sunt, quae de iure gentilitatis disputat Sigon. de iure ant. civ. Rom. I. 7.

Hora nona. Hoc addit, quod nona hora apta erat balneo et coenae, non rebus forensibus agendis. v. Martial. III. 36. X. 70. et Salmas. ad Vopisc. Florian. c. ult.

[illegible] proprie dicuntur, qui in concionem, vel [illegible] ducuntur. Sallust. Iug. 33. *producto* ... ad Div. XII. 3. *producto in con-*

 cio-

cionem a Canutio. Liv. XXVII. 51. *inde producti in concionem legati.* ubi v. Sigon.

Ex compacto. Pro eo etiam dicitur *de compacto*, et *compacto* in Aug. 15. Liv. V. 11. *compacto eam rem actam.* ubi v. Gronov. et quae notavimus ad Vell. Pat. II. 110.

Unus et alter, interdum duo significat, interdum numerum incertum, paucorum tamen. Ovid. Fast. III. 399. *Ex illis unus et alter ait.* Petron. 108. *aderat interpellanti unus alterque infirmissimus vector.* Vespas. 4. *uno quoque et altero proelio constanter inito.* v. Perizon. Anim. Hist. VII. p. 283.

Intercipere, proprie est de media via capere, nec pati ad eum, cui destinatum erat, pervenire. Terent. Eun. I. 1. extr. *quod nos capere oportet, haec intercipit.* v. Gronov. Observ. II. 19. Periz. ad Sanct. Min. III. 5. 78. Hinc *intercipere aliquem* significat per fraudem capere, ut apud Liv. XXXIII. 39. et tandem de improviso opprimere. Nepos Iphicr. 2. *Moram Lacedaemoniorum intercepit.* Flor. III. 4. 4. *totus interceptus exercitus.*

21. *Successuri in consulatu.* Sic etiam inf. 29. Sed Latinitatis ratio postulat, *in consulatum.* Curt. VIII. 6. *succedere in stationem.* Iustin. VI. 1. *in locum omnium solus successit.* v. Oudend. ad h. l.

Collocavit, absolute dicitur pro in matrimonium collocavit. Locutio ducta est a pronubis, sponsam in lecto collocantibus. Catull. LIX. 186. *Vos bonae senibus viris Cognitae bene feminae Collocate puellulam.* v. Donat. ad Terent. Eun. III. 5. 45.

Vel praecipua, i. e. etiam, adeo praecipua. Aug. 32. *vel praecipuam calumniandi materiam.* ubi v. Oudend. Galb. 9. *in coërcendis delictis vel immodicus.* Inprimis haec particula augendi vim habet an-

ante superlativos. v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 2. p. 534.

Primum rogare sententiam. Antiquis temporibus primus sententiam rogabatur, qui a censore princeps in Senatu lectus erat. Postea consules studio aut necessitudine adducti, quemvis visum erat, honoris caussa sententiam primum rogabant: in quo tamen observatum est, ut ne quis quemquam ex alio, quam ex consularibus sententiam primum rogaret. Atque hoc facere poterant usque ad comitia consularia, quibus habitis primi sententiam rogabantur consules designati; v. Gell. IV. 10. XI. 7. et Manut. de Senat. Rom. 8.

22. *Suffragari*, proprie dicuntur, qui candidatos in petitionibus magistratuum gratia sua iuvant. Cic. pro Sull. 24. *cum Catilinae suffragaretur.* Nepos Agesil. 1. *Lysandro suffragante, homine factioso, et potente.* v. Cort. ad Sallust. Iug. 65. Hinc *suffragatores* sub Impp. dicebantur, qui humilioris sortis hominibus suffragationem suam commodabant, ut aliquid a principe impetrarent: de quibus videte H. Vales. ad Amm. Marc. XXIX. 5.

Cuius emolumento, etc. Locus corruptus, et varie ab interpretibus vexatus, quorum coniecturas videte.

Cisalpinam. Gallia hoc tempore dividebatur in Cisalpinam, cis Alpes in Italia sitam, et Transalpinam, trans Alpes. Cisalpina *Togata* dicebatur, quod eius incolae togam gestabant. Transalpina *Comata*, quod eius incolae comas alebant. Pars etiam Galliae Transalpinae australis *Braccata* dicebatur, quod eius incolae braccis utebantur. v. Cellar. Geogr. ant. II. 2.

Non temperauit, i. e. non abstinuit. Intelligen-

 dum

duni sibi. Caesar de B. G. I. 35. *Neque sibi barbaros temperaturos existimabat, quin in provinciam exirent.* Plin. Paneg. 86. *nec temperasti tibi, quo minus excuntì oscularis fores.* ubi v. Swarz. Tacit. Ann. II. 84.

Insultaturum capitibus, i. e. contumeliose et ferociter tractaturum. Metaphora ducta est a victoribus, qui iacentis hostis capiti insiliunt, id pedibus conculcant. Virgil. Aen. VIII. 570. *Huic capiti insultans, tot ferro saeva dedisset Funera.* v. Serv. ad Aen. X. 645.

Feminae. In *feminae* verbo respicitur ad Caesaris impudicitiam, de qua supra.

Alludens, i. e. iocans. Phaedr. III. 19. 12. *Intempestive qui occupato alluserit.* Gell. XIX. 8. *tum alludens Fronto.* v. Casaub. et Burm. ad h. l.

Syria. Imo *Assyria.* Sed Graeci Latinique scriptores perpetuo confundunt *Syros* et *Assyrios.* Syri, multo recentiores Assyriis, dicti sunt a metropoli Tyro, quae Hebraeis Tsur dicitur, cum olim appellarentur Arimaei: Assyrii ab Assure, filio Semis. v. Graev. ad Iustin. I. 2. et Oudend. ad h. l.

23. *Cognitio* est iudicium extra ordinem, et iuri ordinario sive quaestioni, quae fit ex legibus per certos magistratus, opponitur. v. Claud. 25. Ner. 15. Swarz. ad Plin. Paneg. 80. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Altercatio, proprie dicitur, cum alternis loquuntur, etiam sine iurgio. Unde *altercationes* opponuntur perpetuis orationibus. Deinde haec vox translata est ad contradictiones rixantium. v. Gesner. Thes. L. L.

Praeiudicium, scil. Caesaris, ut quaestore damnato, etiam Caesar eorundem criminum socius damnaretur. *Praeiudicium* est, quod iudicibus exem-

plum

plum placeret ad iudicandum sic eadem causa, ut finit Asconius in Cic. Div. in Caecil. 4.

Arripere, exquisite dicitur pro accusare. Cic. pro Planc. 22. *an dices eum te arripuisse, a quo non sis rogatus?* ubi v. Graev. Liv. III. 58. *Subinde arreptus Sp. Oppius invidiae proximus.* Vitell. 2. *Post praeturae honorem inter Sejani conscios arreptus.* v. Casaub. ad h. l.

Postulatus, i. e. accusatus. Sic in Ner. 7. *postulationes*, accusationes. ibi 15. *postulator* est accusator. v. Graev. ad Cic. ad Div. V. 10.

Appellare, est auxilium implorare. Cic. pro Quint. 7. *appellantur tribuni.* Liv. IX. 26. *appellantibus tribunos nemo erat auxilio.* ubi v. Drakenb.

In magno negotio habuit, i. e. maxime sibi elaborandum duxit. Sic contra Tacit. Hist. II. 21. *in levi habere* pro negligere. v. Casaub. ad h. l. Hoc modo Graeci saepe loquuntur. v. Valcken. Diatr. in Eurip. p. 9.

Obligare, i. e. sibi devincire, vel danda pecunia, vel adiuvanda eorum petitione.

Petitoribus, i. e. candidatis, qui magistratus petunt.

Recipere, est synonymum verbi *promittere*, quamvis plus esse putent Torrent. ad h. l. et Manut. ad Cic. ad Div. VI. 12. Terent. Phorm. V. 8. 8. *ne non id facerem, quod recepissem semel.* Cic. ad Div. V. 8. *me ea, quae tibi promitto ac recipio, sanctissime observaturum.* v. Gronov. Observ. II. 24. et Burm. ad h. l.

24. *Extractos*, i. e. evocatos, persuasos, ut venirent. Tib. 37. *quosdam per blanditias extractos.* Galb. 19. *extractus rumoribus falsis.*

Compulit, i. e. eis persuasit. Sic *impellere* saepe dicitur.

Detrudere aliquem, dicuntur, qui ei per factionem et coitiones in petitione honorem eripiunt. Quo sensu frequens est *deiicere*. Cic. Act. I. in Verr. 8. *si me aedilitate deiecissent*. pro Mur. 36. *Tubero praetura deiectus est*. v. Schulting. ad Senec. Suas. VII. p. 52. et Duker. ad Liv. XXXVII. 47.

Prorogaretur, i. e. continuaretur. *Prorogare* proprie dicitur populus, cum, rogatione ad eum lata, alicui magistratum vel imperium extendit, profert. Cic. ad Att. V. 11. *Ne provincia nobis prorogaretur, provide*. *Propagare*, quod hic quaedam Edd. habent, notat quamcunque continuationem, et quacunque de caussa. De horum verborum, millies permutatorum, discrimine videte Ernest. Clav. Cic. v. Prorogare, et Oudendorp. ad Sueton. Aug. 23.

Disciplina, i. e. exercitatione armorum. Flor. IV. 12. 17. *ille barbarus et signis militaribus, et disciplina, armis etiam Romanis, assueverat*.

Cultu, i. e. vestitu. v. inf. 44. et ibi Burm.

Quondam, i. e. aliquando, quodam tempore. Virgil. Aen. II. 367. *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus*. Ovid. Ep. XVII. 71. *acceptissima quondam Munera sunt, auctor quae pretiosa facit*. ubi v. Heins.

Decedentibus. Graevius legere malit, *dein cedentibus*. Certe *decedere* hoc sensu nemo Latinorum dixit. v. Intt. ad h. l.

Supplicationes, decernebantur vel ob res adversas, e. g. nuntiatis prodigiis, et aliis, quae cladem minitarentur, vel ob res prospere gestas, aut mala, quae imminerent, depulsa. v. Liv. X. 21. XXXI. 22. Posterioris generis supplicationes etiam gra-

gratulationes dicebantur. v. Cic. Phil. XIV. 3. ad Div. XI. 18. et ibi Graev. olim supplicationes tantum in unum diem indicebantur, deinde in triduum, quatriduum, usque ad XX. dies; semel in quinquaginta dies. v. Caesar. de B. G. IV. 38. VII. 90. Cic. Phil. XIV. 11.

25. *In imperio.* Duplex est imperium, quod magistratus habent, alterum *civile*, quod est magistratuum urbanorum, et provincialium; habetque prehensionem, animadversionem, coërcitionem, in provincia quoque ius securium: alterum est *militare*, quod habet potestatem belli gerendi, et exercitus habendi, non autem iuris dicendi. Priore qui praediti sunt, *in imperio esse:* posteriore qui praediti, *cum imperio esse* dicuntur. De imperio, et discrimine harum formularum v. Sigon. de ant. iur. prov. III. 14. et Ernest. Clav. Cic. v. Imperium.

In provinciae formam redegit, i. e. ademtis aut immutatis legibus eam magistratui Romano quotannis ab urbe mittendo subiecit, ac vectigalia, conventusque constituit. v. Tib. 37. et Sigon. de ant. iur. prov. I. 1.

Stipendii nomine, i. e. loco stipendii, pro stipendio. Caesar de B. G. VIII. 4. *duo millia numum, praedae nomine, condonanda pollicetur.* ubi v. Oudend.

Germanos, qui trans Rhenum incolunt. Utitur ipsis verbis Caesaris de B. G. I. 1. *Colere* et *incolere* saepe sine casu ponuntur. Liv. V. 33. *Inter Apenninum Alpesque incolebant.* XXI. 31. *incolunt prope Allobroges.* ubi v. Intt.

Pecunias et obsides imperavit, i. e. dare coëgit. Frequens historicis loquendi formula, *milites, naves, pecunias, frumentum imperare.* v. Nepot. Conon. 4. Liv. IX. 45. et ibi Drakenb.

In

In Britannia, i. e. apud vel prope Britanniam. Non raro ita sumitur haec praepositio. Propert. I. 1. 11. *Parthenis amens errabat in antris.* ubi v. Broukhus. Lucan. V. 189. *Rheni mihi Caesar in undis Dux erat.* Iust. 36. *Dolabella classem in Illyrico amisit.* Sic Graeci quoque praepositione ἐν utuntur. v. Perizon. ad Aelian. V. H. II. 25.

Legati, praesidibus in omni provinciali ac bellico munere adiutores dabantur. Cicero in Vatin. 15. eos vocat *nuncios pacis ac belli*, *curatores*, *interpretes*, *bellici consilii auctores*, *ministros muneris provincialis.* Numerus legatorum a Senatu decernebatur: deligendi potestas penes praesides erat, sic tamen ut consilium et consensus Senatus interveniret. v. Cic. ad Att. II. 14. Sallust. Iug. 28. et ibi Cort. Legionibus singulis singuli legati praeerant. v. Caesar. de B. G. VII. 90. Plura Manut. ad Cic. ad Div. I. 7. et Sigon. de ant. iur. prov. II. 2.

26. *Fieri censuisset.* Verbum *censere* frequentissime ponitur cum infinitivo praesentis pro futuro. Liv. II. 5. *de bonis regiis, quae reddi ante censuerant.* pro reddenda esse: ubi v. Gronov. Iustin. XIII. 2. *Perdicca censet, Roxanes exspectari partum.*

Ferre ad populum, dicitur magistratus, qui legem populo proponit. Quae sollemnis in hac re formula est. v. Brisson. de Form. II. p. 206.

Altiora meditans, i. e. summum locum in rep. Liv. IV. 13. *Ipse ad altiora et non concessa tendere.* v. quae notavimus ad Vell. Pat. II. 8.

Manubiae, dicuntur praeda, et res omnes hostibus manu detractae. v. Gell. XIII. 24. et quos laudat Duker. ad Liv. XXXVI. 36. Plerumque tamen dicuntur de ea praedae parte, quam imperator capit,

ut

et in monumento aliquo publico consumat. Unde illa inscriptio templo praefixa, apud Gell. I. 25. *Ex manubiis*. v. Cic. Verr. I. 59. Agrar. I. 4. et ibi Graev.

- *Epulum*. Romani in funere epulas, quas *silicernium* vocabant, amicis dare solebant. v. Duker ad Liv. XXXVII. 57. Voss. Etymol. v. Silicernium. Sed luxu crescente, viri illustres in suorum funere plebi epulum, post ludos gladiatorios, dabant. v. Cic. pro Muren. 36. in Vatin. 12. Hoc epulum vel cibis coctis vel crudis constabat. Crudae carnis distributio proprie *visceratio* dicebatur. v. Cic. de Off. II. 16. Murator. Inscr. T. II. p. 610. inpr. Casaub. ad cap. 37.

- *Macellarii*, sunt, qui carnes crudas, coctasque, et omne genus obsoniorum vendunt. v. Tiber. 34. et Casaub. ad h. l.

- *Domesticatim*, i. e. per domos privatorum, vel aliorum.

Apparare, proprie dicitur de epulis splendidis, lautis, opiparis. Liv. XXIII. 4. *apparatis accipere epulis*. ubi v. Drakenb. Iustin. I. 6. *eosdem postero die apparatis epulis invitat*. Vitell. 10. *profusissimi obsoniorum apparatus*.

- *Infestis spectatoribus*. In arena regnabat partium studium. Itaque populus, cuius hic praecipuum ius erat, modo intercedebat pro gladiatoribus victis et laesis, modo interfici iubebat. v. Lips. Saturn. II. 22.

Ludus etsi in genere dicitur de omni conventu discendi caussa instituto, peculiariter tamen dicitur locus, in quo ars gladiatoria discebatur et exercebatur. inf. 31. *Formam, qua ludum gladiatorium erat aedificaturus*. Caesar de B. C. I. 14. *gladiatores*,

res, *quos ibi Caesar in ludo habebat*. v. Broukhus. ad Tibull. I. 4. 45. et Perizon. ad Sanct. Min. IV. 16. p. 832.

Lanista, est gladiator veteranus, et rude donatus, qui tirones, vel novitios gladiatores in ludo exercebat. v. Liv. XXXV. 33. et ibi Gronov.

Erudiebat, i. e. curabat eos erudiri. Nepos Att. 1. *hic omnibus doctrinis filium erudivit*.

Dictata, sunt, quae discipulis praescribuntur a magistro. *Lanistarum dictata* alii quoque dixerunt apud Casaubon. ad h. l.

Exercentibus, Graeco more dicitur pro *exercentibus se*. Vitruv. II. 1. *sollertia ingenia exercendo per consuetudinem ad artes pervenissent*. Lactant. III. 17. *pigrum prohibet exercere*. Aug. 98. *spectavit assidue exercentes ephebos*. ubi v. Casaub.

Stipendium duplicavit. Antea pedites habebant duos obolos diurnos, et equites sex obolos. v. Lips. de Milit. Rom. V. 16. et Gronov. de P. V. III. 1. p. 123.

Et praedia. Fidem excedit, Caesarem tot millibus hominum praedia viritim divisisse. Et unde tantam praediorum copiam habuisset? Omnino probanda doctissimorum virorum emendatio, *ex praeda*. Respexit Sueton. ipsius Caesaris testimonium de B. G. VII. 89. *ex reliquis captivis toto exercitu capita singula, praedae nomine, distribuit*. *Ex praeda* tanquam ex formula dicitur. Liv. XXXI. 20. *militibus ex praeda CXX. asses dedit*. Ceterum Caesar hanc largitionem fecit contra vetera reip. instituta. Nam militibus, mancipiis exceptis, reliqua praeda concedebatur. Mancipia extra praedam erant, et a quaestore vendebantur, quodque inde redactum erat, in publicum redigebatur. v. Cic. ad Att.

V.

V. 20. Duker. ad Liv. XXXVIII. 25. et Oudend. ad h. l.

27. *Necessitudo*, est coniunctio, quae oritur ex sanguine, affinitate, collegio, amicitia, vel ex eiusmodi caussis, quae nobis necessitatem amoris benivolentiaeque afferunt. v. Claud. 6. et Ernest. Clav. Cic. h. v. Eadem coniunctio etiam *necessitas* dicitur a Cicerone pro Rosc. Am. 24. pro Sulla 1.

Conditionem, per appositionem vocat ipsam Octaviam. *Conditio* frequentissime dicitur de coniunctione vel sponsaliorum, vel nuptiarum. Sed ut *matrimonium* pro uxore, sic *conditio* pro marito vel uxore ponitur. Terent. Phorm. IV. 1. 13. *hanc conditionem si cui tulero extrario.* Liv. III. 45. *sibi conditionem filiae quaerendam esse.* ubi v. Drakenb. Marmor. ap. Taylorum Lect. Lysiac. III. p. 684. *ut tu ipsa mihi conditionem quaereres.* quod, nihil caussae erat, cur a viro docto tanquam rarum honesto sensu notaretur. v. Graev. ad h. l.

Circa esse, dicuntur amici, familiares, comites. Terent. III. 5. 33. *paucae, quae circum illam essent, manent.* Nepos Eum. 10. *Sed non passi sunt hi, qui circa erant.* Liv. I. 41. *moribundum, qui circa erant, excipiunt.* v. Casaub. ad h. l. et ad Domit. 9. Broukhus. ad Tibull. I. 5. 87. Eodem sensu in Calig. 10. dicitur: *qui iuxta erant.*

Congiarium, est nomen muneris, quo liquida *congio*, i. e. vase, quod mensuram sex sextariorum capit, populo dividebantur. v. Liv. XXV. 2. et Duker. ad XXXVII. 57. Initio non nisi congii olei dabantur, post, largitione invalescente, etiam frumentum, vel pecunia adeo, remanente nihilominus nomine congiarii. v. Aug. 41. Tib. 20. Calig. 17. *Congiarium* semper distinguitur a *donativo*. Nam illud in mul-

multitudinem, hoc in milites erogabatur. Ner. 7. *deductus in forum tiro populo congiarium, militi donativum proposuit.* Sunt tamen loca Ciceronis ad Att. X. 7. XVI. 8. ubi *congiarium* dicitur pro *donativo.*

28. *Super*, ponitur pro praeter. Aug. 8. *approbata morum indole, super itineris industriam.* Tib. 75. *exacerbati, super memoriam pristinae crudelitatis, etiam recenti atrocitate.* v. Burm. ad Phaedr. III. 11. 2.

Praecipuis operibus, i. e. magnificis, splendidis.

Attonitus, proprie est tonitru stupefactus. v. Serv. ad Aen. III. 172. Unde transfertur ad fanaticos et furibundos, ut apud Valer. Flacc. VII. 635. *attoniti Phryges.* v. Dan. Heins. Lect. Theocrit. VI. p. 314. item ad eos, qui subito pavore stupent. Ovid. Met. VIII. 681. *Attoniti novitate pavent.* Itaque *attoniti* et *stupentes* saepe coniunguntur. Flor. II. 12. 13. *ipsumque regem attonitum adhuc, tanquam subito malo stupentem.* ubi v. Duker.

Edicto. Nempe quo Senatus convocabatur. Nam consules, aut alii magistratus, quibus Senatum habendi ius esset, Senatum vel per praeconem, vel, edicto proposito, in curiam vocabant. v. Intt. ad Liv. III. 28.

Summa respublica, est res, a qua universae reipublicae salus pendet. Cic. pro Planc. 27. *summa respublica mihi domi fuit gerenda.* Liv. XXVI. 2. *ibi de summa republica consultatum.* ubi v. Gronov. Dicitur quoque *summa reipublicae.* Cicero Catil. III. 6. *consului Senatum, de summa reipublicae quid fieri placeret.* ubi Graevius praeter rem corrigit *de summa republica.* v. Cic. de Inv. I. 16. Verr. II. 10. Aliquando eodem sensu dicitur *summa res*, et *summa rerum.* Liv. XXIII. 49. *ibi rem sum-*

summam agi cernentes. IV. 14. *principes Senatus relationem consulis de summa rerum laudare.* v. Gronov. ad Liv. XXXVIII. 50. et Drakenb. ad VIII. 26.

Quando nec etc.. Nihil verius doctorum virorum emendatione: *quando et plebiscito Pompeius postea obrogasset.* Caesari plebiscito privilegium datum erat, ut absens secundum consulatum petere posset. Hoc plebiscitum non abrogavit Pompeius, sed ei obrogavit, cum, vel per oblivionem, vel dedita opera, lege sua omnes absentes ab honorum petitione removisset, nec ullis verbis excepisset Caesarem. *Abrogatur lex*, cum prior alia posteriore prorsus tollitur. *Obrogatur legi*, cum aliquid ex priore lege mutatur. v. Ulpian. Fragm. I. §. 3. et ibi Schulting. Cic. ad Att. III. 23. *Quod per legem Clodiam promulgare, abrogare, derogare, obrogare, sine fraude sua non liceat.* Idem apud Lactant. VI. 8. *huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet; neque tota abrogari potest.* v. Duker. ad Flor. III. 15. p. 562. et Oudend. ad h. l.

Capite, i. e. parte. Cic. ad Div. III. 8. *prima duo capita epistolae tuae.* ubi v. Graev. Sueton. Claud. 3. *capita ex ipsius epistolis posui*, i. e. partes excerptas. Hinc factum est, ut minores librorum sectiones, quae veteribus non usitatae erant, *capita* dicerentur.

Lege in aes incisa. Lex perlata, vel populo probata, aereis tabulis incidebatur, et ad aerarium, quod in Saturni et Opis templo erat, deferebatur. v. Cic. Phil. I. 10. Liv. II. 33. et Manut. de Legib. 38.

Privilegium, dicitur lex, quae ad *privos*, i. e. singulos homines pertinet. Privilegium vel in beneficium, vel in poenam alicuius ferebatur. v. Gell. X. 20. Prioris generis est privilegium Caesari da-

tum h. l. quod ipse *populi beneficium* vocat de B. G. I. 9. Posterioris generis privilegium dare vetuit Lex XII. Tabb. v. Cic. pro Domo 17. pro Sext. 30. de Legg. III. 19.

Per ambitionem, i. e. ad comparandum sibi favorem. *Ambitio* est captatio gratiae ac favoris. Liv. III. 47. *quod ius sibi per ambitionem dictum non esset.* XLV. 36. *in uno nimis se per ambitionem peccare.* ubi praeclare de hac voce magnus Gronovius. Sic *ambitiose facere* dicitur, qui quid facit non ob aliam caussam, quam ut alterius gratiam captet. Cic. ad Div. III. 7. *cum in isto genere multo etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus et dignitas postulat.* ubi v. Graev. Sueton. Aug. 25. *ambitiosius id existimans, quam sua domusque suae maiestas postularet.* ubi plura habent Intt.

Ultra praescriptum, i. e. ultra praeceptum legis. *Praescriptum* proprie praeceptum dicitur a magistris ludi, qui scripta pueris dant, praecipiuntque imitari. v. Schol. ad Horat. II. Carm. 15. 11. Lege de coloniis deducendis ius Latii tantum Novocomensibus datum erat. At Caesar iis dedit ius civitatis, gratiae colligendae caussa. v. Ernest. ad h. l.

29. *Ordo* est locus, conditio. Cic. ad Div. XIII. 53. *Nasone utor familiarissime, ita prorsus ut illius ordinis nullo familiarius.* ubi v. Manut.

Novissimum, i. e. postremum, ultimum: quoniam quae recens fiunt, ultimum locum habent. Hac significatione *novissimus* Varronis demum aetate dici coepit, quem videte de L. L. V. p. 55. Nec tamen refugit Cicero, ut Gellius ait X. 21. Nam pro Rosc. Com. 11. hac voce utitur: *Itaque perbrevi tempore, qui ne in novissimis quidem erat histrio-*

strionibus, ad primos pervenit comoedos. Nec vitavit Caesar de B. G. I. 15. *qui cupidius novissimum agmen insecuti.*

Fratri patrueli. Cum apud Romanos fratres eorumque liberi in unius avi, si superesset, domo et potestate simul manerent, factum est, ut ex fratribus orti, et una educati, *fratres* dicerentur, vel addito nomine *patrueles*, vel subintellecto. v. Gronov. Observ. II. 6. et Perizon. Anim. Hist. c. III. p. 105.

E parte diversa. Notandus est numerus singularis *parte* de factione. Nam plerumque numero plurali dicuntur. Liv. Epit. 84. *qui partem optimatium secutus erat.* ubi v. Drakenb.

Deprecari duplici potestate dicitur. Nam *deprecamur*, vel cum expetimus aliquid, vel cum recusamus. Prior significatio hic patet. Cic. ad Div. XII. 24. *Senatus legatos ad pacem deprecandam miserat.* v. Manut. ad IV. 7. Utramque significationem in eodem loco coniunxit Iustin. XI. 9. *Non mortem, sed dilationem mortis deprecantur*, i. e. non mortem recusant, sed mortis dilationem, etiam atque etiam precantur. v. Drakenb. ad Liv. XL. 15. Praepositio *de* magnam vim habet in talibus verbis.

Pepigit, i. e. pacisci voluit. Videte notata ad cap. 15. Est autem *pangere* et *pacisci*, promittere aliquid sub conditione. v. I. Perizon. ad Melam I. 7.

30. *Interveniente*, i. e. auctoritatem suam interponente. Saepe sic est apud IC. videte Brisson. de V. S.

Praetextum neutro genere rarius est. v. Tacit. Hist. II. 100. III. 8. et Intt. ad h. l.

Consummare opera. Intelligit forum, quod de manubiis inchoaverat, de quo supra. *Consummare*

proprie est summas rationum colligere, et in unam coacervare. Quod quia in rationibus conficiendis ultimum est, *consummare* ponitur pro absolvere, perficere. Plin. X. Ep. 48. *consummare opera, ut inchoata sunt.*

Instituerat, i. e. inchoaverat. Cic. ad Div. XIII. 2. *propter opera instituta multa multorum.*

Populi exspectationem. Intelligit munus, epulumque in filiae memoriam, quod populo pronuntiarat, de quibus cap. 26.

De adventu suo. Codices quidam habent, *de adventu sui.* Quae lectio non est spernenda, iudice Oudendorpio. Nam saepe *sui* pro *suus*, *mei* pro *meus* ponitur. Virgil. Aen. IV. 654. *Et nunc magna mei sub terras ibit imago.* Ovid. Met. I. 30. *Et pressa est gravitate sui.* ubi v. Burm. Caesar de B. G. I. 4. *omnem sui familiam:* ubi plura collegerunt Intt.

Permiscere. Miscere et *permiscere* proprie dicuntur, qui turbas et seditiones excitant in republica. Cic. Agrar. II. 33. *qui turbulentis SC. iniquis imperiis rempublicam miscerent.* Nepos Pausan. 1. *qua victoria elatus plurima miscere coepit.* Sallust. Iug. 41. *moveri civitas, et permixtio civilis oriri coepit.* ubi v. Cort.

Denunciare saepe est palam aliquid dicere, idque cum ira et minis. Cic. ad Att. XV. 20. *genus illud interitus quasi denunciatum nobis ab Antonio.* Tibull. III. 5. 5. *At mihi Persephone nigram denuntiat horam.* Inf. 75. *denuntiante Pompeio, pro hostibus se habiturum.*

Delaturum se nomen eius. Reo in ius vocato, in iudicio privato, postulabatur a Praetore, ut liceret actionem intendere, in publico, ut liceret nomen de-

deferre. Hinc *deferre nomen* dicitur pro accusare. Cic. pro Rosc. Amer. 3. *nonnihil tamen in deferendo nomine secuti.* Verr. II. 28. *apud Verrem eiusdem rei nomen detulerunt.* v. Sigon. de Iudic. II. 9.

Simul ac primum. Poterat abesse *primum.* Sed hae particulae interdum geminantur. Cic. Verr. I. 13. *simul ac primum ei occasio visa est.* Ner. 43. *simulac primum provinciam attigisset.* v. Intt. ad h. l.

Prospicere, est ex altiore loco videre. Ovid. Ep. II. 124. *Prospicio quis freta ventus agat.* Liv. XXIV. 21. *Pars ex tectis fenestrisque prospectant.* v. Burm. ad Virgil. Aen. I. 155. et Drakenb. ad Liv. XXII. 6.

Ad verbum, i. e. nullo verbo immutato. Barbari hodie dicunt *verbotenus.* v. Cellarii Curas posterior. p. 345.

Hoc voluerunt, i. e. hoc eorum consilium fuit. Terent. Andr. I. 2. 9. *id voluit.* Ita alii in principio orationis dicunt: *Hoc erat.* v. Bentlei. ad Lucan. I. 299.

Rapiendae, i. e. occupandae. *Rapere* non modo celeritatem, sed etiam vim significat. Iustin. XXXVIII. 5. *raptam sibi esse victoriam.* v. Duker. ad Flor. II. 6. p. 266.

Aetate prima. Forte legendum *ab aetate prima*, ut placet Dukero ad Liv. XLII. 34. Sic dicitur *ab ineunte aetate*, *a principio aetatis.* v. Aug. 3 et 84.

Pietatem colas, i. e. facias, quae pietas postulat. Terent. Hecyr. III. 4. 33. *faciam tamen, ut pietatem colam.*

31. *Forma*, est delineatio et descriptio operum aedificiorumque, antequam excitantur. Cic. ad Div. II. 8. *ut ex tuis literis cum formam reipublicae vi-*

 de-

derim, quale aedificium futurum sit, scire possim. ubi v. Manut. et Graev. ad Div. III. 11. *ad me quasi formam communium temporum et totius reipublicae misisti expressam.* Sic *formare* et *deformare* dicuntur architecti, qui futuri aedificii imaginem figuris exprimunt. v. Vitruv. I. 1. et Broukhus. ad Tibull. II. 5, 23.

Pistrinum locus est, ubi fruges tostae contunduntur, ab antiquo verbo *piso*, vel *pinso*, unde etiam *pistor* derivatur, v. Voss. Etymol. v. Pinso.

Luminibus, i. e. facibus, vel lucernis laternae inclusis, de quibus erudite disputat Casaub. ad h. l.

Ad lucem, i. e. sub lucem, prope lucem. Saepe praepositio *ad* tempus significat. Domit. 16. *ad mediam noctem*, ubi v. Graev. Cic. de Amic. 3. *domum reductus ad vesperum est.* v. Gronov. ad Senec. de Benefic. IV. 6. et Oudend. ad h. l.

32. *Cunctanti*, i. e. haesitanti, deliberanti. v. inf. 80.

Aeneatores, sunt cornicines, sive qui cornibus canebant, quod ex aere fieri coepta sunt, quae ante ex cornu animalis. v. Fest. h. v. et ibi Scalig.

Spiritus, proprie dicitur de illis, qui instrumenta musica inflant.

Classicum, intellecta voce *signum*, est sonus tubae, vel ipsa tuba. v. Serv. ad Aen. VII. 637. Classico signum dabatur vel ad iter, vel ad pugnam, vel ad vigilias. v. Polyb. VI. 38. Propert. IV. 4. 61. Tibull. I. 1, 46. et ibi Broukhus. Vox ducitur a classe, quod olim tali sono classes ad concionem vocabantur. v. Lips. de Milit. Rom. IV. 10.

Iacta alea esto, i. e. res fortunae commissa sit. Graeci eodem sensu: ἀνεῤῥίφθω κύβος, ut praeclare Casaubon. ad h. l. *Alea*, quoniam, ut Petronius ait, *iudice fortuna cadit*, pro ipsa fortuna et ca-

casu ponitur. Horat. II. Carm. 1. 6. *Periculosae plenum opus aleae.* Liv. XXXVII. 36. *Nihil ea moverunt regem, tutam fore belli aleam ratum.*

33. *Adhibitis tribunis plebis*, i. e. productis in tribunal, unde concionabatur. v. Ernest. ad h. l.

Fidem militum invocavit. *Fides* in hac formula significat auxilium. Liv. I. 7. *fidem pastorum nequicquam invocans.* Tib. 75. *implorantes hominum fidem.* Frequentissima formula est: *proh! Deum atque hominum fidem.* v. Serv. ad Aen. X. 19. et Brisson. de Form. VIII. p. 694.

Veste discissa. Non soli populi orientales, sed etiam Romani, in omni graviore commotione vestem discindere solebant. v. Casaub. ad Aug. 52.

Equestris census, est definita bonorum summa, quam, qui in ordinem equestrem legi vellet, possidere debebat. Ovid. Amor. III. 8. 55. *Curia pauperibus clausa est: dat census honores. Inde gravis iudex, inde severus eques.* Erat autem hic census quadringentorum millium sestertiorum, ut ipse Suetonius scribit in fine capitis. Horat. I. Ep. I. 57. ex emendatione R. Bentleii: *Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque: Sed quadringentis sex septem millia desint; Plebs eris.*

Alloqui militem proprie dicitur imperator, qui orationem ad milites habet. Galb. 18. *adoptionis die milites allocuturo.* Hinc in numis celebratur *Allocutio Augg.*, i. e. concio militaris. v. Spanhem. de U. et P. N. XIII. p. 627.

Concionantem, i. e. verba facientem, orationem habentem. Minus recte Graevius scribit ad Cic. Catil. IV. 5. hoc verbum plerumque malam in partem sumi.

Pro dicto, i. e. tanquam dictum. Plaut. Menaechm.

 II.

II. 2. 24. *Pro sano loqueris.* v. Drakenb. ad Liv. VI. 41.

Ius annulorum. Inter equitum insignia referendum ius annuli aurei, ipsis commune cum Senatoribus, quos iam antiquissimis temporibus hoc ius habuisse scribit Plin. H. N. XXXIII. 1. Idem cum equitibus ante bellum Punicum II. communicatum esse, intelligitur ex Livio XXIII. 12. Hinc qui postea annulo aureo donabantur, in ordinem equestrem allecti habebantur. v. Sueton. Galb. 14. Vitell. 12. Tacit. H. II. 57. et Sigon. de ant. iur. civ. Rom. II. 3.

Fama distulit, i. e. sparsit, disseminavit: quod fere in malam partem dicitur. *Fama* hic nominativus est, ut apud Senecam Hippol. 789. *Omnes per populos fabula distulit.* Sed recte quoque per ablativum dicitur *fama differre*, ut apud Liv. XXXIV. 49. *qui male commissam libertatem populo Rom. sermonibus distulerint.* v. Burm. et Oudend. ad h. l.

34. *Sic se habent.* Poterat etiam sine pronomine dixisse: *sic habent.* Terent. Adelph. III. 3. 10. *omnem rem modo seni, Quo pacto haberet, enarramus.* v. Drakenb. ad Liv. XXII. 59.

In deditionem redacto. Urbes obsessae, inprimisque homines, qui obsidione ad deditionem compelluntur, proprie dicuntur *redigi*, *accipi*, *venire in deditionem.* Inf. 74. *Piratas cum in deditionem redegisset.* Caesar de B. G. VI. 9. *qui ante obsides dederant, atque in deditionem venerant.* v. Oudend. ad h. l.

Transfretaturi, i. e. trans fretum ituri, traiecturi. Est verbum aetatis argenteae. Plin. Paneg. 81. *transfretare obstantia freta.* ubi v. Swarz.

Moras, i. e. impedimenta. Sil. Ital. VIII. 33. *sola*

la illa Latinas sub iuga mittendi mora. ubi vim exemplorum collegit Drakenb.

Appellare patres de rep. est agere cum Patribus de republica. Cic. Verr. I. 41. *appellat Annium, docet hominem quid fieri posset.* Nepos Attic. 8. *appellatus est a L. Flavio Atticus.*

35. *Transgressus.* Asinius Pollio ap. Gell. X. 26. negat *transgredi* recte dici de transmissione maritima, reprehenditque Sallustium, qui ita dixerit. Sed inanis observatio est, quam meliorum scriptorum exemplis refellit Cortius ad Sallust. Fr. p. 955.

Deprehendit, i. e. suis oculis conspexit. Flor. II. 17. 12. *cadentem in maria solem deprehendit.* Seneca Oedip. 916. *infandum genus deprendit.* v. Burm. ad Lucan. IV. 172.

Insidias tendi, i. e. strui. Metaphora est ab aucupibus, qui retia tendunt avibus.

Hiems anni, est tempus anni hibernum. Notanda haec locutio, de qua optime Servius ad Aen. II. 311. *Veteres hiemem anni dicebant, ne tempestas posset intelligi.* Apuleius Apol. p. 88. *hiems anni erat.* ubi v. Pricaeum. Ad eundem modum Gellius II. 21. dixit *anni aestatem.* v. Casaub. ad h. l.

Praesidem, de more sui temporis dicit praefectum provinciarum. v. Flor. II. 17. p. 402. et ibi Duker.

Ponti nomine appellantur omnes regiones, quae ad Pontum Euxinum sitae sunt.

Quam adfuerat, i. e. postquam adfuerat. Liv. XXVIII. 16. *quinto, quam exercitum accepit.* ubi v. Intt. Tib. 60. *In paucis diebus quam Capreas attigit.* Rationem loquendi explicat Perizon. ad Sanct. Min. II. 9. 5. Sic *quam* etiam pro antequam dicitur. Vell. Pat. II. 49. *annis septingentis tribus, quam consulatum inires.* v. Burm. ad h. l.

Quatuor horis, i. e. intra quatuor horas. Sallust. Iug. 11. *illum his tribus annis adoptatione in regnum pervenisse.* Cic. pro Arch. 4. *si sexaginta diebus essent professi.* v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 6. p. 688.

Refoventes, i. e. reficientes vires, quas ante in bello amiserant. *Fovere* proprie est incubando calefacere. v. Broukhus. ad Tib. I. 9. 30. Hinc *refovere* per translationem dicitur pro reficere, reparare. Vell. Pat. II. 113. *ad refovendas ex itinere exercitus vires.* Plin. Paneg. 69. *Hoc amplexatur, et refovet, et in usum reipublicae promit.* ubi v. Swarz. Lact. Epist. 65. *aegros pauperes visere atque refovere.*

36. *Per*, i. e. ope et auxilio. Liv. XXXV. 42. *idem damni fore, ac si exercitus per alium ducem amittantur.*

Consciscere, proprie est statuere apud se, et decernere. Hinc *consciscere sibi mortem* significat decernere, atque adeo inferre sibi mortem. Liv. IX. 26. *mors haud dubie ab ipsis conscita.* ubi v. Drakenb.

37. *Hispaniensem*, i. e. de exercitu in Hispania degente. Sosipater Charis. II. p. 82. *Cum dicimus Hispanus, nomen nationis ostendimus, cum autem Hispanienses, cognomen eorum, qui provinciam Hispaniam incolunt, etsi non Hispani.* Sic *exercitus Hispaniensis* est apud Liv. XXIII. 48. Flor. IV. 2. 23. In genere adiectiva, quae in *ensis* exeunt, designant res hominesque, qui sunt in aliqua regione, sed aliunde originem habent. *Romanus*, qui Romae natus est: *Romanensis*, qui Romae degit. *Siculus*, qui in Sicilia ortus est: *Siciliensis*, qui incolit Siciliam, aliunde ortus. v. Fest. v. Corin-

rinthienses, et Intt. ad Vellei. Paterc. II. 51. Idem discrimen apud Graecos in Ἰταλὸς et Ἰταλιώτης, Σικελὸς et Σικελιώτης, etc. v. Ammonium in his vocibus, et ibi Cl. Valckenar.

Apparatu et instrumento. Intelligit variam ferculorum materiam, de qua Vell. Pat. II. 56. *Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitit.*

Velabrum, est locus inter Palatinum et Aventinum montes, ubi propter crebras exundationes traiectus in forum erat. Videte quos laudat Broukh. ad Tibull. II. 5. 33.

Praetervehens. Vehere cum compositis saepe neutraliter dicitur, intellecto pronomine *se.* Cic. Brut. 97. *per medias laudes quasi quadrigis vehentem.* Liv. XXII. 49. *Cum praetervehens equo consulem vidisset.* v. Gronov. ad II. 19. Ceterum MSS. quidam hic exhibent *praevehens*: eaque lectio praeferenda videtur. Nam *prae* in compositione saepe idem valet, quod *praeter*, ut *praefluere*, *praeferri*, *praenavigare*, pro *praeterfluere*, etc. v. Gronov. ad Liv. XXIX. 32. et Intt. ad h. l.

Diffracto, i. e. medio dirupto. Alii Codices habent *defracto*, i. e. parte axis abrupta. Hoc enim discrimen est praepositionum *de* et *dis* in hoc verbo. Virgil. Aen. XI. 749. *tum summa ipsius ab hasta Defringit ferrum.* v. Bentl. ad Horat. II. Serm. I. 79. et Intt. ad h. l.

Ad lumina, luminibus iam accensis. Horat. II. Ep. 2. 97. *consumimus hostem Lento Samnites ad lumina prima duello.* Ovid. Met. IV. 222. *famulas ad lumina cernit.* v. Drakenb. ad Sil. Ital. I. 66.

Sic

Sic *ad lunam* pro luna lucente. Petron. 103. *notavit sibi ad lunam tonsorem.* ubi v. Burm.

Lychnuchos. Omnino legendum *lychnos*, ut Codd. quidam habent. *Lychnuchi* sunt, qui gestant lychnos, neque hic locum habere possunt. At elephanti a dextra et sinistra currus triumphalis et ferculorum incedentes, lychnos proboscide gestabant, ut viri docti e numis demonstrarunt. v. Intt. ad h. l.

Ferculum, a ferendo, proprie est instrumentum, in quo quid ponitur ferendum. Sed ipsa quoque res, quae fertur, ferculum dicitur, ut h. l. Cic. de Offic. I. 36. *ut pomparum ferculis similes esse videamur.*

38. *In pedites singulos.* Praepositio *in* locum habet in distributionibus. Liv. XXX. 17. *legatis in singulos dona.* Virgil. Aen. V. 62. *Bina boum — Dat numero capita in naves.* Tacit. Ann. II. 67. *Thracia in liberos Cotyis dividitur.*

Assignavit, i. e. distribuit. Proprium hac in re verbum est *assignare.* Cic. ad Div. XI. 20. *Aequaliter aut sorte agros legionibus assignari.* Agrorum militibus assignandorum initium factum est a Sulla, post a Caesare et Augusto probatum: ex quo ortae sunt coloniae militares, de quibus v. Sigon. de ant. iur. Ital. III. 4.

Continui agri, sunt ita iuncti, ut non alius intercedat. Ovid. Met. VIII. 588. *continuam deduxit humum.* Sic *continentes paludes* ap. Caesar. de B. G. VI. 31. ubi v. Dion. Vossium.

Populo. Populi nomen omnes ordines complectitur. Sed *frumenti* et *olei* mentio ostendit, *populum* h. l. intelligendum esse eam partem populi, quae proprie *plebs* dicitur. Putat quidem Lipsius, de Magnit. Rom. II. 12. Suetonium praeter morem an-

antiquum locutum esse. Sed Livius quoque *plebem* vocat *populum*, VII. 42. *Tribunum plebis tulisse ad populum.* ubi v. Drakenb. item XXXI. 50. *frumenti vim Aediles curules populo diviserunt.* ubi v. Duker. Martial. VIII. 50. *Vescitur omnis eques tecum populusque, patresque.*

Annuam habitationem. Veram huius loci sententiam unus vidit Gronov. de P. V. II. 2. Caesar omnibus, qui non supra bina millia HS. mercedem conductae habitationis solvere debebant, tum in urbe, tum in Italia aliquid largitus est. In urbe pro iis de suo solvit omnem pensionem anni aedium dominis: in Italia pro iis tantum solvit quingenos sestertios, quae non nisi trium mensium pensio erat.

Ac viscerationem. E libris antiquis scribendum: *ad viscerationem.* Nam si haec per copulam *ac* iungere voluisset, non *adiecit*, sed *dedit* vel *praebuit* scripsisset. v. Intt. ad h. l. De *visceratione* diximus ad cap. 26.

Prandia. In Fabri Lexico nescio quis annotavit, *epulum* ad magistratus et *senatum*, *prandia* ad populum pertinere. Qui manifestus error est. *Epulum* dicitur convivium sollemne, quod Senatui et populo datur. *Prandium* item convivium est, quod Senatui et populo datur, sed minus sollemne. Nam prandium apud Romanos ex levioribus tantum cibis parabatur.

Pro liberalitate, i. e. ut conveniebat liberalitati. Liv. XXIX. 32. *Copiis maioribus, quam pro reliquiis belli, remissis.* XXXII. 16. *ornamenta plura, quam pro urbis magnitudine aut opibus ceteris, inventa.*

39. *Ludos*, simpliciter dicit ludos scenicos, ut hi-

histrionum mentio indicat. Asinius Pollio Ciceroni X. 32. *histrionem summo ludorum die annulo aureo donavit.* v. Ernest. ad h. l.

Regionatim, i. e. in omnibus urbis regionibus. Nam urbs in varias regiones divisa erat. v. Aug. 30. et ibi Casaub.

Circenses ludi sunt, qui in circo edebantur. Hic tum alia ludorum genera celebrabantur, tum inprimis certamina curulia bigarum quadrigarumque, et equestria singulorum equorum. v. Claud. 21. Domit. 4.

Athletas, Graeci vocabant omnes, qui virtutis gratia in quolibet certaminis genere exercebantur, Romani tantum pugiles et luctatores. v. Aug. 45. Neron. 40.

Naumachiam, i. e. ludicrum pugnae navalis spectaculum.

Foro. Gladiatorum munera dabantur in foro, in circo, in amphitheatro, in septis. v. Tiber. 7. et Lips. Saturn. I. 17.

Depugnare, ponitur pro simplici pugnare, et proprie dicitur de gladiatoribus. Calig. 14. *qui depugnaturos se armis pro salute aegri voverent.* Petron. 19. *ut, si depugnandum foret, ipse cum Quartilla consisterem.* ubi v. Burm. Aliquando *depugnare* hanc vim habet, ut significet, ad mortem, vel ad victoriam usque pugnare. Cic. ad Div. X. 32. *Cum depressus in ludum bis gratis depugnasset.* Par vis est in verbo *decertare* apud Liv. VI. 3. *quibus animi in spe ultima obstinati ad decertandum fuerant.* ubi v. Drakenb.

Pyrricha, erat saltatio armatorum iuvenum, qui ad tubae cantum omnes motus bellicos exprimebant. Eam saltationem descripserunt auctor Epigr. apud Salmas. ad Spartian. Hadr. 19. Claudian. de

VI.

VI. Consul. Honor. 621. v. Spanhem. ad Callim. H. in Iov. 52.

Mimus, est genus poëmatis sive fabulae, quo turpia hominum facta cum lascivia exprimuntur. Ovid. Trist. II. 515. *Scribere si fas est imitantes turpia mimos.* Ex hoc ipso Laberii mimo pulcherrimum fragmentum conservavit Macrob. Saturn. II. 7.

Annulo aureo. Cur, qui iam eques erat, annulo aureo donabatur? Nempe Laberius, cum egit mimum in scena, equestrem ordinem amisit; donatus a Caesare annulo aureo, recepit. v. Casaub. ad h. l.

In quatuordecim. In amphitheatris Senatus sedes orchestra, Equitum equestria, plebis popularia dicebantur. Sed equestria cum quatuordecim gradus tenerent, veteres saepe brevitatis caussa dicebant *in quatuordecim sedere* pro in quatuordecim gradibus vel ordinibus sedere. Asinius Pollio Ciceroni X. 32. *histrionem in quatuordecim sessum deduxit.* Plene Aug. 14. *gregarium militem, in quatuordecim ordinibus sedentem.* v. Lipsium de Amphith. 14.

Producto, i. e. prolato.

Gyrum, i. e. ambitum.

Euripo, i. e. fossa aquae plena, qua Caesar arenam circumdedit ad securitatem spectantium. Rem explicat Plin. H. N. VIII. 7. ubi cum narrasset, Pompeii elephantos eruptionem tentasse, non sine vexatione populi, haec addit: *Qua de causa Caesar simile spectaculum editurus, euripis arenam circumdedit, quas Nero princeps sustulit, equiti loca addens.* v. Lipsium de Amphith. 11.

Desultorii equi sunt, e quibus in cursu transiliebant in alterum. Qui sic corpus alterno equo traiiciebant, proprio nomine *desultores* dicebantur.

v.

v. Manil. V. 85. et Lipsium de Milit. Rom. III. 8. Quod nomen Ovidius Amor. I. 5. 15. transtulit ad hominem levem et inconstantem: *Non sum desultor amoris.* ubi v. Heins.

Troia, est ludus equestris puerorum, quem describit Virgil. Aen. V. 545. seqq.

Hinc et inde, i. e. ex diversis partibus. Hae particulae modo cum copula, ut hic, modo sine copula coniunguntur, ut Ner. 27. *matronae hinc inde orabant.* v. Swarz. ad Plin. Paneg. 22.

Metae, sunt duo corpora conica, alterum ad carceres, alterum ad calcem circi positum, circa quae currus ab aurigis septies flectendus erat. v. Propert. II. 19. 65. Horat. 1. Carm. 1. 4.

Stadium, dicitur locus, quo cursu contenditur.

Codeta, ut Fastus ait, ager est trans Tiberim, sic dictus, quod in eo virgulta nascerentur caudis equinis similia. Ex Suetonio intelligitur, maiorem et minorem Codetam fuisse.

Inter vicos, aut inter vias, i. e. in vicis, aut in viis. Aug. 45. *inter angustias vicorum pugnantes.* Flor. II. 6. p. 316. *Haec inter diversa terrarum populus Rom.* ubi v. Duker. Illa vero praepositionis *inter* repetitio optimis scriptoribus usitata est. Horat. I. Serm. 7. 11. *inter Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem Ira fuit capitalis.* quod non debuerat offendere magnum Bentleium. v. Liv. XXVIII. 8. et ibi Drakenb.

Manerent, i. e. pernoctarent. Cic. ad Att. V. 16. *multis locis ne tectum quidem, et in tabernaculo manere plerumque.* Liv. XLIV. 38. *in quibus castris hac nocte mansimus.* v. Salmas. ad Capitol. M. Anton. 7. et Gronov. ad Senec. de Benef. III. 16. Hinc *mansiones* dicuntur loca, in quibus iter fa-

facientes pernoctant. A *mansio* est Gallicum *maison*.

Prae turba, i. e. propter turbam. Calig. 4. *prae turba occurrentium discrimen vitae adiit.* v. Oudend. ad h. l.

Elisi, i. e. ita pressi, ut spiritus intercluderetur. v. Tib. 39. Calig. 26.

40. *Fasti*, erant libri, in quibus scriptum erat, qui dies fasti, qui nefasti, qui festi, qui profesti, etc. Illi olim servabantur a collegio pontificum, sed postea prolati sunt a Cn. Flavio. v. Cic. pro Mur. 11. Liv. IX. 46. Ceterum Caesar Fastos sive Calendaria correxit tamquam P. M. v. Censorin. de D. N. 20. Macrob. Saturn. I. 14.

Vitio, i. e. culpa. Terent. Hec. I. 2. 79. *cui tu nihil dicas vitii.* Nepos Ages. 5. *quod tam multi a se victi vitio adversariorum concidissent.*

Intercalandi, i. e. interponendi, inserendi. Mensium dierumque rationem curabant Pontifices, ut modo diximus. Sed illi modo plures, modo pauciores dies in gratiam odiumve alicuius intercalabant. v. Cic. ad Att. V. 9. et ibi Intt. Gronov. Observ. II. 18.

Competere, est convenire, congruere, ex ea notione verbi simplicis *petere*, qua iacere et ferire significat. Plin. H. N. II. 18. *ubi recti angulorum competunt ictus.* v. Aug. 31. Oth. 12. et Schulting. ad Senec. Contr. I. p. 121. et Oudend. ad h. l.

Kalendis Ianuariis nobis. Nobis absurdum est, quamquam defendit Burmannus. Omnino scribendum *novis*, ut vidit Ursinus. Nam producto anno per insititios menses, factae sunt *Kalendae Ianuariae novae.* v. Oudend. ad h. l.

Is annus. Hunc annum Chronologi *confusionis annum* vocant. v. Intt. ad h. l.

41. *Allegere*, proprium in hac re verbum est. Tib. 51. *ut civitate donatum in decurias allegeret.* v. Casaub. ad h. l.

Praetorum. Ad hoc usque tempus non plures quam octo Praetores erant. v. Lips. ad Tacit. Ann. I. 15. Exc. D.

Aedilium. Ante Caesarem quatuor Aediles erant, duo patricii et duo plebeii. His Caesar adiecit duos plebeios, qui annonam curarent: ex quo dicti sunt *Aediles Cereales.* v. Dion. Cass. XLIII. p. 378. et Pompon. L. 2. §. 32. D. de O. I.

Quaestorum. Quaestores octo fuerant usque ad Sullam, qui viginti creavit. v. Tacit. Ann. XI. 22. Caesar quadraginta constituit. v. Dion. Cass. l. c.

Nudatos, i. exutos, privatos ornamentis et emolumentis ordinis senatorii vel equestris. Sic *equites nudi* a Cicerone ad Att. I. 16. dicuntur inopes, omnibus ornamentis privati. *Opus censorium* est factum, quod Censores notare solent, probrum censoriae notae obnoxium. Gell. IV. 12. *non id sine poena fuit, sed erat opus censorium.* v. Intt. ad h. l.

Comitia, i. e. ius creandorum magistratuum in comitiis. v. Lips. ad Tacit. Ann. I. 15. Exc. E.

Pronunciarentur. Frequentius in hac re est verbum *renunciare.* Cic. Verr. V. 15. *Cum esses praetor renunciatus.* *Pronuntiare* proprium est praeconis, ut in Domit. 10. v. Drakenb. ad Liv. VII. 27. ubi cum haec ipsa verba a librariis permutata sint, probabile est, hic quoque pro *pronuntiarentur* scribendum esse *renuntiarentur.*

Edidisset, i. e. nominasset. Liv. I. 18. *auctorem doctrinae Pythagoram edunt.* XXVIII. 26. *nomina principum seditionis edita sunt.*

Cir-

Circum tribus, i. e. ad singulas tribus. Liv. XXXV. 12. *legatos censuit circa reges mittendos*. XLII. 45. *legatio in Asiam et circum insulas missa*. v. Oudend. ad h. l. et ad Neron. 28.

Suam dignitatem teneant, obtineant id quo digni sunt, meritum suum. Gronov. ad Grot. de I. B. et P. p. 7. Sallust. Catil. 35. *statum dignitatis non obtinebam*. v. Casaub. ad cap. 14. *Teneant* dicitur pro obtineant. Liv. IV. 10. *auctoritate plura, quam certamine, tenuit*. Sic *tenere caussam* est obtinere. Ovid. Ep. XVII. 244. *Iudice te, caussam non tenuere duae*. Domit. 9. *accusatori, qui caussam non teneret*. v. Drakenb. ad Liv. XXXIX. 5.

Iudicia olim penes Senatum erant. Inde illa ad Equites transtulit C. Gracchus. v. Appian. de B. C. I. p. 618. Paulo post cum utroque ordine communicata sunt Lege Servilia. v. Cic. de Orat. II. 55. pro Cluent. 51. Sed illa lex aut non perlata est, aut abrogata alia lege Servilia Glauciae, qua iudicia solis equitibus restituebantur. v. Ernestum Ind. Legg. v. Servilia. Deinde Sulla solis Senatoribus iudicia reddidit. v. Tacit. Ann. XI. 22. Undecimo anno post L. Aurelius Cotta legem ad populum tulit, ut Senatores cum Equitibus et Tribunis aerariis iudicarent. v. Vell. Pat. II. 32. Et de his tribus ordinibus nihil immutatum est ante Caesarem. v. Sigon. de ant. iur. civ. Rom. II. 18.

Tribuni aerarii, sunt ordinis plebeii, per quos militibus pecunia stipendiorum numerabatur, ut Festus auctor est. v. Varron. de L. L. IV. p. 38. Cic. pro Planc. 8. et Torrent. ad h. l. *Tribuni aeris* dicuntur a Plinio H. N. XXXIII. 2. Nam *aera*, veteri consuetudine, stipendia dicta sunt, unde *aere diruti* vocati milites, quibus ignominiae

caussa stipendium, aut pars eius ademta esset. v. Liv. XL. 41. et ibi Intt.

Recensum populi, i. e. examen pauperis et egenae turbae, quae frumentum de publico accipiebat. v. Aug. 40. Male quidem hunc locum de censu lustrali, quem a Caesare non actum esse constat, ceperunt. v. Casaub. ad h. l. inprimis Duker. ad Liv. Epit. CXV.

Insulae, sunt domus, a nulla parte aliis aedibus iunctae, sive potius aedes plures iunctae unius domini, et ab omni parte liberae. v. Fest. h. v. cuius locum explicat et emendat Gesner. in Thes. L. L. Qui totam insulam possidebat, *dominus insulae* dicebatur: qui habitabant in conductis aedibus, appellabantur *insulares* et *insularii*. v. Petron. 95. Manut. et Graev. ad Cic. pro Coel. 7.

Ad centum quinquaginta. *Ad* capiendum pro circiter, ut exemplis ad cap. 20. demonstravimus. Sic non deest casus verbo *retraxit*, ut Burmannus putabat. Veram huius loci rationem vidit Oudendorpius.

Qui recensiti non essent, i. e. qui in recensione Caesaris admissi ad frumentationem non essent. v. Casaub. ad h. l. In nonnullis MSS. legitur *recensi*, qua forma Suetonius utitur in Vespas. 9. *recensitus* est ab antiquo *recensire*. v. Voss. de Analog. III. 24. et Intt. ad h. l.

Subsortitio, i. e. sublectio per sortem.

42. *Suppetere*, saepe idem est quod esse. Aug. 49. *ut sumtus suppeteret.* Tit. 8. *quatenus suppeteret facultas.*

Sacramentum, per excellentiam dicitur iusiurandum, quod miles praestat. Nam iurabat, se imperatori obediturum, signa non deserturum, iniussu ducis non pugnaturum. v. Serv. ad Aen. VIII. 1. Qui mi-

militiae nomen dat, propria formula dicitur *sacramento dicere.* v. Liv. XXIV. 8. et ibi Intt. Consul dicitur *adigere ad sacramentum*, *adigere sacramentum*, *adigere sacramento.* v. Liv. XLIII. 15. et ibi Drakenb.

Contubernales, qui sint, explicuimus sup. ad cap. 2.

Comitum nomine dicuntur amici, propinqui, philosophi, grammatici, rhetores, quos magistratus secum in provincias ducunt, consuetudinis cum iis habendae caussa: de quibus v. Cl. Ernesti Exc. ad Tib. 46.

Pecuariam, scil. rem, *facere* est pecudes alere et vendere, ut *naviculariam facere*, navibus aut aedificandis, aut vendendis quaestum facere, *argentariam facere*, numos permutare, foenori dare et sumere. v. Graev. ad Cic. Verr. V. 18. Sed *pecuariam facere* aut *pecuarii* illi tantum dicuntur, qui greges pecorum pascunt in publicis pascuis, certo vectigali conductis. v. Cic. Verr. II. 6. pro Deiot. 9. Sunt viri docti, in his Burm. de Vectig. 9. p. 140. qui *pecuarios* etiam dictos putent publicanos, qui vectigal redemerant, quod de pascuis publicis daretur. Sed eos refellit Ernestus Clav. Cic. v. Pecuarius.

Medicinam, etc. Distinguit medicos a liberalium artium doctoribus, i. e. grammaticis, rhetoribus, philosophis. Nam olim apud Romanos fere servi, post servi, libertini, et Graeci medicinam factitabant. v. Casaub. sup. ad cap. 4. et Brisson. Select. Antiq. II. 3.

Profiteri artem, est publice docere, vel exercere de Gramm. 9. *professus diu in patria Grammaticam.* Cic. in Pison. 29. *philosophiam qui profitetur.* Inde *professores* dicuntur.

Disiecta exspectatione, i. e. discussa. Liv. XXV.

 14.

14. *haec consilia ducis clamor militum disiecit.* Vell. Pat. I. 10. *cogitationem regiam Romana disiecit constantia.* v. Drakenb. ad Liv. II. 35.

Tabulae, sunt codices acceptorum et expensorum. *Novae tabulae* dicuntur, cum nomina in tabulis mutantur, ut debitoribus aes alienum omne remittatur, vel pars de summa dematur. v. Cic. Catil. II. 8. Phil. VI. 4. Hae novae tabulae fere bella et civiles dissensiones sequi solebant. v. Sallust. Catil. 21. Caesar. de B. C. III. 1. et Ernest. Clav. Cic. v. Tabula.

Satisfacerent. Non dicit *solvere*, sed *satisfacere*, quod est creditorem securum reddere vel pignoribus datis, vel quocunque modo. v. Brisson. de V. S. h. v.

Possessiones, per eminentiam dicuntur agri, villae, praedia. v. Fest. h. v. Suetonius utitur ipsis verbis Caesaris de B. C. III. 1.

Comparassent. *Parare* et *comparare* est emere. Terent. Heaut. IV. 5. 50. *vestem qui compares.* Caesar de B. G. IV. 11. *quae impenso parant pretio.* Phaedr. IV. 4. 42. *Agros abiiciet moecha, ut ornatum paret.* v. Gronov. ad Senec. de Benef. IV. 12.

Numerare pecuniam, est praesentem pecuniam dare. Nepos Epam. 3. *ut ipsi numerarent pecuniam, faciebat.* v. Brisson. de V. S.

Perscribi et *rescribi*, proprie dicuntur pecuniae, quae per mensae scripturam solvuntur, sive ab argentario penduntur. Nam veteres facultatum suarum partem apud argentarium deponebant, ad eumque creditores remittebant. v. Donat. ad Terent. Phorm. V. 7. 28. Hodie dicunt *solvere per assignationem.* Rem copiose explicant Gronov. Obs. IV. 9. et Graev. ad Cic. Verr. V. 19. Hic tamen melius est *perscribe-*

bere intelligere de scriptura debitorum, qui alium quemcunque creditoribus delegant. v. Duker. ad Liv. XXXIV. 18.

Collegia. Idem fecit Augustus, ut narrat in eius vita 32. Causas collegiorum distrahendorum explicat Swarz. ad Plin. Paneg. 54.

Ut Cicero scribit. Haec verba viri docti recte ponunt post *epulabant.* Respicit enim Ciceronis Orat. pro Caec. 34.

43. *Repetundarum convictos.* Antea hoc crimen litis aestimatione et exilio vindicabatur. v. Lips. ad Tacit. Ann. XIV. 28. et Sigon. de Iudic. II. 27.

Ordine Senatorio movit. Haec propria est locutio de iis, qui Senatoria dignitate privantur. Domit. 8. *Quaestorium virum movit Senatu.* v. Drakenb. ad Liv. XXXIX. 42. Pro *movere* est *removere* Vitell. 2. Tacit. Ann. XIII. 11. *ob adulterium ordine remotum*, ubi v. Interpr.

Probri, i. e. adulterii. *Probrum* generale nomen est, quod in omne factum turpe convenit, sed per eminentiam dicitur de adulterio, stupro, et illicita venere. v. Fest. in h. v. Aug. 65. *Iulias, omnibus probris contaminatas.* Sic *probrosae feminae* in Domit. 8. v. Buchner. de Comm. rat. dic. p. 84. et Duker. de Latin. vet. IC. p. 129.

Portorium, est vectigal, quod ex portubus Italiae et provinciarum pro invehendis mercibus exigitur, de quo copiose Burm. de Vectig. cap. 5.

Lecticis primum gestabantur in agris, post etiam in urbe. Hoc luxuriae et desidiae instrumentum ex Asia translatum esse, docet Lips. Elect. I. 19.

Conchyliatae, i. e. purpureae, sive tinctae conchylio, quod est piscis genus ex concharum genere. v. Plin. H. N. IX. 55. XXI. 8.

Certis personis, i. e. Senatoribus, aliisve nobilibus viris. *Personae* non simpliciter homines dicuntur, ut cadente Latinitate loqui coeperunt, sed homines habita ratione dignitatis et muneris, quod in reipublicae tamquam scena gerunt. Cic. ad Att. VIII. 11. *ut mea persona semper ad improborum civium impetus aliquid videretur habere populare*, ubi *mea persona* dicitur non simpliciter pro ego, sed pro, ego cum meis virtutibus et rebus gestis. Et sic in omnibus huius vocis exemplis capiendum. v. Perizon. ad Sanct. Min. I. 12. p. 81.

Sumtuariae, sive de moderando sumtu funerum, coenarum, supellectilis domesticae, et aliarum rerum. v. Manut. de Legg. 17.

Opsonium. Ex Graeco ὄψον dicitur, quicquid ad panem adhibetur, inprimis piscis. v. Terent. Andr. II. 2. 23. et Casaub. ad Athen. VII. 2. p. 476.

Submissis, i. e. clanculum missis. Cic. I. in Verr. 61. *iste ad pupillae matrem submittebat*. Ner. 43. *percussores submittere provincias regentibus*. v. Drakenb. ad Liv. VI. 6.

Si qua custodes fefellissent, i. e. si qua latuissent custodes, non detecta essent ab iis. *Fallere* pro latere non modo poëtae dicunt, sed etiam prosae orationis scriptores. Liv. V. 47. *ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem excitarent*. v. Lambin. ad Horat. I. Carm. X. 16. et Drakenb. ad Liv. XLI. 2.

Apposita. *Poni* et *apponi* propria cibi dicuntur. Terent. Phorm. II. 2. 28. *coena dubia apponitur*. Cic. ad Att. XIV. 21. *haec ad te scripsi apposita mensa secunda*. Petron. 69. *cum positus esset anser altilis*. v. Serv. ad Aen. I. 706. et Heins. ad Ovid. A. A. I. 234.

Tri-

Triclinio, i. e. conclavi, in quo discumbebant et coenabant.

44. *Iam de ornanda.* Recte Oudendorpius e libris scriptis edidit *nam.* quae particula non minus transitioni servit, quam *iam.* Exempla sunt apud Manut. ad Cic. ad Div. III. 11. et Duker. ad Flor. prooem. l. I. p. 4.

Quantum nusquam esset. Omittitur *tantum* ante *quantum*, ut saepe. Liv. IX. 37. *Itaque, quantus non unquam antea, exercitus ad Sutrium venit.* ubi v. Drakenb. Plin. Paneg. 37. *quanto magis a te reprimebatur, exarsimus.* Videte quae notavimus ad Rutil. Lup. I. p. 17.

Ius civile, i. e. leges, SC., magistratuum edicta, sive ius honorarium, responsa prudentum, disputationem fori, sive res iudicatas, morem denique maiorum. v. Cic. Top. 5.

Publicare, i. e. publicas facere, publico usui consecrare. v. Aug. 29.

Emittere Fucinum lacum. *Emittere* proprie est per fistulas vel canales deducere. Cic. de Div. I. 44. *si lacus emissus ad mare profluxisset.* v. Duker. ad Liv. V. 15. Hinc *emissarium* dicitur foramen in lacu, per quod aqua emittitur, sublato ligno, quod ei oppositum est. v. Claud. 21. et Graev. ad Cic. ad Div. XVI. 18. De emissario Fucini exstat erudita Raphaelis Fabretti Dissertatio.

Viam munire, i. e. lapidibus sternere. v. Aug. 30. Tib. 51. et Intt. ad Liv. XXI. 37.

Expertos, passive capiendum. Liv. V. 54. *expertis alia experiri.* ubi v. Drakenb. Multa deponentia, maxime participia praeteritorum, passive ponuntur. Cuius rei caussa est, quod eorum forma activa aliquando usitata fuit. Sic veteres dixerunt

 adu-

adulo, aucupo, fabulo, lucto, comito, etc. pro *adulor, aucupor*. Huiusmodi verborum catalogum dederunt Voss. de Analog. III. 6. et Vechner. Hellenolex. p. 104.

Formam, habitum, cultum accurate distinguit Suetonius. *Forma* est tota corporis species, ut sup. 32. *Habitus* refertur ad curam corporis, in primis capitis et capillorum. Cic. Verr. IV. 3. *eximia venustate, virginali habitu atque vestitu*. Virgil. Aen. I. 315. *virginis os habitumque gerens*. *Cultus* pertinet ad vestem et amictum. Tacit. Ann. II. 59. *Tiberius cultu habituque eius lenibus verbis perstricto*. Quod Suetonius *habitum* et *cultum*, Livius saepe dicit *habitum vestitumque*. v. XXIX. 17. et ibi Gronov. et de vocum *habitus* et *cultus* discrimine Burm. ad h. l.

45. *Ore paulo pleniore*. *Plenus* opponitur gracili. Ovid. A. A. II. 660. *Sit gracilis, macie quae male viva sua est. Dic habilem, quaecunque brevis, quae turgida, plenam*. v. Oudend. ad h. l.

Linqui animo, i. e. deficere. Curt. IV. 6. *linqui animo et submitti genu coepit*.

Comitialis morbus dicitur epilepsia, quod quo die quis hoc morbo concidisset, comitia vitiabat. v. Seren. Samonic. de Medic. 1015. Idem morbus dicitur *caducus, sonticus, Herculeus, maior, sacer*.

Inter res agendas, i. e. in bello, vel proelio. Proprie imperator *res agere* et *res gerere* dicitur. Liv. XXVI. 28. *quas res ipse egisset terra marique*. eod. lib. 18. *ubi inter sepulcra patris patruique res gerendae essent*. Frequentius tamen *agere res* dicitur, qui ius dicit. v. Gronov. Observ. IV. 14. et Intt. ad h. l.

Circa corporis curam, i. e. quod attinet ad corpo-

poris curam. Claud. 14. *novo circa principem exemplo.* Ner. 51. *circa cultum, habitumque adeo pudendus.* Sic argentea aetate loqui coeperunt.

Corporis curam. *Cura* exquisite dicitur cum de studio totius corporis ornandi, tum inprimis de comtu capillorum. Propert. III. 12. 28. *Est neque odoratae cura molesta comae.* Phaedr. IV. 3. 9. *Cum se putaret fingi cura mulierum.* Domitianus, ut Suetonius in eius vita 18. narrat, *libellum edidit de cura capillorum.* Contra Augustus, eodem teste, cap. 29. *in capite comendo incuriosus fuit.* v. Gronov. Observ. I. 23. et Bentlei. ad Horat. I. Ep. I. 94.

Morosior, i. e. difficilior, ut non facile illi satisfieri posset. Cic. ad Div. VII. 15. *Quam sint morosi qui amant, vel ex hoc intelligi potest.* ubi v. Manut. Seneca. Controv. I. p. 98. *Vide, quemadmodum tam morosae legi satisfacias.* ubi plura Io. Schulting. *Moroso* opponitur *indifferens.* v. Casaub. ad cap. 53.

Obnoxius, proprie est, qui poenam meruit noxae a se commissae, et ob id ipsum timidus est, imbecillus, aliorum iniurae expositus. Hinc ad alia multa transfertur, et idem fere significat, quod expositus, opportunus. Columella IV. 19. *terra vehementibus procellis obnoxia est.* Plin. III. Ep. 14. *Vides, quot contumeliis, quot ludibriis simus obnoxii.* v. Gronov. ad Liv. XXV. 30. et ad Senec. de brev. vit. 17. et Intt. ad Flor. IV. 4. p. 728.

Deficientem capillum revocare a vertice. Caesar a vertice reducebat capillos, qui naturaliter a vertice in occipitium inclinant, ut prior capitis pars, ubi capilli deficiebant, aliquo modo tegeretur. v. Oudend. ad h. l. Verbum *revocare*, quod ori pro-

prium

prium est, elegantissime refertur ad res, quae manu aguntur. Manil. V. 148. *revocare comas et vertice denso Fingere.* v. Gronov. Observ. II. 19.

Non aliud, scil. ius, quod mox sequitur. v. Ernest. ad h. l.

Notabilem, i. e. insignem, ut Cicero, aliique veteres loquuntur. Vox *notabilis* Senecae aetate frequentari coepit. v. Casaub. ad h. l.

Clavus, est linea purpurea a summa parte tunicae ad imam descendens. Latus clavus Senatoriae dignitatis indicium erat. v. Plin. H. N. XXXIII. 1. Quanquam etiam ii, qui ad hanc dignitatem contenderent, tunicam laticlaviam sumebant, ut de se fatetur Ovid. Trist. IV. 10. 28. Angusti clavi usus Equitibus cum plebe communis erat: quod liquide patet e Plinio H. N. XXXIII. 7. De lato clavo exstat liber pereruditus Alb. Rubenii Tom. VI. Th. Ant. Rom.

Lato clavo ad manus fimbriato, i. e. tunica laticlavia manicata vel manuclata, cui ornatus caussa accesserat fimbria, sive fissa et in fila divisa extremitas. Petron. 32. commemorat *mappam laticlaviam, fimbris hinc atque illinc pendentibus.* v. Casaubon. et Ernest. Clav. Cic. v. Manicatus.

Nec ut unquam aliter quam. Notanda, ut Casaubonus monuit, traiectio verborum pro, *nec unquam aliter, quam ut.* Sic in Tib. 26. *Nec mox amplius, quam tres consulatus gessit* pro, *nec amplius, quam mox tres consulatus gessit.*

Fluxiore, i. e. laxiore. *Fluere, effluere, defluere* sunt verba rei vestiariae. Tibull. I. 7. 46. *Effluit effuso cui toga laxa sinu.* ubi v. Broukhus. Cur. Fortunat. III. p. 101. *quid in umbone? nec fluxe, nec adstricte.*

Ema-

Emanasse, i. e. in vulgus exiisse. Liv. III. 24. *multis emanabant indiciis.* ubi v. Drakenb.

Male praecinctum, i. e. parum, sive non satis praecinctum. Haec frequens est significatio vocis *male*. Horat. I. Carm. 9. 23. *Pignusque dereptum lacertis Aut digito male pertinaci.* Seneca Agam. 901. *Pendet exigua male Caput amputatum parte.* Petron. 86. *consurrexi ad aurem male dormientis.* ubi v. Intt. Aug. 21. *nationes male quietas ad obsequium redigit.* v. Lambin. ad Horat. I. Serm. 3. 31. et Freinshem. Ind. Flori v. Male.

46. *In sacra via domo publica.* Sic Pontificem maximum habitare necesse erat. v. Torrent. ad Aug. 76.

Munditiae, dicuntur de omni cultu in vestitu, conviviis, supellectile, etc. Hic de aedificiorum elegantia vocem sumendam esse, contextus docet. De nimio corporis cultu est in Othon. 12. *Fuisse traditur munditiarum paene muliebrium.* Scilicet mulieribus maxime *munditiae* tribuuntur. v. Duker. ad Liv. XXXIV. 7.

Lautitiae, dicuntur de apparatu magnifico in coenis. Aug. 71. *refutavit lautitiarum invidiam.*

Tessellata et sectilia pavimenta. Pavimenta vocat materiam, ex qua fiunt pavimenta. *Tessellata* dicuntur, quae a tessellis i. e. parvis lapillis contexta sunt, aliisque nominibus *vermiculata* et *musiva* appellantur. *Sectilia* dicuntur, quae e marmoris maioribus fragmentis secta sunt, et artificiose disposita. Graeci λιθόςρωτα vocant. v. Casaub. aliosque Interpretes ad h. l. Talia pavimenta adhuc in Italia supersunt, de quibus disputat Ciampinus libro de musivis operibus.

47. *Exegisse*, i. e. examinasse. Cic. Verr. I. 51. *ad perpendiculum columnas exigere.* Liv. VI. 4. *ae-*

aedilibus velut publicum exigentibus opus. Colu- mell. III. 15. *Huic operi exigendo quasi quandam machinam commenti sunt.* v. Aug. 31. et quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 194. Hinc *examen*, quod ex *exagimen* ab *exago* vel *exigo* contractum est, dicitur lingua librae, cuius momento pondus exploratur. Vespas. 21. *stateram examine aequo.*

Toreumata, sunt opera auro argentove coelata, quae non torno fiant, sed caelo, ut placet Salmasio Exerc. Plin. p. 735. At Cl. Ernestius Clav. Cic. h. v. putat esse sculptilia e ligno vel ebore, quae fiant scalpello.

Signa, sunt statuae, *tabulae*, picturae in tabulis, et saepe coniunguntur. Sallust. Catil. 11. *signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari.* ubi v. Cort.

Tabulas operis antiqui. Antiquitas talium operum pretium vehementer augebat. Cic. Act. I. in Verr. 5. *Deum denique nullum Siculis, qui ei paullo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquit.* v. Sil. Ital. XI. 279. et ibi Drakenb.

Animosissime, i. e. cupidissime. Sic *animosus emtor* in L. 36. D. mandati. v. Intt. ad h. l. et Salmas. ad Capitol. M. Anton. 17.

Servitia recta, sunt servi, qui nihil vitii habent in corpore, sed apta sunt forma et statura. Catull. X. 20. *Non possem octo homines parare rectos.* v. Gronov. ad Senec. Ep. 100. *Servitia polita* sunt servi, quibus inest elegantia morum et literarum. Cic. ad Div. XIII. 1. *est enim omni doctrina politus.* v. Intt. ad h. l.

48. *Sagati*, sunt viri militares e cohorte praetoria. *Palliati*, Graeci, rhetores, philosophi, quos magistratus provinciales in comitatu suo habere solebant, ut supra diximus. *Togati* sunt Romani,

Se-

Senatores, legati, quaestores. v. Casaub. ad h. l.

Discumbere, significat suo quemque loco accumbere. Itaque hoc verbum non de uno dicitur, sed de pluribus.

Domestica disciplina, est ratio regendae familiae. Terent. Adelph. V. 1. 5. *illud sis vide exemplum disciplinae.* Cic. Phil. II. 28. *quid unquam domus illa viderat, nisi ex optimo more, et sanctissima disciplina?*

Rexit, i. e. administravit. Aug. 24. *disciplinam severissime rexit.* Sic etiam dicitur *imperium regere.* Ovid. III. ex P. 3. 61. *Sic regat imperium, terrasque coërceat omnes.* v. Burm. ad Grat. Cyneg. 527.

Subiicere, saepe est aliquid clam et per fraudem alterius loco ponere, ut *subiicere testamentum.*

49. *Calvi Licinii.* Cognomen praeponitur nomini, ut saepe. L. Licinius Calvus, magnus illius temporis orator et poëta, de quo videte Manut. ad Cic. ad Div. I. 9. et quae notavimus ad Aquilam Rom. p. 184.

Actiones, sunt orationes vel forenses, vel Senatoriae. Posteriores hic intelligendas esse, docet Cl. Ernestus ad h. l.

Pellicem reginae. Bene *reginae*, non *regis.* Nam veteres nunquam *pellicem mariti*, semper *pellicem uxoris* dicebant, quod apud eos pellex erat concubina viri, qui legitimam uxorem haberet. Apud recentiores *pellex* pro quavis concubina dici coepit. v. Fest. h. v. et Oudend. ad h. l.

Spondam interiorem. Lectus duas *spondas* sive tabulas habebat, quarum altera *exterior*, altera, quae propius parietem erat, *interior* dicebatur. Ad exteriorem cubabant viri, ad interiorem mulieres et pue-

pueri molles. v. Ovid. III. Amor. 14. 32. et Salmas. ad Spartian. Aelium Verum 5.

Stabulum, i. e. lupanar, in quo stabant vel prostabant meretrices, quae inde etiam *prostibula* vocantur. v. Wower. ad Petron. 6.

Fornix, idem est quod lupanar. Nam meretrices sub tectis arcuatis habitare solebant. v. Horat. I. Serm. 2. 30. Iuvenal. VI. 121. Hinc cadente Latinitate *fornicari* pro scortari dixerunt. v. Cellar. Antibarbar. p. 161.

Proscribere, est aliquid scripto publice proponere. Ner. 39. *Multa Graece, Latineque proscripta, aut vulgata sunt.* v. Casaub. ad h. l.

Cordi esse, i. e. curae esse. Terent. Andr. II. 1. 28. *tibi nuptiae hae sunt cordi.* Liv. XXX. 17. *quicquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissae.* ubi v. Drakenb.

Liberius dicax, i. e. cui liberum erat ridiculum iacere in alios.

Ad cyathum et vinum stetisse, i. e. pocillatorem fuisse. Notanda est vis praepositionis *ad*, quae ministerium significat. Terent. Andr. I. 1. 30. *canes ad venandum* pro canes venatici. Catull. X. 16. *ad lecticam homines* pro servi lecticarii. ubi v. Scalig. Liv. XXII. 19. *miles ad naves* pro miles classiarius. XXXIV. 6. *servi ad remum* pro servi remiges: ubi plura Duker. Est etiam proprietas in verbo *stetisse*. Nam servi ministrantes proprie *stare* dicuntur, Gracchus ap. Gell. XV. 22. *Nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie stabant.* Horat. I. Carm. 29. 7. *Puer quis ex aula capillis Ad cyathum statuetur unctis.* ubi v. Torrent.

Pleno convivio, i. e. frequenti. in quo multi erant con-

convivae. v. Aug. 51. Calig. 24. et Intt. ad Ovid. A. A. I. 66.

Urbicis negotiatoribus, i. e. qui ex urbe Roma negotiorum caussa in provincia versabantur. *Negotiatores* libera rep. dicebantur equites et plebeii, qui in provinciis aut ararent, aut pascerent, aut pecunias mutuas darent provincialibus, foenusque exercerent, aut frumento coëmendo et Romam vehendo lucrum quaererent: de quibus est dissertatio Cl. Ernesti in Opuscul. Philolog.

Eductum, scil. e triclinio, vel conclavi hospitali. Praepositiones *e*, *a*, *in* saepe iunguntur verbis, brevitatis caussa, ut simul loca, unde et quo perveniatur, intelligantur. Exempla sunt apud Drakenb. ad Liv. I. 57. Duker. ad XXII. 56. et Intt. ad h. l.

Veste, scil. stragula.

Aetatem, exquisite dicit, quae annis viginti circumscribitur, et apta est ad patienda, quae foedis amatoribus libuissent. Claud. 16. *ut parcius aetatulae indulgeret.* Quinctilian. Decl. 276. *in gravissima iniuria, qua florem aetatis amisit.* v. Schulting. ad Senec. Controv. II. p. 201.

Remove istaec, i. e. noli de istis rebus dicere.

Quid illi tu dederis. Dictum ex ambiguo. Nam *dare* dicuntur meretrices et catamiti, qui corporis sui copiam faciunt. Ovid. A. A. III. 95. *Det tamen ulla viro mulier.* ubi v. Heins.

Prosequentes, i. e. comitantes. Liv. VI. 34. *frequentia prosequentium rogantiumque, numquid vellet?* ubi v. Drakenb.

50. *In quibus*, i. e. *inter quas*, ut loquitur inf. 52. vel *ex quibus*, ut Aug. 29. v. Duker. ad Liv. XXXVII. 23.

Servii Sulpicii, scil. *uxorem*, quod saepe in-

 tel-

telligendum, relinquitur. Ovid. Ep. VII. 193. *Nec consumta rogis inscribar Elissa Sichaei.* v. Perizon. Diss. I. p. 21.

Certe, i. e. nimirum, hoc certum est. Horat. II. Carm. 4. 15. *Regium certe genus et penates Moeret iniquos.* v. Markl. ad Stat. Silv. V. 1. 105.

Exegisset, scil. domo, vel matrimonio. *Exigere* proprium in hac re verbum. Plaut. Merc. IV. 6. 5. *uxor exigitur matrimonio.* Terent. Hec. II. 1. 45. *ubi duxere impulsu vestro, vestro impulsu easdem exigunt.* v. Brisson. de Form. VIII. p. 698.

Auctiones hastae, sunt venditiones, quae populi nomine fiunt. Festus: *Hastae subiiciebantur ea, quae public venundabantur.* Publicis auctionibus praesidebat magistratus, apposita hasta, potestatis et auctoritatis indicio. Unde *hasta* simpliciter ponitur pro auctione publica. v. Cic. de Off. II. 8. Phil. II. 26. et Sigon. de ant. iur. civ. Rom. I. 11.

Minimo, scil. pretio. Terent. Eun. I. 29. *Redimas te minimo, si nequeas paululo.* Alii legunt, *numo.* Sed *minimo* legendum esse, ostendunt verba, *tertia deducta est.* Nam minimo vel vilissimo pretio aliquid deduci potest, non uni numo sestertio. v. Oudend. ad h. l.

Addicere, in auctionibus est rem ei, qui ceteros licitatores vicit, tradere. Aug. 24. *quem tamen liberto suo addixit.* Cal. 39. *quod tredecim gladiatores ignoranti addicerentur.*

Melius, i. e. vilius. Cic. ad Att. I. 10. *Bene nos emisse iudicati sumus.* Seneca Phoeniss. vs. ult. *Imperia pretio quolibet constant bene.* Contra *male emere* est care emere. Plaut. Mostell. III. 2. 112. *si male emtae forent aedes.* Terent. Eun. IV. 4. 2.

pro-

prodi male concilidte. v. Casaub. ad h. l. et Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 756.

Tertia deducta est. Sensus, quem Casaubonus vidit, hic est, eos, qui vilitatem mirarentur, magis miraturos, si sciant, tertiam partem a venditore Caesare fuisse remissam. Iocus est in ambigua notione vocum *tertia* et *deducta est.* Nam *Tertia* etiam vocabatur filia Serviliae, et *deduci* quoque dicuntur feminae, quae concubitus caussa ad aliquem in cubiculum perducuntur. Cic. Verr. III. 34. *Hic est Decimus, qui ad istum deduxerat Tertiam, Isidori mimi filiam.* v. Torrent. ad h. l. et Broukhus. ad Tibull. I. 7. 65.

Conciliare, proprie dicitur de coniungendis nuptiis vel legitimis, vel furtivis. Nepos Att. 5. *easque nuptias M. Cicero conciliarat.* Ovid. Amor. I. 13. 42. *Num me nupsisti conciliante seni?* v. Intt. ad Petron. 127.

51. *Provincialibus matrimoniis*, i. e. uxoribus provincialium. Iustin. XVIII. 5. *ut et iuventus matrimonia, et urbs sobolem haberet.* Tacit. Ann. II. 13. *matrimonia ac pecunias hostium praedae destinare.* ubi v. Ern. Flor. I. 1. 10. *matrimonia a finitimis petita.* ubi v. Duker. Sic *servitium* dicitur pro servis, *clientela* pro clientibus.

Iactato, i. e. crebro, identidem repetito. Liv. III. 10. *iactata res in Senatu.* v. Gronov. ad XXXVII. 25.

Sumsisti mutuum. Melioris aetatis scriptores semper dicunt *aurum mutuum sumere*, non *mutuo sumere.* v. Gronov. de P. V. III. 1. Sed posterioris aetatis scriptores a veterum norma recesserunt, ut Iustin. XVII. 2. *naves ad exercitum deportandum mutuo petit.* ubi v. Graev.

52. *Naso.* Videtur esse Actorius Naso, cuius mentio cap. 9.

Nave thalamego, i. e. in qua structi erant thalami et cubilia instar domesticorum. Alii *naves cubiculatas* et *lusorias* vocant. v. Intt. ad h. l.

Penetravit, ponitur pro penetrasset, praeteritum indicativi pro subiunctivo, ut saepe apud optimos scriptores. Liv. XXXI. 16. *eripi ex obsidione, ni cessatum ab Attalo foret, potuerunt.* Seneca Cons. ad Marc. 1. *magnum detrimentum resp. ceperat, si illum non eruisses.* v. Casaub. ad h. l. Freinshem. ad Curt. V. 11. et quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 107. *Penetrare locum* significat eum transire ad terminos usque. Vell. Pat. II. 40. *Penetratae cum victoria Media, Albania.* Flor. III. 4. 5. *Piso Rhodopen Caucasumque penetravit.* v. Bentlei. ad Horat. I. Carm. 37. 24.

Praemiis augere, est aliquem praemiis maiorem et potentiorem reddere. Ovid. Trist. II. 45. *Divitiis etiam multos et honoribus auctos Vidi.* v. Heins. ad Fast. I. 677. *Augere* etiam absolute sic dicitur. Sallust. Iug. 86. *quod ab eo genere celebratus auctusque erat.* Nepos Phoc. 1. *auctus adiutusque a Demosthene.* v. Graev. Lect. Hesiod. cap. 1.

Agnitum, i. e. pro filio suo habitum. Aug. 65. *infantem agnosci, alique vetuit.*

Quasi plane. Easdem particulas iungit Florus I. 10. 8. *plane quasi adulterum ad inferos sequeretur.*

Liberorum quaerendorum caussa. Sollemnis in hac re formula. Ennius apud Fest. v. Quaeso: *Ducit me uxorem liberorum sibi quaesendum gratia.* Gell. IV. 3. *uxorem se liberorum quaerendorum*

rum gratia habiturum. v. Lips. ad Tacit. Ann. XI. 27. et Brisson. de Form. VI. p. 517.

53. *Verbum*, i. e. dictum. Terent. Andr. II. 5. 15. *illud verbum est verum.* Adelph. V. 3. 17. *vetus verbum hoc quidem est.*

Indifferens in victu, est facilis, opponiturque *moroso.* v. Casaub. ad h. l.

Conditum oleum, i. e. vetus et nimis diu servatum. v. Caton. de R. R. 58. et Intt. ad h. l.

Aspernantibus, i. e. aversantibus, respuentibus. Cic. de Orat. III. 25. *gustatus quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit?* Phaedr. V. 4. 3. *Asello iussit reliquias poni hordei, Quas aspernatus ille.*

54. *Abstinentia*, opponitur avaritiae, rapacitati. *Continentia* a Cicerone de Senect. 16. et aliis vocatur.

Imperia, de provinciali magistratu dicuntur: *magistratus* de urbano. v. Ernest. ad h. l.

Pro consule. Manutius ad Cic. ad Div. I. 1, veteres putat scripsisse coniuncte, variatis casibus, *proconsul, proconsulis, proconsuli*, non disiuncte, in omni casu, *pro consule.* Sed utrumque veteribus usitatum fuisse, tum hic Suetonii locus ostendit, tum alii aliorum, quos laudat Drakenb. ad Liv. III. 4. Hispaniam Caesar ex praetura sortitus erat, ut potius *propraetor* dicendus esset, quam *proconsul.* Sed ipsi veteres saepe promiscue dicunt *proconsul, propraetor, praetor.* v. Casaub. ad h. l. et Duker. ad Liv. XXXIX. 29.

A sociis, i. e. non publicanis, ut Burmannus interpretatur, sed sociis civitatibus vel gentibus. Intelligit Hispanos, qui erant socii P. R. iisque opponit Lusitanos, qui non erant socii. v. Ernest. ad h. l.

Detrectarent, i. e. recusarent. Tib. 25. *principem detrectabant, non a se datum.* Pro *detrectare* etiam scribitur *detractare*, de qua orthographia v. Drakenb. ad Liv. XXXIV. 15.

Promercale, i. e. venale, quod venum proponitur, de Gramm. 23. *cum officinas promercalium vestium exerceret.*

Divenderet. Legendum, *divideret*, ut MSS. habent. Nam recte dicitur *venale aliquid dividere*, non item *venale divendere*. Caesar aurum per Italiam et provincias auri fabris divisit venale habendum pretio quartam partem viliore, quam solebat. Rationem huius lectionis uberius explicat Oudend. ad h. l.

Pondo, est ablativus casus ab obsoleto *pondus*, *pondi*, diciturque *pondo tot librae*, ut *numero tot homines*. v. Gronov. de P. V. I. 6.

E capitolio. Aurum coronarium et triumphale in Iovis Capitolini cella condebatur. v. Aug. 30. Plin. H. N. XXXIII. 1. et Lips. de Magnitud. Rom. II. 9.

Auferre, saepe est impetrare, datum accipere. Cic. ad Div. VI. 12. *recepit, se ablaturum diploma.* ubi v. Graev. Liv. XXIV. 2. *ab Hannone nihil certi ablatum.* v. Ernest. ad h. l.

55. *Excessit*, i. e. superavit. Cal. 22. *regium excessisse fastigium.* Vell. Pat. I. 10. *cuius triumphus priores excessit magnitudine.* v. Burm. ad Rutil. Iter I. 92.

Elegans dicendi ratio dicitur subtilis, tenuis, et in ipsa tenuitate suis veneribus grata. Cic. Brut. 75. *Caesar ad elegantiam verborum Latinorum adiungit oratoria ornamenta dicendi.* de Or. II. 7. *cum Graeci solent ipsi suae linguae subtilitatem ele-*

gand

gantiamque concedere. v. Ernest. Clav. Cic. v. Elegantia.

Divinatio, est, cum quaeritur, quis ex pluribus ad accusandum admittendus sit. Quod genus caussae divinatio dicitur, quia non de facto quaeritur, sed de futuro, quae est divinatio et coniectura. Exstat Ciceronis oratio in Caecilium de accusatore Verris constituendo, quae *divinatio* inscribitur. v. Ascon. in illius orat. argumento, et Gell. II. 4.

Ardenti motu, i. e. vehementi et concitato.

Actuarii, sunt, qui excipiunt scribuntque, notarii, exceptores. Seneca Ep. 23. *Non quidem haec quae alienis verbis commodatur, et actuarii vice fungitur.* v. Lips. ad Tacit. Ann. V. excursu ad cap. 4. et Intt. ad Petron. 53.

Excipere, dicitur, qui dicentis vel dictantis verba scribit. Ner. 12. *versus, dictante aliquo, exceptos*; Tit. 3. *notis quoque excipere velocissime solitum.*

Se purgantis, i. e. defendentis. Non modo *purgare se* dicitur, sed etiam *purgare crimen*. Liv. XXXIX. 35. *Demetrium mittere statuit ad purganda crimina*: ubi v. Drakenb.

56. *Nudi*, i. e. simplices, sine ornamentis. Sic *nuda simplicitas* ap. Ovid. Amor. I. 3. 14.

Recti, i. e. quibus nihil vitii inest. v. notata ad cap. 47.

Tamquam, veste detracta. Alii malunt *detracto*, ut ad *ornatu* referatur. Sed saepe participia, contra vulgares grammaticorum regulas, ad substantivum, quod proxime praecedit, referuntur. Cic. de Off. I. 23. *ut nihil aliud, nisi pax quaesita videatur.* Sallust. Fragm. p. 941. *bona civium, quasi praedam dono datam.* v. Voss. de Construct. 4. et Oudend. ad h. l.

Calamistri, vel *calamistra* sunt acus maiores, quibus in cinere calefactis capilli crispantur. v. Varron. de L. L. IV. p. 52. Hinc verbum traducitur ad elegantiam orationis adscititiam et fucatam. Cic. Orat. 23. *removebitur omnis insignis ornatus quasi margaritarum: ne calamistri quidem adhibebuntur.* Auctor de causs. corr. eloq. 26. *malim Crassi maturitatem, quam calamistros Maecenatis.*

Consulto, i. e. de industria, data opera. Pro *consulto* et *inconsulto* alia quoque forma dicitur *consultu* et *inconsultu*. v. Plaut. Trin. I. 2. 130. Liv. III. 62. et ibi Gronov.

Rescripturum. i. e. retractaturum, emendaturum. Plin. VII. Ep. 9. *Poteris alia interscribere, alia rescribere.* ubi v. Buchner.

Transversa charta, plana et latissime patente. v. Casaub. ad h. l.

Notas, minus proprie vocat occultiorem scribendi rationem, cum integra quidem verba literis scribuntur, sed ita, ut literae non suam vim habeant. v. Aug. 88. et Gell. XVII. 9.

Delegarat, i. e. mandarat, commiserat. Plin. IV. Ep. 28. *ut imagines exscribendas pingendasque delegem.* v. Brisson. de V. S.

57. *Armorum et equitandi*, i. e. utriusque generis militiae, pedestris et equestris. *Arma* et *equi* saepe hoc sensu iunguntur. Valer. Max. IV. 6. ext. 2. *equo se et armis exercuit.* v. Tit. 3. et Burm. ad Virgil. Aen. VIII. 3. *Arma* intellige clypeum et gladium. v. Ovid. A. A. III. 384. et Salmas. ad Spartian. Hadr. 26. *Armorum peritus* dicitur, qui perite vibrat clypeum, in eo hostium tela et ictus gladiorum excipit, et contra hostem gladio ferit.

Ultra fidem, i. e. ultra quam credi potest. Liv.

VIII. 24. *ultra humanarum irarum fidem saevienti turbae.* ubi v. Intt. Iustin. II. 6. *quae non modo ultra spem gerendi, verum etiam ultra gesti fidem peracta sunt.* Ut *ultra* dicitur de his, quae maiora sunt, quam convenit, sic *citra* et *intra* de his, quae minora sunt. v. Duker. ad Flor. II. 7. p. 356.

In agmine, i. e. cum iter facit exercitus. Sallust. Iug. 45. *in agmine modo in primis, modo in postremis esse.* Liv. XXIII. 27. *nec iam aut in agmine, aut in castris ullo imperio contineri.* v. Serv. ad Aen. I. 186.

Capite detecto, i. e. nudo, aperto. Virgil. Aen. X. 133. *caput detectus honestum.* Romani semper caput apertum et sine tegmine habebant. Sed peregrinantes caput petaso muniebant contra pluvias, aestus, ventos. v. Lips. de Amphith. 19.

Seu sol esset. *Sol* est magnus solis calor. Tibull. I. 4. 2. *Ne capiti soles, ne noceantque nives.* ubi v. Broukhus. Horat. I. Carm. 8. 4. *patiens pulveris atque solis.* Saepe autem veteres dicunt, *est sol, est imber, est dies, est nox.* Virgil. Aen. III. 585. *Nam neque erant astrorum ignes.* v. Broukhus. ad Propert. III. 3. 24.

Expeditus, i. e. nullis sarcinis oneratus, vel, ut Cl. Ernestus exponit, non paenulatus.

Meritoria, i. e. conducta mercede. Calig. 39. *comprehensis meritoriis quoque vehiculis.*

Inflatis utribus. Utres vel inflabantur follibus, vel stramentis inferciebantur. Postea inventi sunt ascogephyri, i. e. pontes, qui utribus iunctis constarent. v. Casaub. ad h. l. Lips. Poliorc. II. 5. et Freinsh. ad Curt. VII. 5.

58. *Audens*, est fortis, constans, qui intrepido

 ani-

animo aggreditur omnia: *audax*, qui se temere in pericula coniicit. *Audentem esse*, laudi ducitur: *audacem*, vitio. Virgil. Aen. VI, 95. *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.* Frontin. IV. 1. 19. *ut adversus hostem audentiores fierent.* De horum verborum discrimine v. Burm. ad Ovid. A. A. I. 608.

Insidiosa itinera, i. e. in quibus poterant insidiae strui. Sic *loca insidiosa* in L. 36. §. 1. D. de rei vindic.

Per se, i. e. ipse, non per alium. Aug. 20. *externa bella duo omnino per se gessit.* v. Graev. ad Cic. ad Div. VI. 12. At falsum est, Caesarem Britanniam per se explorasse, ipso scribente de B. G. IV. 21. se Volusenum ad Britanniam explorandam praemisisse. Quod cum Suetonius ignorare non potuerit, culpa conferenda est in librarios, qui hunc locum vitiarint.

Transmittere mare, et absolute *transmittere* est transfretare. Cic. de Finib. V. 29. *cur tantas regiones pedibus obiit? tot maria transmisit?* Liv. XXX. 24. *onerariae naves in Africam transmiserunt.* Hinc substantivum *transmissus* pro traiectu apud Caesar. de B. G. V. 2. ubi v. Oudend.

Misisset. *Mittere* saepe simpliciter dicitur pro legatos, nuncios, literas mittere. Cic. ad Div. V. 20. *me antelaturum fuisse, si ad me misisset, voluntatem tuam commodo meo*, ubi v. Manut. Iustin. V. 3. *Athenas mittit, ex continenti se cum exercitu venturum.* Plura exempla habent Gronov. ad Liv. VIII. 23. et Graev. ad Cic. ad Att. III. 19. Sic etiam Graeci absolute πέμπειν dicunt. v. Duker. ad Thucyd. IV. 93.

Cedere tempestati, i. e. se subducere tempestati,

et

et terram repetere. Liv. V. 10. *ne hiemi quidem aut tempori anni cedere*. v. Oudend. ad h. l.

59. *Religione*, i. e. numinis metu sive superstitione. v. Lucret. I. 64. Gell. IV. 9. et Graev. ad Iustin. XXII. 6.

Immolare, proprie est molam salsam victimae fronti adspergere: unde boni ominis caussa pro mactare dicitur. v. Fest. h. v. *Mola salsa* conficiebatur e farre tosto, molitoque, et sale. v. Fest. h. v. et Serv. ad Virgil. Ecl. VIII. 82. Romani farre molito vel fresso, Graeci integro utebantur, ut docent vocabula οὐλαὶ et οὐλοχύται.

Aufugisset hostia. Infaustum omen erat, si victima, quae ad aram ducebatur, aufugeret, quia invito deo offerri putabatur. v. Liv. XXII. cap. ult. Macrob. Saturn. III. 5. et Drakenb. ad Sil. It. V. 63.

Prolapsus. Hoc quoque malum omen habebatur. v. Ovid. Ep. XIII. 87. Hinc nova nupta, quae in mariti domum deducebatur, ne pedem offenderet, limen transiliebat. v. Lucan. II. 352. et ibi Oudend.

Verso ad melius omine. Eadem loquendi forma apud Virgil. Aen. I. 281. *Consilia in melius referet*. ubi v. Serv.

Teneo te. Hac formula utebantur, qui peregre reversi, in cognatorum et amicorum complexum ruerent. Terent. Heaut. II. 4. 26. *Teneo te, Antiphila*. Petron. 159. *teneo te, qualem speraveram*. Quinctil. Decl. 18. p. 363. *Teneo unicum meum*. v. Cerdam ad Virgil. Ecl. I. 31. et Graev. ad h. l.

Eludendas, i. e. irridendas. Cic. Acad. IV. 59. *Vos ab illo irridemini, et ipsi illum vicissim eluditis*. v. Intt. ad Liv. II. 45.

60. *Destinato*. Forte scribendum *ex destinato*, ut *ex consulto*, *ex composito*, etc. v. Intt. ad h.

h. l. Quamquam saepe praepositio ante primum nomen omissa, revocanda est ex sequenti, ut apud Virgil. Aen. VI. 692. *Quae ego te terras et quanta per aequora vectum Accipio.* v. Bentlei. ad Horat. III. Carm. 25. 2.

Praelia sumere, est confligere. Claudian. de laud. Stilich. III. 184. *quoties hic praelia sumsit Pro sociis.* v. Casaub. ad h. l. et Heins. ad Ovid. Ep. XVI. 371.

Ab itinere, i. e. post iter. Liv. XXIII. 6. *Ab oratione consulis dimissis legatis.* ubi v. Gronov. XXVII. 30. *ipse ab eo concilio Argos regressus.* ubi plura Drakenb.

Spurcissimis, i. e. foedissimis. Cic. apud Non. Marc. p. 394. *cum iter facerem tempestate spurcissima.* Plin. H. N. XVI. 2. *nubilum spurcum.*

Moturum. Movere absolute dicitur, qui ad alium locum transit. Cal. 13. *ut a Miseno movit.* Cic. ad Att. V. 12. *erat in animo nihil festinare, Delo nec movere.* Liv. X. 4. *cum iniussu movere non auderent.* ubi v. Intt.

Moturum putaret. Recipienda meliorum Codicum lectio *speraret.* Nam *sperare* est existimare, credere, exspectare rem aliquam, sive bonam, sive malam. Cic. de Or. III. 15. *quoniam haec satis spero vobis molesta et putida videri.* Sallust. Catil. 41. *quem exitum tantis malis sperarent.* Virgil. Aen. IV. 419. *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* Sic etiam Graeci ἐλπίζειν dicunt. v. Casaub. ad h. l. et Duker. ad Flor. III. 1. p. 427.

Calamitas, i. e. clades bellica. Cic. de Off. III. 11. *Cannensi calamitate accepta.*

61. *Pronuntiassent.* Haruspices non solum *respondere*, sed etiam *pronunciare* dicuntur. Iul. Obseq.

seq. 106. *haruspices de lege, quae ferebatur, supersedendum pronuntiarunt.* v. Brisson. de Form. I. p. 116.

Primus adscendit. Graevius et alii ediderunt, *escendit.* Sed verbo *escendere* potius locus est, ubi nisus in arduum significatur. Videte quae notavimus ad Rutil. Lup. I. p. 48.

instar, i. e. imaginem, effigiem. De hac voce v. Vossium de Analog. I. 46.

Veneris genetricis. Sic Venus appellabatur, quod Aeneae, unde Romani originem ducebant, mater credebatur. v. Macrob. Saturn. I. 12. et Lambin. ad Lucret. I. 1.

62. *Inclinatam aciem*, i. e. vergentem in fugam. Liv. VII. 33. *ita conflixerunt, ut aliquamdiu in neutram partem inclinarent acies.* ubi v. Drakenb.

Aquilifer. Signum legionis erat aquila ex auro vel argento, hastae insistens, et saepe fulmen unguibus tenens, quasi iaculatura: quam qui gestabat, *aquilifer* dicebatur. v. Lips. de Milit. Rom. IV. 5.

63. *Constantia*, dicitur animus imperterritus, et immobilis iis, quae terrere possunt. Calig. 1. *legiones, incertum, constantia, an pietate maiore compescuit.* v. Gronov. ad Tacit. Agric. 27.

Per angustias. Per abundare videtur.

Vectoria navicula, i. e. parva navi, qua vectores traiici solent. v. Caesar. de B. G. V. 8. et Casaub. ad h. l.

Rostratis navibus, i. e. bellicis, quarum prorae rostris aereis munitae erant.

Cominus tendens, i. e. propius accedens. Ovid. Fast. V. 166. *Audet et hirsutas cominus ire feras.* v. Duker. ad Flor. II. 6. 29.

64.

64. *Circa oppugnationem*, i. e. in oppugnatione, vel quod attinet ad oppugnationem, ut supra demonstravimus.

Praecipitare, sine casu dicitur, ut semper apud Ciceronem. Virgil. Aen. II. 9. *nox humida coelo Praecipitat.* ubi v. Serv. Liv. II. 51. *praecipitavere in insidias.*

Desilisset. Scribendum *desiluisset.* Nam veteres perfectum a *salio*, eiusque compositis, non formant, *salii* vel *salivi*, sed *salui*, *desilui*, *dissilui*, etc. v. Voss. de Analog. III. 33. et Intt. ad h. l.

Paludamentum, est vestis imperatoria purpureo vel albo colore. v. Lips. de Mil. Rom. II. 12. Hac veste induti cum Imperatores ab urbe in expeditionem proficiscerentur, proprie dicebantur *paludati exire.* v. Caesar. de B. C. I. 6. et Gronov. ad Liv. XL. 10.

Potiretur. Codd. quidam, *poteretur*: quod et ipsum rectum est. Sic in Tib. 37. *oreretur.* Claud. 13. *adoreretur.* v. ad Drakenb. Liv. VII. 9. et Intt. ad h. l.

65. *A moribus*, i. e. propter mores. Liv. IV. 41. *moestae civitati ab re male gesta.* V. 44. *ab secundis rebus magis etiam solito incauti.* Sil. Ital. XI. 246. *victorque immanis ab ira infremuit.* v. Gronov. ad Senec. de Clem. I. 20.

A fortuna. Fortuna in singulari dicitur pro fortunis, sive censu et patrimonio. Nepos Chabr. 3. *neque animo aequo pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam.* v. Oudend. ad h. l.

Militem probabat. Probare militem propria locutione dicitur, qui eum legit et ad sacramentum admittit. Veget. I. 7. *tirones per gratiam, aut dissimulationem probantium, sociantur armis.* v. Gronov.

nov. Observ. III. 24. ex quo sumta est Graevii nota ad h. l.

Exactor disciplinae, i. e. arbiter, magister. Tib. 19. *disciplinam acerrime exegit.* v. Gronov. ad. Liv. VIII. 6. et ad Senec. Contr. V. p. 371.

Paratum et intentum. *Paratus* est armis instructus. *Intentus*, qui ad signa et imperium oculos animumque intendit. Hae voces saepe tanquam ex formula coniunguntur. Liv. XXIV. 39. *milites intenti dudum ac parati.* XXXV. 11. *qui primo intenti paratique in stationibus fuerant.* v. Burm. ad h. l. et ad Virgil. Aen. IX. 158.

66. *Ementiri*, significat confidentiam quandam in mentiendo. Sallust. Catil. 49. *circumeundo atque ementiendo magnam illi invidiam conflarant.* Petron. 82. *cum constantissime legionem essem ementitus.* Ner. 33. *comitiali morbo correptam ementitus est.* v. Torrent. ad h. l.

Confirmabat, i. e. animos militibus addebat. v. Ovid. Fast. I. 497. et ibi Heins.

His diebus, i. e. proximis diebus. Nam pronomen *hic* temporis nominibus adiunctum significat tempus vel proxime elapsum, vel proxime futurum. Liv. XLV. 24. *cum tribus regibus gessistis bella per hos annos.* Rutil. Lup. I. p. 56. *his paucis diebus eloquens est factus.* ubi videte quae notavimus.

Opinari, saepe apud Suetonium idem est, quod loqui. Aug. 51. *quod male opinari de Caesare soleret.* ubi hanc notionem erudite illustrat Casaubon. Gell. II. 28. *incerta et incuriosa super ea re opinatus est.* Sic *existimare* pro loqui dicitur apud Senecam de Ira III. 22. *libentissime faciunt, ut de rege suo male existiment.* v. Casaub. l. c.

Vetustissima nave. Erat supplicii genus apud ve-

veteres, ut mortis condemnatos navibus fractis aut vetustis imponerent, ventisque traderent in longinquas terras avehendos. v. Plin. Paneg. 34. Tit. 8. inprimis Casaubon. ad h. l. Constructionem *imponere nave* pro *navi* vindicant Interpretes ad h. l.

67. *Pro modo*, i. e. pro magnitudine, vel gravitate delicti, ut proportio inter delictum et poenam observaretur. Cic. pro Marcell. 8. *Hic tu modum tuae vitae, non salute reipublicae, sed aequitate animi definies?* Magnus Casaubonus in hoc loco explicando aberravit. v. Burm. et Oudend. ad h. l.

Exsequebatur, i. e. persequebatur, puniebat. Calig. 12. *aut inquirere quicquam, aut exequi ausum.* Vesp. 14. *offensarum minime memor, executorve.* v. Casaub. ad h. l. et Gronov. ad Liv. I. 59.

Connivere, vulgo in Lexicis explicatur, palpebras oculorum alternatim movere, ut solent, qui lucem aut vigiliam diutius ferre nequeunt. Verum ipsa exempla docent, *connivere* non esse movere palbebras, sed claudere. Sic Cic. de N. D. II. 57. *apertis oculis* opponit *somno conniventes.* v. Cl. Gesner. in Comm. Gotting. III. p. 279. Per translationem *connivere* significat oculos ad aliquid clausos simulare; cum videas, patienter ferre.

Unguentatos, i. e. qui capillos aromatico liquore unctos haberent: Plaut. Mil. III. 3. 49. *quidni noverim cincnnatum, moechum unguentatum?*

Cultos, i. e. ornatos. Hoc verbum saepe dicitur de ornatu corporis. Petron. 32. *dextrum nudavit lacertum, armilla aurea cultum.* ubi v. Heins.

Species, est ornatus externus, qui in oculos incurrit. Cic. in Pison. 11. *fuit pompa, fuit species, incessus saltem Seplasia dignus.* Calig. 22. *speciem principatus in regni formam convertere.* ubi v. Er-

Ernest. Plura habet Graevius ad Cic. de Off. I. 39.

Barbam capillumque summiserit. Hoc veteribus usitatum in luctu. Aug. 23. *ut barba capilloque summisso, caput interdum foribus illideret.* Calig. 24. *rediit, barba, capilloque promisso.* Iustin. IV. 4. *sordida veste, capillo barbaque promissis.*

Devotissimos, i. e. addictissimos, ut capita sua pro eius salute devovere parati essent. v. Calig. 14.

68. *Ingresso civile bellum*, i. e. cum inchoasset. *Ingredi* idem est, quod *aggredi*, incipere. Aug. 1. *praelium ingressus.* v. Heins. ad Vellei. Paterc. II. 119.

Viaticum, proprie est pecunia ad iter necessaria. Hic dicitur pro peculio castrensi, vel facultatibus militis. Horat. II. Ep. 2. 26. *Luculli miles collecta viatica — Perdiderat.* v. Torrent. ad h. l.

Obtulerunt, scil. armandos et alendos.

Tutelam, i. e. sustentationem. Seneca ad Helv. 9. *terra vix ad tutelam incolentium fertilis.* Sic *tueri* dicitur pro sustentare, alere. Nepos Epamin. 3. *amicorum in se tuendo caruit facultatibus.* Iustin. II. 1. *cum aliae terrae ne advenas quidem tueri possent.* ubi v. Intt. Aug. 49. *ut sumtus ad tuendos eos suppeteret.* Sic etiam hoc verbum capiendum in Ovidio Met. XV. 116. *Quid meruistis oves, placidum genus, inque tuendos Natum homines*, quod Burmannus minus recte intelligit de lana, qua oves nos a frigore tuentur. Illud enim poëta mox addidit: *Mollia quae nobis vestras velamina lanas Praebetis.* v. Casaub. ad h. l. et Graev. ad Cic. de Off. I. 4.

Necessitates, huius aetatis scriptores inopiam dicunt. Tib. 47. *nisi Senatui necessitatum caussas probassent.* ubi v. Ernest.

Deposcere, proprium in hac re verbum est. Galb. 15. *populo deposcent supplicium Haloti*. Tit. 6. *siquidem suspectissimum quemque sibi ad poenam deposcerent*. v. Drakenb. ad Liv. II. 13.

Ut consolandos eos magis, quam puniendos habuerit, i. e. ut necessario magis consolari, quam punire debuerit. Hoc genus loquendi proprium est huic aetati. Plin. I. Ep. 8. *praesertim cum enitendum haberemus*. Tacit. Ann. IV. 40. *posse Liviam statuere, nubendum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet*. v. Markland. ad Statii praef. L. II. Sylv. et Oudendorp. ad Frontin. I. 4. 3.

Multis partibus pauciores, i. e. multo pauciores. Cic. ad Div. I. 2. *perspiciebant in Hortensii sententiam multis partibus plures ituros*. ubi hanc elegantem locutionem multis exemplis illustrat Manutius.

Excusso oculo, i. e. effosso. Tib. 53. *convitianti oculum verberibus excussit*.

Memorabile illud etc. v. Iustin. II. 9.

Umbo, est media et prominens pars clypei, quo hostis et propellebatur et vulnerabatur. Curt. III. 10. *totam aciem suo pavore fluctuantem umbonibus posse propelli*. ubi v. Intt.

Agens, i. e. propellens, premens. Terent. Adelph. 2. 20. *ceteros ruerem, agerem, raperem*. Iustin. II. 9. *cum fugientes hostes ad naves egisset*. v. Burm. ad Virgil. Aen. XI. 620.

69. *Ut*, ponitur pro ita ut. Cic. de Off. I. 1. *dulcis tamen orator, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere*. v. Aug. 20. Bentl. ad Horat. II. Ep. 2. 87.

Obviam iit, i. e. restitit. Sallust. Iug. 5. *tum primum superbiae nobilitatis obviam itum est*. ubi v. Cort.

Cum

Cum ignominia missam fecit. Missio triplex erat; *honesta*, quae emeritis stipendiis dabatur; *caussaria*, quae ob caussam, i. e. vitium vel morbum, *ignominiosa*, cum quis ob delictum vel crimen militia solvebatur. v. Hirt. de B. Afric. 54. et Lips. de mil. Rom. V. 19.

Exigere poenam, est punire. Ovid. Trist. V. 8. 9. *Exiget ah dignas ultrix Rhamnusia poenas.* Eodem modo dicitur *expetere poenas*. Nempe poena omnis comparatur multae: unde etiam *dare poenas* dicitur, qui punitur, *sumere poenas*, qui punit.

70. *Decumanos*, i. e. milites decimae legionis. v. Caesar B. G. I. 43.

Ardente in Africa bello. Recte viri docti, deleta praeposione *in*, legunt: *ardente Africa bello.* Non enim *bellum ardere* dicitur, sed *regio bello ardere*. Cic. ad Att. VI. 5. *cum arderet Syria bello.* Liv. XXVIII. 45. *ardere bello Africam.* v. Oudend. ad h. l.

Deterrere, saepe est dissuadere, dehortari. Cic. ad Div. I. 7. *ego te, ut ad certam laudem adhortor, sic a dimicatione deterreo.* Tibull. I. 3. 13. *tamen est deterrita nunquam, Quin fleret.* ubi v. Broukhus.

Quirites. Magistratus, aut alii, qui cum populo agerent, cives alloquebantur voce Quirites: imperatores exercitum voce *milites*, vel blandius *commilitones*. At cum eos *Quiritum* appellatione alloquebantur, significabant, se illos non amplius pro militibus, sed pro civibus urbanis habere, atque adeo sacramento solvere. v. Liv. XLV. 37. et ibi Drakenb.

Circumegit et flexit. Elegans translatio ducta est a re equestri. Nam eques equum proprie dicitur *circumagere* et *flectere*. Seneca Contr. I. p. 138.

Ad haec nova et diversa imperia subito me circumagi putas posse. v. Torrent. ad h. l.

71. *Masintham.* Iuvenis fuisse videtur e stirpe priscorum Africae regum. Historia huius controversiae ignoratur. v. Casaub. ad h. l.

Prosequentium. Praesides provinciarum, votis in Capitolio nuncupatis, paludati iter in provinciam ingrediebantur, amicis officii caussa aliquanto viae spatio prosequentibus, ac bene ominantibus. v. Sigon. de ant. iure prov. II. 4. *Prosequi* proprium verbum est honoris et officii, et ad illos pertinet, qui quem honoris caussa deducunt. Tib. 10. *ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito.* Liv. VI. 34. *frequentia prosequentium rogantiumque, numquid vellet.* ubi v. Drakenb. Hinc verbum translatum est ad benivolentiam et amorem.

72. *Et deversorio eo, quod unum erat, cesserit.* Ita hunc locum scribendum esse docet Oudendorpius. *Deversorium* est locus ad viam sive noster, sive alienus, in quem devertimus quiescendi caussa, differtque ab *hospitio*, *caupona* et *taberna*. v. Manut. ad Cic. ad Div. VI. 19. Deminutivum *deversoriolum* etiam occurrit apud Cic. ad Div. XII. 20.

Sub divo, scil. coelo. quae vox saepe omittitur, ut in *puro* et *sereno*. v. Sanct. Min. IV. 4. p. 564. Semper MSStorum auctoritate scribendum *sub divo*, non *sub dio*. v. Intt. ad h. l.

Grassatores, sunt, qui vias obsident, et viatores spoliant. v. Fest. v. Grassari, Casaub. ad Aug. 32. et Swarz. ad Plin. Paneg. 34.

73. *Excipere* et *suscipere*, saepe promiscue dicuntur. Nepos Dione 8. *excipit has partes ipse Callicrates.* Cic. Brut. 69. *cum magnos labores excepisset.* v. Ernest. ad h. l. et ad Tacit. Ann. VI. 15.

Fa-

Famosa epigrammata, sunt, quae famam alicuius laedunt, ut *famosi libelli* Aug. 55.

Mamurra, erat praefectus fabrum Caesaris in Gallia. v. Catull. Carm. XXIX. et ibi Intt.

Stigmata, i. e. notas, quibus laedebatur ipsius fama. *Stigma* servorum nequam fronti inuri solebat: unde *stigmatiae* dicebantur. v. Petron. 103. et ibi Intt.

Imposita, i. e. inflicta. Cic. pro Sext. 19. *plaga mihi sanabilis, illis mortifera, qui eam imposuissent.* ad Att. I. 16. *tanto imposito reipublicae vulnere.* ubi v. Casaub. Sic etiam dicitur *contumeliam, iniuriam, labem imponere*, ut apud Liv. IV. 32. ubi v. Drakenb.

Satisfacere alicui dicitur, qui se illi, quem laesit, purgat, poenitere se facti affirmat. Tib. 27. *consularem satisfacientem sibi.* Claud. 38. *repente, tantum non satisfacientis modo, veniam dedit.* v. Torrent. ad h. l. et Muret. ad Catull. p. 761.

74. *A manu servum*, i. e. cuius opera in scribendis epistolis vel aliis rebus utebatur. v. Aug. 67. et Gronov. Observ. II. 24.

Testis citatus. i. e. vocatus. Cic. de Off. I. 22. *citetur Salamis clarissimae testis victoriae.*

75. *Moderationem, clementiamque.* Hanc naturae clementiam omnes Caesari tribuunt. Cic. ad Div. VI. 6. *In Caesare haec sunt: mitis clemensque natura* etc. ubi v. Manut.

Deesse, est non adiuvare, non defendere. Contrarium est *adesse.*

Medios, i. e. qui sunt neutrius partis. Cic. ad Att. X. 10. *qui se medium esse vult, in patria manet.* Liv. XXXV. 48. *pacem utrique parti, quod medios deceat amicos, optent.* Ner. 2. *Consultan-*

te Pompeio de mediis, ac neutram partem sequentibus. ubi notandum, rursus synonyma coniungi, ut h. l.

Quibus ordines dederat, i. e. quos centuriones crearat. *Ordo* est numerus militum, cui centurio praeficiebatur. Hinc *ordinem ducere* est centurionem esse, *ordinem alicui dare* vel *assignare*, centurionem legere. v. Liv. II. 23. et ibi Drakenb.

Poenitentia, i. e. consilii mutatione.

Cogitare, proprium verbum est de coniuratione, insidiis, scelere. Tib. 19. *tormentis expressa confessio cogitati facinoris.* Calig. 12. *de cogitato parricidio confessus.* v. Intt. ad Iustin. XXI. 4. et Graev. ad Cic. de Off. I. 8.

Conventus, i. e. coetus. Sallust. Iug. 30. *Romae per omnes locos et conventus de facto consulis agitari.* v. Gronov. ad Senec. de Benef. V. 15.

Arguere, est accusare, testibus et aliis argumentis convincere. Nepos Pausan. 3. *nullum erat apertum crimen, quo argui posset.* Tib. 25. *Libonem in Senatu coarguit.*

Notas. Non semper genus neutrum, sed interdum etiam masculinum vel femininum duobus nominibus diversi generis subiungitur, ut hic *notas* post *coniurationes* et *conventus.* Cic. ad Div. X. 24. *amor tuus ac iudicium de me, utrum mihi plus dignitatis, an voluptatis sit allaturus.* Cal. 13. *populum Rom. vel dicam, hominum genus, voti compotem fecit.* v. Intt. ad h. l.

Satis habuit, i. e. contentus fuit. Liv. V. 21. *si quae similia veri sunt, pro veris accipiantur, satis habeam.* ubi v. Drakenb.

Pitholaus, natione Rhodius, Otacilii libertus, ma-

le-

ledicentissima epigrammata scripsit. De eo praeclare magnus Bentl. ad Horat. I. Serm. 10. 21.

Laceratam, i. e. laesam. Liv. XXXVIII. 54. *nisi et ipsius fama sepulti laceretur.* Tib. 66. *Artabani literis laceratus est.* de Gramm. 15. *Sallustium acerbissima satira laceravit.* v. Bentl. ad Horat. II. Serm. 1. 85. Pro *lacerare* in Aug. 13. dicit *aliquem foedissimo convicio proscindere.*

Existimationem, i. e. famam. Plin. II. Ep. 9. *mea existimatio, mea dignitas in discrimen adducitur.* v. Swarz. ad Plin. Paneg. 80.

Civilis animus, dicitur aequus, moderatus, ita se in omnibus rebus praebens, ut ceteros quoque cives esse, meminisse videatur. v. Casaub. ad Aug. 51. et Ernest. Clav. Cic. v. Civilis.

76. *Praegravant*, i. e. praegravescunt. v. notata ad cap. 1. Metaphora sumta est a lance.

Iure caesus. Hoc ex formula dicitur. Nam iudices, caede facta, ita secundum reum pronunciabant: *iure caesum videri*, qui caesus erat. Exempla sunt ap. Brisson. de Form. V. p. 458.

Praefecturam morum. Pars praecipua Censurae erat cura morum. Hanc Caesar sibi sumsit, et sic rem habuit, nomine Censoris per modestiae speciem repudiato. v. Casaub. ad. h. l.

Praenomen imperatoris. Vocis *imperator* tres notandae sunt significationes, quas bene distinguit Dio Cassius XLIII. p. 371. sed luculentius explicat Casaubonus ad h. l. 1. Imperator est dux exercitus. 2. Dux victor, sive qui a militibus post insignem victoriam imperator salutatus est. 3. Inde a Caesare sic dictus est, qui imperatoris potestatem in urbe haberet, ex eaque ius vitae et necis, verbo *rex*. Secunda notione *imperator* nomini postponebatur:

 ter-

tertia notione praeponebatur. v. Lips. ad Tacit. Ann. III. 74.

Statuam inter reges. Septem regum statuae positae erant in Capitolio cum statua Iunii Bruti, qui reges eiecerat. v. Dion. Cass. XLIII. p. 373. et ibi Fabric.

Suggestus, est sedes eminentior, tecta et aedificata in modici cubiculi formam: unde etiam *cubiculum* dicitur in Ner. 12. ubi v. Casaubon. inprimis Lips. de Amphith. 11.

Pro tribunali. Pro iterum ponitur pro *in*, ut supra *pro rostris.*

Thensa, est vehiculum sacrum, in quo Dii vehebantur ad pulvinar in ludis circensibus. v. Fest. h. v. Ascon. ad Cic. Act. I. in Verr. 24. et Casaub. ad h. l.

Ferculum, est vehiculi pulpitum, cui Deorum simulacra imponebantur.

Pulvinar, est lectus Diis positus in lectisterniis, in quo Deorum imagines collocabantur accumbentium modo. v. Cic. Catil. III. 10. Horat. I. Carm. 37. 3. et Casaub. ad h. l.

Luperci, dicuntur sacerdotes Panis, cuius cultus ab Euandro ex Arcadia in Italiam translatus est. v. Liv. I. 5. Olim duae Lupercorum sodalitates fuerunt, Fabianorum et Quinctilianorum. v. Festum v. Quinctiliani. His deinde tertia accessit sodalitas, quae a Iulii Caesaris nomine Iulianorum dicta est. v. Dion. Cass. XLIV. p. 385. et ibi Fabric.

Ad libidinem, i. e. ad voluntatem, ad arbitrium. Liv. XXV. 21. *instruitur acies ad libidinem militum.* Iustin. II. 7. *libido regum pro legibus habebatur.* pro quo Iustin. I. 1. dicit: *arbitria principum*

pum pro legibus erant. v. Drakenb. ad Sil. Ital. XI. 312.

Titulo, i. e. nomine. Domit. 23. *ut eradendos ubique titulos decerneret.*

Consules substituit sibi, i. e. in locum suum suffecit. Hic est origo consulum, qui *suffecti* dicebantur, et ex hoc tempore semper duplices consules commemorantur, *ordinarii* et *suffecti.* Illi consulatum initio anni inibant, et Fastis praenotabantur, hi per duos tresve menses sufficiebantur, potestate pari, non dignitate. v. Dion. Cass. XLIII. p. 374.

Praesente se. Legendum vel *absente se*, vel *pro se*, ut viri docti viderunt. Nam vulgata lectio et rationi et Dioni Cassio repugnat. v. Intt. ad h. l. et Corsinum de Praefect. urb. p. 17.

Consularia ornamenta, i. e. nomina et dignitatem consulum, sine re et potestate. Sic sequentes Imperatores etiam *triumphalia ornamenta* concesserunt. v. Aug. 38. Tib. 9. et ibi Ernest.

Semibarbaros Gallorum, vocat Gallos Transalpinos, qui Latine loquebantur, et se ad Romanorum mores et cultum componebant. v. Cic. ad Div. IX. 15.

Peculiares servos, i. e. privatos et proprios, non publicos. Aug. 5. *proprio suo ac peculiari Deo. Peculiaris Caesaris servus* occurrit in inscriptione apud Fabrett. p. 307. ut non opus sit corrigere *peculiatos servos.* v. Oudend. ad h. l.

77. *Impotentia*, tribuitur illi, qui animum non habet in potestate, non potest regere animi affectus. Exempla ubique suppetunt.

Appellationem, i. e. nomen sine re. Cic. ad Att. V. 20. *voluit appellatione hac inani nobis esse par.*

Appellationem sine corpore ac specie. Hic locus vitiatus est et sensu caret, quem Salmasius et

Graevius verissime sic restituunt: *appellationem modo, ac sine corpore speciem. Species* et *corpus* sibi opponuntur. *Species* constabat externis maiestatis insignibus, titulis et ornamentis magistratuum. *Corpus* reipublicae et vis imperii penes unum Caesarem erat. Sic *res* opponitur *speciei*, *imagini*, *umbrae*, *nomini*. Ovid. Amor. III. 3. 23. *aut sine re nomen Deus est, frustraque timetur.* v. Casaub. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. III. 9. et quae diximus ad Vell. Pat. II. 30.

Sullam nescisse literas. Hoc dictum non uno modo explicant viri docti, quorum interpretationes obscuras vocat Burmannus, quamvis ipse afferat illis obscuriorem. Vim dicti unus cepit Cl. Ernestus: Cum Caesar dicere deberet, Sullam dictatura nesciisse uti, neque intellexisse, quantum in ea insit boni, lepide dixit, eum neciisse literas, quasi propterea deposuisset dictaturam, quod dictata dare, quod est literas docentium, non potuisset.

Sine corde exta. Hoc *pestiferum auspicium* dicebatur. v. Fest. v. Pestifera, et Torrent. ad h. l.

Si pecudi cor defuisset. Ludit in ambigua significatione vocis *cor*, quae etiam de sapientia dicitur. v. Ner. 2.

78. *Inexpiabilem*, i. e. quae placari nequit. Sed praeferenda plurimorum Codd. lectio, *exitiabilem*, i. e. quae exitium affert. Aug. 23. *cladem Varianam paene exitiabilem.* Cal. 50. *criminosum et exitiabile habebatur.* Claud. 25. *ob exitiabiles inter se discordias.*

Assurgunt, qui alicui honorem habere volunt. Virgil. Ecl. VI. 66. *Utque viro Phoebi chorus assurrexerit omnis.* ubi v. Serv.

Subsellia tribunitia, erant sellae humiliores, in qui-

quibus Tribuni sedebant pro rostris. v. Liv. III. 64.

79. *Latinarum*, scil. feriarum. Hae feriae saepe absolute dicuntur *Latinae*, ut a Livio XXXVIII. 44. ubi v. Drakenb. Institutae sunt a Tarquinio Superbo in honorem Iovis Latialis, cui Populus Rom. et Latini foederati communi consensu sacrificium faciebant. Quod sollemne, *Latiar* etiam appellatum, ad extrema usque reipublicae tempora conservatum est. v. Dionys. Hal. IV. p. 250. et qui omnia de hoc festo collegit, Sigon. de ant. iure Ital. I. 3.

Quidam e turba, i. e. ignotus quidam et obscurus homo. Phaedr. III. 19. 7. *quidam e turba garrulus*, ubi v. Burm.

Fascia. Diadema, commune olim regum insigne, non erat, nisi fascia candida et tenuis, quae caput cingeret. v. Plin. H. N. VII. 57. Lips. ad Tacit. Ann. VI. 37. et Drakenb. ad Sil. Ital. XVI. 242. Ex Imperatoribus primus Aurelianus diadema, lapillis ornatum, capiti imposuit, sed festis tantum et sollemnioribus diebus. v. Aurel. Victor. Epit. 35. Constantinus perpetuo gestavit. v. Vales. ad Amm. Marcell. XXI. 1.

Infamiam discutere, i. e. irritam facere, tollere. Cic. pro Mur. 39. *quod conceptum respublica periculum parturit, consilio discutiam.* Vell. Pat. II. 81. *exercitus seditio severitate discussa principis.* v. Duker. ad Flor. III. 18. p. 584. et Drakenb. ad Liv. II. 52.

Plebi, i. e. quibusdam e plebis faece, ac forte subornatis. Sic *plebs* pro quibusdam e plebe est in Ner. 10. v. Intt. ad h. l.

Antonio, qui unus Lupercorum erat. v. Cic. Phil. II. 54.

Percrebruit. Semper, inserta litera canina, scribendum esse *crebrui*, cum analogia similium verborum

rum docet, tum optimorum Codd. auctoritas. Nam ut a *niger*, *nigri*, *nigresco*, a *pigri*, *pigresco*, sic a *creber*, *crebri*, *crebresco*. v. Oudend. ad h. l.

Delectus, an *dilectus* scribatur, nihil refert. v. Graev. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. XXXVII. 51.

Quindecimvirum. Tarquinius Superbus duumviros instituit, qui libros Sibyllinos servarent. v. Dionys. Hal. IV. p. 259. Post creati sunt decemviri. v. Liv. VI. 37. 42. Tandem eorum numerus ad quindecim auctus est. v. Coelium ad Cic. Ep. 4. et ibi Manut. Munus eorum erat, libros Sibyllinos diligenter custodire, et eos, Senatus iussu, difficili reipublicae tempore, vel prodigiis ostentisque nuntiatis, *adire* vel *consulere*, ut veteres proprie loquebantur, edere Deos, quibus sacrificaretur, imperare, quae res divinae prodigiorum expiandorum caussa faciendae essent, praeire verba in votis concipiendis, etc. v. Dionys. Halic. l. c. Liv. XXXIX. 46. XLIII. 13. et utroque loco Duker.

Libris fatalibus, i. e. Sibyllinis, qui ita vocabantur, quod fata sive immutabilem Iovis voluntatem praedicerent. v. Liv. V. 14. Manut. ad Coelii l. c. et Torrent. ad Aug. 31.

80. *In unum contulerunt*, i. e. sociarunt. Terent. Heaut. III. 1. 64. *conferunt consilia adolelescentes*. Adelph. III. 2. 1. *si omnes omnia sua consilia conferant*. Sic apud Livium XXXII. 30. dicitur *vires in unum conferre*. v. Drakenb. ad VII. 34.

Bonum factum. Sollemnis formula in initio edictorum. v. Vitell. 14. et Brisson. de Form. III. p. 258.

Animadverti. Proprium hac in re verbum est. Magistratus iubet lictorem *animadvertere*, i. e. attentum esse suo officio: lictor iubet *animadvertere* populum, i. e. praesentia magistratus observata, debi-

bitum ei honorem habere vel assurgendo, vel capite aperiendo, vel de equo aut curru descendendo, vel semita cedendo. Liv. XXIII. 24. *ut consul animadvertere proximum lictorem iussit.* v. Lips. Elect. I. 23. et Swarz. ad Plin. Paneg. 23.

Declarantium. Notanda haec verbi significatio. Nam apud Ciceronem et Livium *declarare consulem* dicitur, qui comitia habet: cives autem dicuntur *suffragia ferre.*

Per comitia, i. e. tempore comitiorum, dum comitia habentur. Sic Aug. 44. *per ludos.* Claud. 27. *per spectacula.* Ovid. Ep. IV. 141. *per tenebras.* Liv. XLII. 64. *per meridiem.* ubi v. Drakenb.

Tribus ad suffragia vocantem. Cum comitia in campo Martis haberentur, magistratus, qui comitiis praeerat, populum iubebat in suas centurias discedere, et, quo quaeque centuria ordine vocaretur, suffragium ferre. Erat in campo locus cancellis clausus, qui *ovile* dicebatur. In hoc ovili structi erant pontes, per quos suffragia ferentes transibant, et in cistas ibi positas tabellas coniiciebant. v. Cic. de Legg. III. 17. de N. D. I. 38. et Intt. ad Liv. XXV. 3. Iam cuius candidati nomen plures tabellae haberent, is consul, vel praetor renunciabatur. v. Manut. de Legg. 37. et Gruchium de Comit. II. 3.

Partibus divisis, i. e. aliis super ponte, aliis sub ponte collocatis. v. Casaub. ad h. l. Locutio *partes dividere* desumta est e scena, in qua *partes* proprie dicuntur, quas quisque actorum sub alterius persona recitat. Liv. III. 10. *Fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos.* ubi v. Drakenb. Claud. 37. *divisis partibus, alter similis attonito, altera in admirationem formata.* inf. 82. *qui primas partes susceperat.*

Ex-

Excipere, proprium est verbum venatorum, qui feras vel vi vel dolis capiunt. Phaedr. I. 11. 5. *Ut insueta voce terreret feras, Fugientes ipse exciperet.* ubi v. Burm.

Facile, i. e. haud dubie, nihil haesitantes. Cic. ad Div. VI. 6. *intelligit te hominem esse facile omnium nobilissimum.* Flor. III. 14. 1. *Gracchus eloquentia facile princeps.* ubi v. Duker.

81. *Lege Iulia.* Quam ipse Consul tulerat. Colonia non poterat deduci, nisi lege lata. v. Sigon. de ant. iur. Ital. II. 2.

Sepulcra disiicerent. Hoc non modo contra religionem et leges factum est, sed etiam contra leges coloniarum. v. Sicul. Flacc. de condit. agr. p. 19. Porro sepulcrorum effossio dirum omen habere credebatur. v. Liv. XXX. 21. et Herald. ad Arnob. II. p. 101.

Quandoque, i. e. quandocunque. Horat. de A. P. 359. *Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.* Liv. I. 31. *quandoque idem prodigium nunciaretur.* ubi v. Intt. Nam veteres *que* non solum relativo *quis* et inde derivatis, sed etiam adverbio *quando* addebant, ut ostendit Gronov. ad Liv. I. 24.

Iulo. Bene viri docti Codicis Memmiani auctoritate scribunt *Ilo.* Nam *Ilus* fuit vetustissimus Ilii conditor, a quo originem ducebat Aeneas, ex Aenea Iulus vel Ascanius. v. Serv. ad Aen. IV. 159. et ibi Burm.

Fabulosam aut commentitiam. Membranae veteres habent, *fabulosum aut commentitium*, quod iure probat Casaubon. Sic enim veteres genus variare solent. Terent. Eun. V. 5. 28. *Tu isti narra omnem rem ordine, ut factum sit.* Liv. I. 3. *quis rem tam veterem pro certo affirmet?* ubi v. Duker.

La-

Lactant. I. 11. *Totam Ganymedeam fabulam pro falso repudiant.* v. Intt. ad h. l.

Consecrata, etc. Veteres animalia, e quibus insignem aliquam utilitatem ceperant, tanquam bene de se merita, libertate donare, et titulo appenso notata, in agros et sylvas dimittere solebant, ut sine custode vel pastore libere vagarentur, et tanquam sacra a nemine laederentur. Graeci eiusmodi animalia ἄφετα, vel ἱερὰ ab ἵημι, *mitto*, dicebant. De hoc more exquisita eruditione disputant viri summi, Is. Casaub. ad h. l. et H. Vales. ad Amm. Marcell. XXIX. 4.

Proferretur, i. e. differretur. Cic. ad Att. XIII. 14. *laxius proferre diem.* Stat. Theb. III. 664. *alite visa Bellorum proferre diem.* v. Heins. ad Ovid. Rem. Am. 93. Hinc *res prolatae* proprie dicuntur, quae ob ferias, vel aliis de caussis dilatae sunt. v. Cic. pro Mur. 13. et ibi Manut.

Se inferentem. *Inferre se* aliquo dicitur, qui in locum quendam contendit. Cic. pro Sulla 19. *in iis regionibus, quo se Catilina inferebat.* Apulei. Met. I. p. 69. *intuli me in aedes*, ubi v. Oudend.

Visus est per quietem, i. e. somniavit. Iustin. I. 9. *per quietem vidit fratrem suum regnaturum.*

Supra nubes volitare. Quod indicabat, se brevi moriturum, et in Deorum numerum relatum iri.

Imaginata est, i. e. somniavit. Verbum *imaginari* hac notione non occurrit apud aureae aetatis scriptores. Sed frequens est apud eosdem substantivum *imago* pro somnis. v. Horat. III. Carm. 27. 40. Ovid. Ep. XIX. 193. et Duker. ad Flor. IV. 2. p. 685.

Fastigium, est pars templi, quae in aciem desinebat, et statuis Victoriae, aliorumque Deorum orna-

habatur. Inter cetera invidiosa Caesar tale fastigium in domo sua usurpavit. v. Cic. Phil. II. 43. Deinde omnium Caesarum aedes fastigium habuerunt. Contra privatorum aedes planae erant, et quadratae. v. Casaub. ad h. l. Salmas. ad Spartian. Pescen. 12. et Swarz. ad Plin. Paneg. 54.

Fores sponte patuerunt. Hoc quoque malum omen erat. v. Vesp. 23. et Markl. ad Stat. Silv. IV. 1. 38.

Contineret, scil. domi.

Pluribus hostiis caesis. Hoc facere solebant, cum primae hostiae parum laetae essent. v. Serv. ad Aen. III. 231.

Litare, significat immolata hostia Deos placare. Liv. VIII. 9. *Manlium egregie litasse.* ubi v. Gronov. Ner. 56. *attendit et extispicio, nec unquam litavit.* v. Graev. et Duker. ad Flor. III. 4. p. 459. Sed ipsa quoque victima dicitur *litare.* Aug. 96. *Sacrificio litante.* ubi v. Oudend. Othon. 8. *victima Diti patri caesa litavit.*

Religione, i. e. metu ex adversis auspiciis.

Falsum, i. e. vanum et mendacem. Seneca Med. 8. *omnibus verax, sibi falsus uni.*

Noxa, i. e. damno. Discrimen est inter *noxa* et *noxia. Noxa* est culpae poena, atque adeo quodvis detrimentum et damnum. *Noxia*, quod adiectivum est, intellecto *culpa*, vel *res*, significat delictum, peccatum, culpam. De hac differentia v. Duker. de Lat. vet. IC. p. 17. et Oudend. ad h. l.

82. *Officii*, i. e. honoris ei habendi.

Cimber Tullius. Scribendum, *Cimber Tillius.* v. Perizon. Anim. Hist. c. VIII. p. 332. et Intt. ad h. l.

Differenti. Non solum *res*, sed etiam *homines* dif-

differri dicuntur. Cic. ad Div. V. 12. *sin autem differs me in aliud tempus.* Ovid. Rem. Am. 93. *nec te venturas differ in horas.* Tib. 32. *venientem in septimum diem distulerat.* v. Oudend. ad h. l.

Ista quidem vis est. Est formula eorum, qui valde urgentur et premuntur. v. Plaut. Capt. III. 5. 92. Terent. Adelph. V. 8. 20. Particula *quidem* in hac loquendi forma magnam vim habet. Terent. Heaut. III. 3. 5. *istaec quidem contumelia est.* v. Swarz. ad Plin. Paneg. 25.

Alter e Cassiis. Legendum, *alter e Cascis*, et mox, *Caesar Cascae brachium.* Nam alii scriptores narrant, unum e duobus Serviliis Cascis primum Caesari vulnus intulisse. v. Oudend. ad h. l.

Adversum, i. e. in pectore; ut *aversum*, quod MSS. quidam habent, in tergo. Sic *adversa vulnera* dicuntur, quae quis in pectore accipit: *aversa*, quae quis in tergo. Sallust. Catil. 61. *omnes adversis vulneribus conciderunt.* ubi v. Cort. Illa *honesta* habentur, haec *inhonesta.* Ovid. Fast. II. 2. 11. *Diffugiunt hostes, inhonestaque vulnera tergo Accipiunt.*

Caput toga obvolvit. Hoc faciebant violenta morte perituri. Pompeius ap. Lucan. VIII. 613. *ubi vidit cominus enses, Involvit vultus.* Cassius ap. Vell. Pat. II. 60. *lacerna caput circumdedit, et cervicem liberto praebuit.* v. Intt. ad Petron. 7. et 103.

Quo honestius caderet. Magnum in moribundis decoris et verecundiae studium erat. Polyxena apud Euripidem Hecub. 568. πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν, quod ita interpretatus est Ovid. Met. XIII. 479. *Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas, Cum caderet, castique decus servare pudoris.*

v. P. Fabrum Semestr. III. 23. et Gesnerum ad Plin. IV. Ep. 11.

Ad primum ictum, i. e. cum primum ictum sensit. Nam praepositio *ad* saepe ad tempus refertur. Virgil. Georg. III. 502. *ad tactum tractanti dura resistit.* Flor. III. 9. 4. *ad rei famam veneno fata praecepit.* v. Gronov. ad Senec. de Benef. IV. 6.

83. *Testamentum aperitur.* Sollemnis in hac re locutio. In Pandectis titulus est *de testamentis quemadmodum aperiantur.* v. Brisson. de V. S.

Virgo maxima, dicebatur, quae longissimo tempore Vestae sacerdotio functa esset, ceterisque Vestalibus praefuisset. v. Valer. Max. I. 1. 7. Sueton. Domit. 8. Eadem *virgo natu maxima* dicitur ab Ovidio Fast. IV. 639. *virgo vetustissima* a Tacito Annal. XI. 32. v. Lipsium de Vesta et Vestalib. 7. Vestalium sanctitas fidesque fecit, ut multi testamenta sua apud eas deponerent. v. Aug. 101. Tacit. Ann. I. 8. et ibi Lips.

Sororum nepotes, i. e. natos ex filiis vel filiabus sororum suarum.

Ex dodrante, i. e. novem partibus. Hereditas quomodo in duodecim uncias, quae *assis* vocabulo continentur, dividatur, §. 7. Inst. de hered. instit. explicatur. v. Gronov. de P. V. III. 10.

Ima cera, i. e. infima parte cerae, ut *extrema cera* pro extrema parte cerae ap. Cicer. Verr. I. 36. v. Salmas. de modo usur. p. 463. *Cera* est tabula cerata. In *ceris* et *tabulis* cum testamenta scriberentur, utrumque vocabulum pro testamento dici coepit. Martial. IV. 26. *Nihil Aniano praeter aridam vestem Moriens reliquit ultimis pater ceris.* v. Brisson. de V. S. v. Cera.

In familiam nomenque adoptavit, i. e. ut transiret

ret in gentem Iuliam et familiam Caesarum. v. Tib. 6. et Torrent. ad h. l.

Si quis sibi nasceretur. Usitata hac in re formula. Cic. de Inv. II. 42. *Si mihi filius genitus sit, is mihi heres esto.*

In tutoribus filii nominavit, i. e. tutores filio dedit.

Secundi heredes, a ICtis dicuntur, qui primis substituuntur, cum primi vel nolint, vel non possint hereditatem adire. v. Sallust. Iug. 65. Horat. II. Serm. 5. 48. et Brisson. de V. S. v. Heres.

84. *Funere indicto.* Hoc per praeconem fiebat, unde tale publicum funus *indictivum* dicebatur. v. Fest. h. v. Ex Terentio Phorm. V. 8. 37. et Festo v. Quiris, colligere licet, talem praeconis formulam fuisse: *Ex aedibus effertur mortuus*, vel, *ollus leto datus est. Exequias olli quibus est commodum ire, tempus est.* Ad hoc praeconium alludit Ovid. Amor. II. 6. 1. *Psittacus Eois imitatrix ales ab oris Occidit: Exequias ferte frequenter, aves.*

In Martio campo. Hoc erat contra maiorum instituta: sed dabatur interdum viris de rep. bene meritis. v. Liv. Epit. 119. Sueton. Claud. 1. et Kirchman. de Funer. II. 25.

Ad simulacrum, i. e. ad similitudinem. Flor. I. 2. 3. *ad simulacrum coelestium siderum.* IV. 2. 88. *ad simulacrum ignium ardens Pharus.* Similiter Sueton. Claud. 21. *ad imaginem.* et Serenus ap. Serv. ad Aen. XII. 923. *ad instar.* ubi v. Burm.

Lectus, i. e. torus similis accubitorio, quo honestiores efferri solebant. v. Propert. II. 10. 21. et Heins. ad Ovid. Amor. II. 14. 39. Viliores sandapila vel arca efferebantur. v. Kirchman. de Funer. II. 9.

Munera, quae ab amicis in rogum coniici solebant.

bant. Catull. Carm. XCIX. 5. *Ut te postremo donarem munere mortis.* Tibull. II. 4. 44. *Nec quidet moestas munus in exequias.* ubi v. Broukhus.

Omisso ordine. Ordo hic erat: Praeibant magistratus et Senatus, sequebantur equites, tum milites, postremo populus per tribus. v. Casaub. ad h. l.

Armorum iudicium, inscribebatur Pacuvii Tragoedia, in qua Ulysses et Aiax super Achillis armis certabant. Ut Pacuvius suam tragoediam duxit ex Aeschyli Ὅπλων κρίσει, sic multa in eodem argumento tractando sive ab Aeschylo, sive a Pacuvio sumsit Ovidius Metam. XIII. Versus, qui hic laudatur, ab Aiace dictus est de Ulysse, quem aliquando in proelio servarat.

Ex Electra Attilii Sic legendum. Nam Attilius Electram Sophoclis, quae adhuc superest, verterat. v. Intt. ad h. l.

A se, i. e. de suo. Aug. 40. *numos a se dividebat.* ubi v. Casaub. Terent. Adelph. V. 8. 17. *de te largitor.* Cic. pro Flacc. 15. *Ab A. Sextilio dicit se dedisse.*

Cellae, in templis sunt loca parietibus conclusa, in quibus stabant imagines Deorum, quibus templa sacra erant.

Quidam. Haec vox indicat, peregrinos fuisse.

Ad donum. In hac lectione consentiunt omnes fere MSS. eamque explicare conatur Oudendorpius. Sententiae aptior est aliorum coniectura, *ad manum*, quamvis, an Suetonius sic scripserit, dubitari possit.

Tibicines, in omnibus funeribus adhibebantur. Ovid. Fast. VI. 660. *Cantabat moestis tibia funeribus.* v. Kirchm. de Funer. II. 5.

Artifices scenici, qui in scenam prodeunt artis ludicrae faciendae caussa. v. Cic. pro Arch. 5. Saepe

pe *artifices* simpliciter dicuntur, ut apud Liv. XXXIX. 22. ubi v. Duker.

Vestem. Amici funus prosequentes vestes quoque suas in rogum coniicere solebant. v. Kirchman. de Funer. III. 5.

Bulla, est insigne puerorum in collo suspensum, non cordis figura, ut dicit Macrob. Saturn. I. 6. sed figura rotunda, ut ex marmoribus ostendit Sponius Miscell. erud. antiqu. p. 299. Ingenui pueri auream bullam gestabant, libertini scorteam. v. Ascon. in Cic. Act. I. in Verr. 58. Eam cum praetexta positam Laribus dedicabant, ut puellae Veneri pupas suas. v. Pers. Sat. V. 30.

Exterarum gentium. Ingens tum Romae multitudo erat exterarum gentium. v. Lips. de Magnit. Rom. III. 3.

Circulatim, i. e. circulos faciendo. *Circulus* dicitur, cum aliquot homines forte conveniunt, in orbem consistunt, et confabulantur. Liv. XXVIII. 25. *ubi sermones inter se serentium circulos vidissent.* v. Intt. ad Caesar. de B. C. I. 64. et Burm. ad h. l.

85. *Praefixum*, i. e. infixum. Virgil. Aen. IX. 465. *Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis Praefigunt capita.*

Solidam columnam, i. e. ex uno lapide excisam, non compositam ex pluribus frustis. Plaut. Curcul. III. 3. 7. *solidam auream statuam.* Virgil. Aen. VI. 552. *solidoque adamante columnae.* ubi v. Burm.

Scripsit, i. e. inscripsit. Tibull. I. 3. 54. *Fac lapis his scriptus stet super ossa notis.* v. Drakenb. ad Liv. IV. 20.

Apud eandem. Quasi in loco quodam sacro. Nam in templis controversiae distrahi solebant: de quo more exquisita eruditione disputat Casaub. ad h. l.

 Vo-

Vota suscipere, i. e. vovere. v. Aug. 97. Tib. 58. Dicitur etiam *vota concipere*, *vota nuncupare*. v. Brisson. de Form. I. p. 92.

Interposito per Caesarem iureiurando. Sic postea *per genium*, vel *salutem Caesarum* iurabant: cuius iurisiurandi tanta erat sanctitas, ut, teste Minucio Felice cap. 29. *tutius esset, per Iovis genium peierare, quam regis.* v. Brisson. de Form. VIII. p. 683.

Distrahere, i. e. solvere. Cic. pro Caec. 2. *omnia iudicia distrahendarum controversiarum caussa reperta sunt.*

86. *Religiones*, i. e. prodigia, omina.

Monere, vel Dii, vel prodigia proprie dicuntur, cum rerum futurarum eventum significant. Tibull. I. 7. 56. *Et canit eventus, quos Dea magna monet.* ubi v. Broukhus. Calig. 57. *Monuerunt et sortes Antiatinae, ut a Cassio caveret.* Huc pertinet formula frequens in lapidibus: *somno monitus.* v. Gronov. Diatr. Stat. c. XXVI. et Heins. ad Ovid. Met. XIII. 216.

Sunt qui putent. Sic veteres dicebant, non, ut hodie barbari dicunt, *sunt, qui putant.* v. Intt. ad h. l. et Ernest. Init. Rhetor. p. 825.

Custodias, pro custodibus. Virgil. Aen. VI. 574. *Cernis, custodia qualis vestibulo sedeat?* ubi v. Serv. Flor. IV. 11. p. 781. *incautiorem nacta custodiam.*

Alii e diverso, etc. Locus ita scribendus ex Graevii emendatione: *Alii e diverso opinatum, insidias undique imminentes subire semel satius esse.* Subaudiendum e praecedentibus *putant.*

Semel fieri, dicitur, quod fit, ut deinde numquam fiat. Ovid. Ep. X. 112. *At semel aeterna no-*

nocte premenda fui. Liv. XXV. 6. *cum quo dimicantes, aut vitam semel, aut ignominiam finirent.* v. Duker. ad Flor. II. 12. p. 364.

Si quid sibi eveniret; i. e. si moreretur. Hac eleganti formula veteres utebantur, ut mortis nomen evitarent. Sallust. Fragm. p. 997. *si Pompeio quid humani evenisset.* Cic. Tusc. Disp. I. 43. *velletne in patriam, si quid accidisset, auferri.* ubi v. Davis. Aug. 101. *Iulias, si quid his accidisset, vetuit sepulcro suo inferri.*

87. *Mandare*, proprie dicitur de ultima morientium voluntate. Ovid. Trist. I. 2. 55. *Et mandare suis aliquid, sperare sepulcra.* Cal. 3. *ut mandaret domesticis ultionem, si quid sibi accideret.* v. Brisson. de Form. VII. p. 640.

Nato. *Nasci* est oriri, existere. Terent. Hec. V. 2. 31. *Scit sibi nobilitatem ex eo, et rem natam.* Liv. XXXII. 46. *disceptatio nata est.*

Super coenam; inter coenandum. Aug. 77. *ter bibere super coenam.* v. Torrent. ad h. l.

Apud Lepidum; i. e. in aedibus Lepidi. Cic. de Amic. 20. *Neoptolemus apud Lycomedem erat educatus.* Sic frequentissimum est *apud me* pro domi meae.

88. *In Deorum numerum relatus est*; i. e. consecratus est, publica religione cultus est. Originem *ἀποθεώσεως* pulcherrime explicat Casaubon. ad h. l.

Animam esse Caesaris. Relati in Deorum numerum credebantur sidera fieri. v. Virgil. Georg. I. 32. Valer. Flacc. I. 16. et Scaliger. ad Euseb. Chron. p. 214.

Senatus ageretur, pro cogeretur. Notanda haec loquendi forma, quae iterum occurrit. Aug. 35. et ap. Capitolin. Gord. III. 22. v. Intt. ad h. l.

89. *Sua morte*, i. e. ea, quam naturalem vocamus. Seneca Ep. 69. *Bella res est, mori sua morte.* Huic opponitur *mors violenta*. v. Casaub. ad h. l.

AUGUSTUS.

1. *Ara*, est monimentum positum virtutis honorandae caussa. Cic. Phil. XIV. 13. *ea exstructione, quae sit ad memoriam aeternitatis, ara virtutis.*

Bello finitimo, i. e. quod cum finitimis gerebatur. Iustin. I. 1. *longinqua, non finitima bella gerebant.* v. Intt. ad h. l.

Semicruda exta, i. e. nondum percocta. Nam exta in foco coquebant, eorumque partem prosectam Diis adolebant.

Prosecuit. *Prosecare* proprium sacrificantium verbum est. Liv. V. 21. *qui eius hostiae exta prosecuisset, ei victoriam dari:* unde partes victimae, quae in aram inferuntur, *prosiciae* vel *prosecta* dicuntur. Ovid. Met. XII. 152. *Cuius ut imposuit prosecta calentibus aris.* v. Intt. ad h. l. et Brisson. de Form. I. 21.

Redderentur. Hoc quoque sacrificantium verbum est. Nam *exta reddi* dicuntur, cum probata et elixa arae imponuntur. Virgil. Georg. II. 194. *Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.* ubi v. Serv. Tacit. Hist. IV. 53. *super cespitem redditis extis.* v. Brisson. de Form. I. p. 24. et Salmas. Exerc. Plin. p. 19.

Re-

Referrentur, i. e. perferrentur.

2. *Ad plebem se contulit.* Saepe patricii ad plebem transibant, ut ad tribunatum plebis adspirare possent. Talium transitionum exempla collegit Sigon. de ant. iur. civ. Rom. I. 7.

Patriciatum, i. e. ius et dignitatem patriciorum. *Patriciatus* nova vox est, quam postea frequentarunt Ammian. Marcell. Cassiodorus, et alii.

Fortuna, i. e. casu. Nepos Cimon. 4. *cum aliquem, offensum fortuna, videret minus bene vestitum.* ubi v. Heusinger.

Voluntate, i. e. sponte. Terent. Adelph. III. 4. 44. *Quod vos ius cogit, id voluntate impetret.* Liv. V. 17. *si qui voluntate ad bellum eant.* ubi v. Gronov.

Municipalibus magisteriis. Magistri sunt pagorum, vicorum, societatum, collegiorum, ut Festus in h. v. docet. Quorum dignitas non *magistratus*, sed *magisterium* dicitur. v. Calig. 31. Domit. 4. et Gronov. ad Liv. XXIV. 25. qui tamen minus recte h. l. *municipiorum decuriones* intelligit. Melius Ernestus et Oudendorp. capiunt de magisteriis vicorum vel collegiorum per municipia.

Equestri familia, vel *loco* orti dicebantur, quorum maiores Equites fuerunt. v. Sigon. de ant. iur. civ. Rom. II. 1.

Argentarium, quem etiam dicunt *mensarium*, *numularium*, *trapezitam*, *collybistam*. v. Salmas. de Usur. 17. et Duker. ad Liv. VII. 21.

3. *Aestimatione.* Legendum *existimatione*, ut meliores libri habent.

Divisores, iidem sunt, qui *diribitores tabellarum*, quorum frequens mentio apud Ciceronem, v. c. de harusp. resp. 20. pro Planc. 19. Sed cum per

 hos

hos etiam pecunia in comitiis tributim dividerentur; et civium suffragia emerentur, eorum nomen infame factum est, atque adeo in convicii loco dictum. v. Ernest. Clav. Cic. h. v.

Operae campestres, sunt operarii, vel ministri, qui candidatis in campo Martio operam suam locabant. v. Cic. ad Q. Fatr. II. 1. et Gronov. Observ. III. 11.

Innutritus opibus. Seneca Consol. ad Polyb. 21. *liberalibus disciplinis non innutritus tantum, sed innatus est.*

Fugitivos, i. e. servos nequam et profugos a dominis suis, quos qui investigabant, et e fuga retrahebant, *fugitivarii* dicebantur. v. Flor. III. 19. 7. et ibi Freinshem.

Proconsulatum. Imo *propraeturam.* Sed saepe *proconsulem* dici, qui *propraetor* erat, supra demonstravimus.

Promereri, est bene mereri de aliquo, et semper in bonam partem dicitur.

4. *Profiteri se candidatum*, dicitur, qui nomen suum defert apud magistratum, qui comitiis praeest, petitque, ut sui ratio habeatur. v. Sallust. Catil. 18. Liv. XXVI. 18. et Gruch. de Comit. I. 3.

Octavia maiore. Mulieres ex gentis nomine vocabantur, ut *Octavia*, *Cornelia*, *Iulia*, *Tullia.* Interdum etiam praenomina habebant, ut *Prima*, *Secunda*, *Tertia*, *Quarta*, etc. quae tamen non a numero imponebantur, ut vulgo putant, sed verorum praenominum vim habebant, ut in viris *Quintus*, *Sextus*, *Decimus.* v. Perizon. Animadv. Histor. III. p. 110.

Tulerat, i. e. sustulerat, procrearat. v. Tib. 47. Vitell. 6.

Se-

Senatoriis imaginibus. Suetonius, proprietatis, si quis alius, studiosus, hic minus proprie loquitur. Non enim senatoria dignitas ius imaginis dabat, sed aedilitas curulis, et ceteri magistratus maiores. Erant autem *imagines* simulacra maiorum affabre facta, quae titulis magistratuum et triumphorum ornabantur, et in celebriori domus parte collocabantur. v. Polyb. VI. 51. Plin. H. N. XXXV. 1. Ex his imaginibus nobilitas censebatur, et quo plures quis imagines haberet, eo nobilior habebatur. v. Sigon. de ant. iur. C. R. II. 20. et quos laudat Ernestus Clav. Cic. v. Imago.

A matre, i. e. per matrem.

Tabernam exercuisse. Exercere rem aliquam dicitur, qui in ea versatur quaestus faciundi caussa. de Gramm. 23. *cum et officinas promercalium vestium exerceret.* Sic ICti dicunt *navem*, *cauponam*, *stabulum exercere.*

Sic, i. e. his verbis.

Taxat, i. e. reprehendit. Est frequentativum a *tangere*, sed aureae aetatis scriptoribus non usitatum.

Materna tibi etc., i. e. mater tua est pistoris filia.

Hanc finxit etc, pater tuus est numularius.

Finxit, i. e. tractavit, subegit. *Fingere* proprie dicuntur pistores, cum pani vel placentis figuram dant. Ovid. Fast. III. 670. *Fingebat tremula rustica liba manu.* Calpurn. Ecl. II. 65. *et fingere liba Priapo.* v. Casaub. ad h. l.

Collybus, est tum id, quod pro pecuniae permutatione argentario solvitur, tum ipsa pecuniae contrectatio: unde qui pecunia permutanda quaestum facit, *collybistes* vocatur. v. Salmas. de Usur. p. 497.

De-

Decolorare, ponitur pro simplici *colorare. Manus decoloratae* h. l. dicuntur, quibus ex pecuniae tractatione lividae quaedam sordes adhaeserunt. Auctor ad Herenn. II. 5. *livore decoloratum corpus.*

5. *Ad capita bubula*; i. e. in aedibus, quae insigne habebant boum capita. Sic Domit. 1. *natus est ad malum Punicum:* ubi tamen Cl. Dukerus non satis certa putat, quae vulgo *de insignibus aedium* traduntur.

Sacrarium, est sacellum sive in loco privato, sive in publico. v. Tib. 51. Domit. 15.

Graviore adulterii poena, scilicet graviore, quam statuta erat lege Iulia de adulteriis, quae adulteros coërcebat relegatione in insulam, et publicatione dimidiae bonorum partis. v. Pauli Sent. Recept. II. 26. §. 15. et ibi Intt.

Allegare, est rem proferre, quae moveat eum, cuius voluntatem nobis conciliare cupimus. Aug. 47. *Urbes, merita erga populum Rom. allegantes.* Plin. III. Ep. 4. *allegantes patrocinii foedus.* Paneg. 70. *hoc senatui allegandum putasti.* ubi v. Swarz. Sed merito dubitat Cl. Ernestus Clav. Cic. v. Allegatus, an aurei seculi sit haec notio verbi.

Quod primum nascens attigisset. Haec explicanda sunt ex more antiquo. Infans recens natus deponebatur humi; quem pater, si alendum et educandum putaret, de terra tollebat: unde ortae sunt locutiones, *tollere* et *suscipere liberos.* Praeerant huic rei Deae, Ops et Levana. Ex eodem ritu intelligendus locus Ner. 6. *natus est tantum quod exoriente Sole, paene ut radiis prius, quam terra, contingeretur.* v. Torrent. ad h. l.

Donari deo, i. e. sibi ignosci, sibi peccatum remitti propter proprium et peculiarem Deum. *Dona-*

nare aliquem alicui exquisite dicitur pro veniam dare alicui ob gratiam alicuius. Cic. ad Div. XIII. 73. *peto, ut eius filios mihi condones.* Liv. III. 12. *sibi ut donarent filium orabat.* Iustin. XXXII. 12. *non tam absolutum quam donatum filio patrem.* v. Duker. ad Flor. III. 5. p. 474. et Drakenb. ad Liv. II. 35.

6. *Nutrimentorum locus*, i. e. ubi infans nutritus et educatus est. v. Calig. 9.

Cella penuaria, vel *penaria* est locus, ubi penus reconditur. *Cato*, teste Cic. Verr. II. 2. *Siciliam nominavit reip. cellam penariam.* v. Fest. v. Penora, et Burm. ad h. l.

Tenet vicinitatem opinio, i. e. vicini in ea sunt opinione. Liv. I. 28. *ne vos falsa opinio teneat.* v. Drakenb. ad Liv. IX. 30.

Caste, i. e. religiose, pura mente. Cic. de Legg. II. 8. *ad Deos adeunto caste.* ad Div. XIV. 4. *Deos castissime coluisti.* ubi v. Graev. Ovid. II. ex P. 1. 33. *Iustitiamque sui caste placasse parentis:* ubi plura Heins.

Horror, refertur ad venerationem numinis. v. Serv. ad Aen. I. 165. VII. 172. et Freinshem. ad Flor. III. 21. p. 616.

Obiici, proprie dicitur, quod subito et de improviso obvenit. Terent. Hec. III. 1. 6. *quibus est alicunde aliquis obiectus labos.* Liv. XXVII. 1. *quo plus terroris hosti obiiceret.*

Tentandi caussa, i. e. ut tentaret, an id verum esset.

Exturbatus, i. e. eiectus. Rutil. Lup. I. p. 45. *Simonem domo sua, vi cum summa iniuria esse exturbatum:* ubi videte quae notavimus.

Strato, i. e. vesti lecti, cui incubuerat.

7. *Probatione*, i. e. argumento.

Fer-

Ferreis literis, i. e. ferruminatione adiunctis. Ferri vel alterius materiae cum alia conglutinationem Latini *ferruminationem* vocant, Graeci τέχνην ἐμπαιστικήν. v. Petron. 32. et Casaub. ad h. l.

Exolescentibus, i. e. vetustate vix amplius conspicuis.

Principi, i. e. Hadriano, apud quem Suetonius epistolarum magister erat.

Cubiculares. Elegans est Lipsii coniectura, *cubiculi Lares*. Domit. 17. *puer arae Larium cubiculi adsistens.* Sic Alexander Severus, teste Lampridio in eius Vita 29. Christi imaginem posuit in Larario.

Conditor urbis, is quoque dicitur, qui collapsam reficit et instaurat. Sic Plinius X. Ep. 38. Traianum vocat *conditorem disciplinae militaris*. v. Intt. ad Flor. I. 3. p. 38.

Quod loca quoque religiosa etc. Haec et quae sequuntur, usque ad finem capitis, Suetonio adsuta sunt ex Festi Epitomatore, Paulo. v. Graev. et Oudend. ad h. l.

8. *Militaria dona.* Haec erant *armillae*, *coronae*, *hastae purae*, *phalerae*, *vexilla*, *torques*. v. Lips. de Milit. Rom. V. 17.

Aetatem, i. e. pueritiam. Saepe *aetatis* nomen simpliciter pro pueritia sive aetate florenti ponitur. Cic. Verr. I. 12. *dedecora, quae aetas ipsius pertulit.* v. Schulting. ad Senec. Contr. II. p. 196. Gesner. Comm. Gotting. III. p. 284.

Avunculo. Praecedenti capite vocat *avunculum maiorem*. v. Duker. ad Liv. Epit. 117.

Firmus, i. e. recuperata valetudine. Sic de aegro convalescente Cic. ad Div. XVI. 11. *spero te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore.*

In-

Infestas vias, i. e. non tutas, periculosas. Asin. Pollio Cic. ad Div. X. 31. *saltus nunc frequentioribus latrociniis infestior factus est.*

Demeruit, i. e. sibi, tanquam merito, devinxit. Claud. 40. *nihil habere se, quare eos demereatur.* Oth. 4. *alium alia via militum demerebatur.* Vesp. 2. *Caium ne quo non genere demereretur.* Ovid. Ep. II. 28. *Crimine te potui demeruisse meo.*

Approbare et *probare*, cum dativo personae est quocunque modo efficere, ut aliquid alicui rectum, iustum, probum videatur. Seneca de Clem. I. 13. *approbare imperia sua civibus cupiens.* Tacit. Ann. XV. 59. *dum posteris, si vita praeriperetur, mortem approbaret.* Inprimis conductores operum publicorum dicuntur *approbare opus suum censoribus*, cum ostendunt, illud ex lege censoria esse perfectum. Phaedr. IV. 24. 10. *opus approbavit: sed mercedis tertiam Accepit partem.* v. Gronov. ad Plaut. Amph. prol. 13. et ad Senec. N. Q. II. 16.

Indoles, proprie est incrementum, ut Festus explicat. Nam oritur ex *in* et *oleo*, cresco, diciturque de naturali et ingenita propensione sive ad virtutes, sive ad vitia. Liv. XXI. 4. *cum hac indole virtutum ac vitiorum sub Asdrubale meruit.*

Consilium immaturum, i. e. properatum. Liv. XXII. 38. *se consilia ante tempus immatura non praecepturum.*

9. *Per species*, i. e. ut eius actiones referantur ad genera quaedam. v. Swarz. ad Plin. Paneg. 66.

Exequar, i. e. enarrabo, exponam. Tib. 61. *Singillatim crudeliter facta eius exequi.* Dom. 1. *ne exequar singula.*

10. *Convenientius*, scil. officio suo. v. Casaub. ad h. l.

Pro-

Provisum. MSS. quidam habent *praevisum.* Sed illud melius. Nam *providet*, qui sibi cavet, et periculum subterfugit. *Praevidet*, qui futurum quid videt, ac saepe praedicit, sed non cavet. De horum verborum discrimine v. Gronov. ad Liv. XXXV. 34. XXXVI. 17. et Burmann. ad h. l.

Ludos facere, idem est, quod ludos edere. Cic. Brut. 20. *Hoc praetore ludos Apollini faciente.* Phaedr. V. 5. 4. *Facturus ludos quidam dives nobiles.*

Candidatum petitorem. Alterutra vox e glossemate in textum venit. v. Intt. ad h. l.

Publicum ius, i. e. quod commune erat omnibus civibus, quod nemini negabatur. Terent. Phorm. II. 3. 65. *Anne hoc quidem adipiscar, quod ius publicum est.* Cic. pro Dom. 13. *nego potuisse iure publico quenquam civem ulla eiusmodi calamitate affici:* ubi v. Graev. Tib. 50. *per speciem publici iuris.*

Translatitium, proprie dicitur, quod praetor ex decessoris edicto transfert in suum. Quod cum saepe fieret, et illa adeo edicti capita in omnium notitiam venirent, *translatitium* poni coepit pro vulgari et usitato. Coelius Ciceroni Ep. 5. *nosti haec tralatitia.* Petron. 110. *deformitas non tralatitia.* v. Ner. 7. et 33. Manut. et Graev. ad Cic. ad Div. III. 8.

Sine paludamento. Hoc cladis et fugae argumentum. v. Casaub. ad h. l.

Subire onus, proprie dicitur, qui onus vel dorso, vel capite, vel humeris gestat. Virgil. Aen. II. 708. *Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit.* IV. 599. *Quem subiisse humeris confectum aetate parentem.* v. Salmas. Exerc. Plin. p. 388.

11. *Orbata*, i. e. privata. Proprie hoc verbum dicitur de liberis, qui amiserunt parentes.

Exercitus occuparet, i. e. in suam potestatem redigeret. Iustin. XXII, 7. *occupatoque exercitu eius, Carthaginienses superat.*

12. *Receptum. Recipere* proprie dicuntur, qui nocentes occultant, celant. Unde in libris iuris civilis *receptatores* vocantur. v. Brisson. de V. S.

Pro partibus, scil. Antonii et Lepidi. *Ceteri duces* sunt Plancus, Silanus, Asinius Pollio. Verum vidit Casaub. ad h. l.

Caussam optimatium, i. e. commodum, utilitatem; barbari dicunt *interesse*. Saepe *caussa* sic est apud Ciceronem, ut pro L. Manil. 2. ubi v. Graev.

Dicta factaque. Haec saepe coniunguntur. Ner. 34. *matrem dicta factaque sua exquirentem*. v. Duker. ad Liv. VII. 33.

Calumniatus, i. e. maligne et contra sententiam interpretatus. v. Phaedr. prol. lib. I. 5.

Ornandum tollendumque. Sensus ambiguus est. Nam cum Cicero diceret, Octavium laudandum esse, et ad honores evehendum, intelligi volebat, eum laudandum esse, et e medio tollendum. v. Cic. ad Div. X. 28. XI. 20. Vell. Pat. II. 62. et Intt. ad h. l.

Ne aut sibi. Omnino legendum: *nec aut sibi*, ut haec pendeant a verbo *calumniatus*. Octavius calumniatus erat, quasi sibi non talis honor et gratia, qualis D. Bruto, aliisque Pompeianis, referretur. v. Vell. Pat. II. 62. et Oudend. ad h. l.

Prioris sectae, i. e. partium, quas secutus erat. Cic. ad Div. XIII. 4. *qui sectam Caesaris secutus es. Secta* est ratio et institutum vitae, quod quis sequitur. Ita *sectae philosophorum* dicuntur.

Extorres, i. e. extra patriam terram eiectos. *Ex-*

torris saepe absolute dicitur, saepe additum habet ablativum *patria*, *domo*, *regno*, *oppido*, ut h. l. v. Drakenb. ad Liv. II. 6.

13. *Philippense bellum*, i. e. gestum ad Philippos, urbem Macedoniae, quae saepe ab ipsis veteribus confunditur cum Philippis Thessaliae, ubi Pompeius victus est.

Successu, i. e. rebus prospere succedentibus, de quo ablativo temporis v. notata ad Caesar. 5. et Intt. ad h. l. Sed praeferenda altera lectio: *successum victoriae moderatus est*. *Moderari* semper cum accusativo construit Suetonius, ut Claud. 14. Domit. 7.

Submitteretur. Praestat meliorum Codd. lectio, *subiiceretur*. Nam *submitti* est supplicis et venerantis, *subiici*, victi et calcati, habetque imaginem moris, quo victi victoris pedibus calcabantur. Cal. 26. *subiecta pedibus vestis*, nempe quae calcatur. v. Intt. ad h. l.

Volucrum fore potestatem, i. e. in volucrum fore potestate. Terent. Heaut. IV. 3. 42. *quasi non ea potestas sit tua*. Cic. in Vatin. 17. *an erit haec optio et potestas tua?* v. Gronov. ad h. l.

Pro vita rogantes. Differunt *rogare rem*, et *rogare pro re*. Illud est, petere rem, quam non habemus; hoc est precari, ut, quod habemus, servare liceat. Phaedr. III. 2. 16. *Damnum non recusant, tantum pro vita rogant*. ubi v. Burm.

Sortiri et *micare*, differunt, ut genus et forma. *Micare* de ea sortitione dicitur, quae fit, cum duo ita disceptant, ut alter manum iactet, digitis quibusdam porrectis, alter eodem momento divinet, quot sint extenti. Cic. de Off. III. 25. *Sed quasi sorte aut micando victus alteri cedat alter*. Hinc

qui

qui certissima esset fide, proverbiali locutione dignus dicebatur, *quicum in tenebris mices.* v. Cic. de Off. III. 19. et Casaub. ad h. l.

Occubuisset necem. Dicitur *occumbere necem*, et *occumbere nece.* Cic. T. D. I. 42. *pro patria mortem occumbere.* Liv. I. 7. *Ictus clava morte occubuit.* v. Drakenb. ad XXXI. 18. et Intt. ad h. l.

Partitis, hic passive sumitur, ut ap. Ovid. A. A. III. 593.

Orientem ordinandum, i. e. constituendum statum Orientis. v. Caes. 40.

Collocari agris, vel *in agris* proprie dicuntur coloni, cum illis agri, quos colant, assignantur. Nepos Milt. 2. *multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit.*

14. *In quatuordecim ordinibus*, i. e. in equestribus. v. notata ad Caes. 39.

Excitari, i. e. admoneri, ut surgeret. Phaedr. IV. 24. 27. *Homo perturbatus excitat Simonidem.* Rutil. Lup. II. p. 105. *protinus ex cubiculari lectulo excitatus.* ubi videte quae notavimus.

Saluti fuit, i. e. salutare fuit. Nepos Themist. 2. *Id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico.*

Iniuria, saepe dicitur de corporis cruciatu. Iustin. XLIII. 2. *puellam vinculis onerat, ex quorum iniuria decessit.* Petron. 102. *praesto tibi erimus sine tormentorum iniuria hilares.* ubi v. Burm.

15. *Hostiarum more*, nempe ut Caesaris manes placaret: de quo more erudite disputat Casaub. ad h. l.

Compacto, i. e. de compacto, mutuo pacto inter se inito. Liv. V. 11. *compacto eam rem actam.* ubi v. Gronov.

Ad arma isse, i. e. bellum movisse. Liv. IX. 32. *omnes Etruriae populi ad arma ierant.* ubi v. Drakenb.

Continere, simpliciter dicitur pro, in officio continere. Liv. XXX. 70. *oppida magis metu, quam fide, continebantur.* Iustin. V. 8. *quasi parvus hic ad continendam civitatem exercitus.* v. Intt. ad Phaedr. prol. l. II. 1.

Confiscatis, i. e. bonis eorum in fiscum redactis. Verbum *confiscare* Augusti tempore natum est. Is enim fiscum principis instituit, cum aerarium esset populi. *Confiscare* autem non solum ad *rem*, sed etiam ad *personas* refertur. Tib. 49. *Galliarum principes confiscatos.* Cal. 41. *cum duos equites Romanos locupletes confiscari iussisset.* Sic etiam *publicari* homines dicuntur. Cic. pro Dom. 8. *cum lege nefaria Ptolemaeum publicasses.*

16. *Traxit*, i. e. produxit. Liv. V. 11. *datum locum Veientibus ad incendenda opera, belli trahendi caussa.* ubi v. Drakenb.

Ad remum datis, i. e. qui remiges essent. Liv. XXXIV. 6. *servos ad remum dabamus.* ubi v. Duker. Praepositionem *ad* ministerium significare, vidimus ad Caes. 49. *Ad remum dare* interdum poenae genus erat. v. Cuiac. ad Pauli Sent. Recept. V. 25. 11. et P. Fabrum Semestr. II. 60.

Arto somno devinctus, i. e. ita dormiens, ut quasi artissimi somni vinculis captivus teneretur. Ovid. Met. XI. 258. *ut somno vincta iacebas.* ubi v. Heins. Liv. V. 44. *nisi vinctos somno veluti pecudes trucidandos tradidero.* ubi plura habet Drakenb. Pro *vinctus* et *devinctus somno* MSS. saepe exhibent *victus* et *devictus somno.* Quod et ipsum recte dicitur. v. Broukhus. ad Tibull. I. 2. 2.

Si-

Signum, erat vexillum, quod tollebatur in praetoria navi. v. Lips. de Mil. Rom. IV. 12.

Rectis oculis; i. e. interritis oculis, fidenter, sine metu. Horat. I. Carm. 3. 18. *Qui rectis oculis monstra natantia, Qui vidit mare turbidum.* Sic magnus Bentleius *siccis oculis*, quod ante in Horatio vulgabatur, verissime emendat; et locutionem multis exemplis illustrat.

Stupidum, i. e. metu ita exanimatum, ut immotus esset. Ovid. Trist. I. 3. 11. *Non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus Vivit, et est vitae nescius ipse suae.* v. Casaub. ad h. l.

In conspectum fuisse, i. e. venisse. Quod dicitur ex imitatione Graecorum, quibus sic usitatum est γενέσθαι et παραγενέσθαι. Cic. ad Att. XV. 4. *quo die in Tusculanum eram futurus.* Curt. VI. 5. *ut primum res in conspectum fuit.* v. Casaub. ad h. l. et Burm. ad Ovid. Ep. XVI. 138.

Cum partem reliquam copiarum continenti repeteret. Sic legendum: *continenti* dicitur pro ex continenti Italia. *Repetere* est non simul omnes petere, sed singulas partes; unam post alteram. Liv. XXI. 28. *primis expositis, alii deinde repetiti atque traiecti sunt.* v. Intt. ad h. l.

Oppressus. *Opprimi* dicitur, cui subito et praeter opinionem aliquid accidit. Cic. Verr. III. 91. *Antonium mors oppressit.* Iustin. II. 8. *matronas in Eleusinis sacris noctu oppressuri.*

Terram legentibus, i. e. iuxta litus navigantibus. Liv. XXXVII. 17. *cum oram Asiae legerent.* ubi vi Drakenb.

Excipere, proprium est verbum venatorum, qui observantes ferarum vias, illis insidias struunt, et hinc dicitur pro insidiis aliquem circumvenire et ca-

capere. Virgil. Aen. III. 332. *Excipit incautum insidiis.* v. Intt. ad Phaedr. I. 11. 6.

17. *Focillatam*, i. e. sustentatam. *Focillo* derivatur a *foco*, *foculo*, et primaria notione significat ignem leni flatu excito, deinde recreo, reficio. v. Fest. v. Focus. Auctor vitae Virgilii p. 129. *defecisse fertur, atque aegre refocillata.*

Abrupit, i. e. dissolvit. Catull. LXVII. 84. *Posset ut abrupto vivere coniugio.*

Approbaret, i. e. ostenderet.

Nuncupare heredes, est pronunciare, nominare, verbis exprimere. v. Calig. 38. Claud. 3. et Brisson. de V. S. h. v.

Gratiam fecit coniurandi, i. e. concessit, veniam dedit coniurandi. Liv. III. 41. *facta dicendi gratia.* v. Intt. ad h. l. Aliis locis *gratiam facere* dicitur pro remittere necessitatem aliquid agendi: inf. 38. *reddendi equi gratiam fecit.* ubi v. Oudend.

In serum. Saepe additur *noctis* vel *diei.* Liv. XXXIII. 48. *multo vino in serum noctis convivium productum.* v. Drakenb. ad VII. 8.

Confecta victoria. i. e. parta. Cic. Phil. XIV. 1. *reditum ad vestitum confectae victoriae reservate.*

Conflictatus, i. e. iactatus. Tacit. Agric. 22. *conflictatum saevis tempestatibus exercitum.*

Promontoria. Rectius scribitur *promuntoria* a prominendo. v. Is. Voss. ad Mel. I. 13. p. 625. et Duker. ad Flor. II. 2. p. 242.

Liburnicarum, scil. navium. *Liburnae*, vel *Liburnicae* vocantur naves bellicae velocissimae, quas Liburni, populus in Illyrico, invenerunt. v. Calig. 36. et Scheffer. de Mil. Nav. II. 2.

Armamentis, i. e. velis, malis, antennis, rudentibus, et reliquo instrumento nautico. v. Liv. XXI. 50.

50. XXXVI. 44. Hinc *armari navis* dicitur, quae tali modo instruitur, et *exarmari*, quae instrumentis spoliatur. v. Flor. IV. 2. 76. et ibi Graev.

Desideria. Proprium hac aetate in tali re verbum, pro quo Cicero *postulata dixit*. v. Tit. 8. Casaub. ad h. l. et Intt. ad Tacit. Ann. I. 19.

Ordinarentur, i. e. certi quid de iis constitueretur. Claud. 45. *donec circa successorem omnia ordinarentur*.

Seras conditiones pacis tentantem, i. e. sero conditiones etc. Adiectivo utitur pro adverbio, ut Liv. praef. *in quam civitatem tam serae avaritia luxuriaque immigrarint*. ubi v. Drakenb.

Psylli, sunt populi Africae, qui morsibus serpentum medebantur, ore exsugentes venenum. v. Plin. H. N. VII. 2.

Simulacro, i. e. statuae. Principum statuae his, qui ad eas confugissent, asylum praebebant. v. Tib. 53. L. Cod. de his, qui ad stat. conf. et Brisson. Select. Ant. IV. 2.

Retractum e fuga. *Retrahere* elegans et proprium verbum est de prehensione fugitivorum. Liv. II. 12. *ne a custodibus retraheretur, ut transfuga*. ubi v. Drakenb. Flor. III. 19. *qui per fugitivarios retrahi debuissent*. ubi plura exempla habet Duker.

Mox, i. e. deinde.

Sustinuit, i. e. aluit. Cic. ad Div. XVI. 21. *Ex meis angustiis illius sustento tenuitatem*. Virgil. Georg. II. 514. *hinc patriam parvosque nepotes Sustinet*. v. Drakenb. ad Liv. II. 54.

Fovit, i. e. adiuvit. Liv. XXIV. 36. *ut praesens suas res foventibus adderet animum*.

18. *Conditorium*, i. e. arcam, in qua conditum

 erat

erat corpus. v. Quinctil. Decl. VIII. 22. et Casaub. ad h. l.

E penetrali, i. e. ex interiore parte monumenti.

Floribus adspersis. Solebant veteres sepulcra floribus ornare: de quo more copiose Torrent. ad h. l. Tibull. II. 4. 47. *Annua constructo serta dabit tumulo.* ubi v. Broukhus.

Consultus, i. e. interrogatus. Flor. I. 7. 7. *per nuntios consulenti quid fieri vellet.*

Ptolemaeum. Scribendum *Ptolemaeum* pro Ptolemaeorum, et e praecedentibus intelligendum *conditoria et corpora.* v. Intt. ad h. l.

Habiliorem annonae, i. e. aptiorem ad frumentum ferendum.

Oblimatas, i. e. limo oppletas. Cic. de N. D. II. 52. *Aegyptum Nilus irrigat, et cum tota aestate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit.*

Militari opere, i. e. opera, labore militum. *Opus* saepe dicitur pro opera, ut apud Phaedr. IV. 6. 9. *Fabricavit Argus opere Palladio ratem.* ubi v. Burm. De operibus militum v. Lips. de Mil. Rom. V. 13.

Detersit, i. e. purgavit limo effodiendo.

Apud, i. e. contra, e regione. v. Casaub. ad h. l.

Ludos quinquennales, instar Olympicorum. Hi ludi Actiaci non sunt confundendi cum ludis Actiacis, quos Aeneas instituit. Virg. Aen. III. 280. *Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.* Hi trieterici erant, contra quos Augustus instituit, penteterici. v. Ios. Scalig. ad Euseb. Chron. p. 166.

Navalibus spoliis, i. e. rostris.

19. *Compressit*, i. e. cohibuit. Liv. XXVI. 10. mul-

multi temere excitati tumultus sunt, compressique ubi plura Drakenb.

Tabularum falsarum reus, dicitur; qui falsum testamentum fecit. *Tabulae* simpliciter dicuntur pro testamento.

Neque aetate neque corpore integri, i. e. senio et morbis confecti. Calig. 25. *neque facie insigni, neque aetate integra*. v. Passerat. ad Propert. IV. 5. p. 621.

Hybridae, in genere dicuntur, qui ex diversi generis parentibus nati sunt, ut mulus ex equa et asino. Latini etiam *bigenera* vocant. Deinde haec vox translata est ad homines ex cive et peregrina, ingenuo et libertina vel serva natos. v. Hirt. de B. Afr. 19. Horat. I. Serm. 7. pr. et Gesner. Thes. L. L.

Nomenculator, est servus, qui domino civium obviorum nomina subiicit, ut suo quemque nomine appellare posset: quod blandius habebatur. v. Calig. 41. Claud. 34. et Casaub. ad h. l.

Non caruit, i. e. his quoque expositus fuit. Phaedr. IV. 17. 34. *Nunquam carebunt hominis contumelia.*

Continebantur, i. e. coërcebantur Cic. Phil. XIII. 3. *quibus septis tam immanes belluas continebimus.*

Debita, i. e. destinata. Nam *deberi* dicuntur, quae evenire debent. Ovid. Met. XIII. 54. *Debita Trojanis exerceat spicula fatis.* Claudian. in Rufin. I. 369. *jam debitus ultor Imminet.* v. Burm. ad Valer. Flacc. V. 21. Graeci eodem modo loquuntur, ut Callim. H. in Del. 165.

20. *Adolescens.* Atqui tum agebat annum tricesimum. Sed solet haec vox etiam de majore aetate usurpari. Sic Cic. in Caecil. 9. *adolescentem* vocat hominem quadraginta annorum. Phil. II. 6. se ipsum

adolescentem appellat, loquens de consulatu suo. v. Manut. ad Cic. ad Div. II. 1.

Excepit, pro accepit. Petron. cap. 1. *Haec vulnera pro libertate publica excepi.* v. Drakenb. ad Liv. II. 47.

Ruina pontis. Intelligit *pontem*, quo turres in aggeribus excitatae coniungebantur. v. Casaub. ad h. l. et Lips. Poliorc. II. 4.

Interveniret, i. e. subinde veniret; et iterum abiret. Sic etiam *intervisere* dicitur cap. 24. v. Burm. ad h. l.

21. *Ductu*; est per se ipsum, praesens, *auspiciis*; absens, cum per legatos bellum geritur. Tacit. Ann. II. 41. *ductu Germanici, auspiciis Tiberii.* Curt. VI. 3. *alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui.* Locutio nata est ex more veteri, quo bella auspicato gerebantur, et in ipsis castris augurale ponebatur. v. Lips. de Mil. Rom. II. 2. et Perizon. Anim. Hist. VII. p. 262.

Copia. Notandum, *copia* de exercitu singulari numero dici. Caesar, de B. G. I. 48. *quos ex omni copia delegerant.* ubi v. Davis. Virgil. Aen. II. 564. *quae sit me circum copia lustro.* ubi v. Serv.

Novum genus, i. e. inusitatum, ea praesertim aetate. Nam res non erat nova. v. Casaub. ad h. l.

Liberarentur, i. e. manumitterentur. Servi saepe sic alienabantur, ut non manumitterentur intra certum tempus: aliquando, ut omnino ne manumitterentur. v. P. Fabrum Semestr. II. 4.

22. *Ianum Quirinum*, i. e. templum Iani Quirini. v. Fest. v. Optima, et Bentl. ad Horat. IV. Carm. 15. 9. *Quirinus* vero *Ianus* vocatur eo more, quo novis aut peregrinis Diis *Iovis* nomen dabatur pro praenomine apud Graecos. Ita *Iupiter Ammon*, *Iupiter*

ter Agamemnon, etc. v. Perizon. ad Aelian. V. H. III. 45.

Memoriam, i. e. aetatem. Nepos Themist. 10. *Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt duo.* Phaedr. III. 10. 8. *Narrabo tibi, memoriam quod factum est mea.*

In spatio, Poterat abesse *in*; sed saepe additur. Cic. pro Quinct. 1. *hae res contra nos faciunt in hoc tempore*. Liv. I. 56. *gens, ut in ea aetate, divitiis praepollens*. ubi v. Drakenb. Tib. 60. *In paucis diebus, quam Capreas attigit.*

Ovatio, erat triumphus minor. Ovans enim non quadrigis, ut triumphans, sed vel pedibus, vel, ut aliis placet, equo vectus, non Senatu, sed equitibus praeeuntibus, non laurea, sed myrtea corona redimitus, urbem ingrediebatur, nec taurum, sed ovem in Capitolio immolabat; ex quo *ovatio* dici putatur. v. Gell. V. 6. Serv. ad Aen. III. 289. et Sigon. de A. I. Prov.

Curules triumphi, dicuntur, quod triumphans urbem curru ingrediebatur. v. Tib. 9. Hinc *currus* simpliciter dicitur de triumpho. Cic. ad Div. XV. 6. *quem currum aut quam lauream cum tua laudatione conferrem.* Lucan, I. 316. *Ille reget currus nondum patientibus annis.* v. N. Heins. ad Sil. It. XI. 545.

23. *Excubiae*, sunt stationes militum tam nocturnae, quam diurnae. Interdum distinguuntur à *vigiliis*, i. e. stationibus nocturnis. v. Isidor. Orig. IX. 3. et Lips. de Mil. Rom. V. 9.

Magni ludi, sub regibus instituti sunt, *magni*que appellati, sive quod magnis impensis ederentur, sive quod Diis magnis darentur. v. Liv. I. 35. et Ascon. in Cic. Act. I. in Verr. 13.

Ver-

Vertisset, i. e. versa esset. *Vertere* centies dicitur significatione passiva. Videte quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 73.

Denique, eleganter dicitur pro, ut paucis dicam. Exempla sunt apud Graev. ad h. l. et Duker. ad Flor. I. 16. p. 134.

Caput foribus illideret. Hoc veteres in magno luctu facere solebant, quod putabant, hac sui iniuria Deûm iram leniri. Cic. Tusc. Disp. III. 26. *Ex hac opinione sunt illa detestabilia genera lugendi, pectoris, feminum, capitis percussiones.* v. Casaub. ad h. l. et Broukh. ad Tibull. I. 5. 44.

24. *Gravate*, i. e. vix, aegre. Liv. XLII. 43. *gravate et in magnam gratiam petentis concessit.*

Uxorem intervisere. Nullae in castris Romanorum feminae erant, ne magistratui quidem, cui provincia obvenisset, uxorem ibi habere licebat. v. Tacit. Ann. III. 33. et ibi Lips.

Pollices amputasset. Manci enim aut debiles non habiles ad militiam iudicabantur. Exempla eorum, qui, ne militarent, pollices sibi praeciderint, collegerunt Torrent. ad h. l. et Lips. de Mil. Rom. I. 4.

Imminere, significat spem aliquam et cupiditatem. Calig. 19. *Germaniae et Britanniae imminebat.* Cic. pro Dom. 18. *qui imminere iam cupiditate videntur in tribuniciam potestatem.* Liv. IV. 25. *imminentes spei maioris honoris.* ubi v. Drakenb.

Publicani, qui equites erant, hunc equitem emere, et deinde manumittere volebant.

Relegatum in agros. Veteres servos urbanos, si deliquissent, rus mittere solebant. Terent. Phorm. II. 1. 19. *herus si redierit, habendae compedes, opus ruri faciendum.* v. L. 35. D. de hered. instit. Casaub. ad h. l. et P. Fabrum Semestr. II. 5.

Com-

Commoda, proprie dicuntur, quae militibus praeter stipendia dantur. Ovid. A. A. I. 131. *Romule, militibus scisti dare commoda solus*. Cal 44. *Commoda emeritae militiae recidit*. Galb. 12. *Germanorum cohortem sine ullo commodo remisit*. v. Lips. de Mil. Rom. V. 19.

Decimatos, i. e. ut decimus quisque, sorte ductus, puniretur. v. Polyb. VI. 36. et Lips. de Mil. Rom. V. 18.

Stare per totum diem. De hac ignominiosa statione exquisita est annotatio Casauboni ad h. l.

Tunicatos, i. e. detracto vestimento militari, quod erat sagum. v. Casaub. ad h. l.

Discinctos, i. e. ademto cingulo, quo saga cingebant. v. Liv. XXVII. 13. Casaub. ad h. l. et Lips. de Mil. Rom. V. 18.

Decempeda, est pertica decem pedum, quae metandis agris, castrisque publice serviebat.

Cespitem portantes. De hac poena v. Casaub. ad h. l.

25. *Ambitiosius*, i. e. humilius. v. notata ad Caes. 28. et Ernest. ad Tacit. H. II. 49.

Libertino milite. Liberti non nisi in summa necessitate armari solebant. v. Liv. XX. 21. XLII. 27. et Lips. de Mil. Rom. I. 11.

Incendiorum caussa. Augustus adversus incendia cohortes vigilum ex libertinis conscripsit, iisque ex equestri ordine Praefectum dedit. v. Strabon. V. p. 359. Dion. Cass. LV. p. 566. et Brisson. Select. Antiq. II. 8.

Graviore annona, i. e. cariore. Plaut. Stich. IV. 1. 52. *vides, ut annona est gravis*. v. Intt. ad h. l.

Eosque servos adhuc etc. Legendum de Oudendorpii coniectura: *eosque, ad hoc servos*. *Eosque* sci-

scilicet, quos incendiorum caussa instituerat sub praefecto equite, et sub certo vexillo merentes, *ad hoc* servos recens manumitti iussos a viris feminisque pecuniosioribus, simul sub priore vexillo habuit. *Ad hoc* est praeterea, insuper. Ner. 47. *terrebatur ad hoc evidentibus portentis*, ubi v. Burm.

Dona militaria, pro ex donis militaribus. De hac constructione v. Sanct. Min. IV. 8. p. 708. et ibi Perizon.

Phalerae, sunt ornamenta non solum equorum, ut contendit Cerda ad Virgil. Aen. III. 278. sed etiam equitum. v. Sil. Ital. XV. 255. et ibi Drakenb. Inscr. vetus ap. Murator. p. 799. n. 6. *M. Blossio donis militaribus donato, torquibus, armillis, phaleris, corona aurea.*

Vallari corona donabatur, qui primus vallum conscendisset, *murali*, qui primus murum. v. Gell. V. 6.

Caligati milites, sunt manipulares, gregarii, qui sic dicuntur a *caligis*, i. e. a communi omnium, qui in castris versabantur, calceamento. v. Calig. 9. Vitell. 7. et Brisson. Select. Ant. II. 5.

Vexilla, saepe inter dona militaria commemorantur. Videte inscript. in Museo Veronensi p. 215. Sil. Ital. XV. 261. et ibi Drakenb. Agrippae caeruleum vexillum datum est, quod maris color est caeruleus.

In perfecto duce convenire, pro, perfecto duci convenire. Quae locutio insolens est, et forte corrupta. v. Burm. ad h. l.

Ἀσφαλὴς etc. Est trochaicus ex Euripidis Phoeniss. 602.

Sectantes, i. e. appetentes. Plin. VIII. Ep. 18. *secuta matrimonium divitis senis*, ubi v. Buchner.

26.

26. *Non dubitasset dicere*, i. e. confidenter dixisset. Cic. de Senect. 6. *non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius.* Iustin. I. 9. *non dubitavit post sacrilegia etiam parricidium facere.*

Tirocinio, i. e. die, quo, praetextu deposita, et toga virili sumta, sollemniter ab amicis et propinquis in forum deducebantur. v. Cal. 10. Ner. 7. et Gronov. Obs. II. 21.

Nec omnes Romae. Hoc contra leges factum est. Nam honores Romae ineundi erant.

27. *Triumviros*, Graeci historici ἁρμοστὰς appellant: de cuius nominis ratione v. Casaub. ad h. l.

In multorum personam exorabilibus. Sic in Tiber. 13. *facilis exorabilisque in vitricum.* Nepos Pelop. 5. *nunquam animo placari potuit in eum.* v. Gronov. ad Liv. VIII. 35.

Pagani, hac aetate dicebantur, qui non erant milites, sed togati. v. Galb. 19. Torrent. ad h. l. et Brisson. de V. S.

Subscribere, i. e. excipere, furtim notare. Nam praepositio *sub* in compositis saepe aliquid furtivi et clandestini significat. Tacit. Agric. 45. *cum suspiria nostra subscriberentur.* Sic *subnotare* dicitur a Martiali I. Ep. 28. ut Burm. ad h. l. docet.

Curiosus, est, qui Graecis πολυπράγμων dicitur, deinde etiam delator. v. Casaub. ad h. l. et Salmas. ad Spart. Hadr. 11.

Tribunitiam potestatem. Cum Imperatores, quippe patricii, non plebeii, tribunatum consequi non possent, callide sibi sumserunt tribunitiam potestatem. Auctor rei fuit Iul. Caesar, ut tradit Dio Cass. XLII. p. 194. quem secutus Augustus, maiorem huic potestati splendorem dedit. v. Dion. Cass. LI. p. 457. In-

Interdum sibi Impp. in hac potestate collegas cooptarunt, sed non nisi e domo sua, et quos scirent sibi mortuis successuros. v. Tacit. Ann. III. 56. et ibi Lips.

Per singula lustra, i. e. per quinquennium singulum. Nam tribunitia potestas sumebatur in quinquennium, et sic deinceps. Itaque Imperatorum chronologia commodius ex ea digeri potest, quam ex consulatu, quo non semper fungebatur. v. Spanhem. de U. et P. N. Diss. XII. 3.

Morum legumque regimen. Huc respicit Horat. II. Ep. 1. init. *Res Italas armis tuteris, moribus ornes, Legibus emendes.*

28. *De reddenda republ.*, i. e. de libertate reipublicae restituenda. Nam *reddere* est restituere. Cassius Ciceroni XII. 13. *quae remp. ex manibus hostium eripuit ac reddidit.* ubi v. Graev.

Per ipsum staret, i. e. ipse caussa esset. Liv. VII. 2. *nec, quominus perpetua cum eis amicitia esset, per populum Rom. stetisse.* ubi v. Drakenb.

Rationarium, i. e. librum, in quo rationes totius imperii perscriptae erant. v. inf. 101. et Calig. 16.

Prae se ferret, i. e. declararet, profiteretur. Cic. pro Rabir. *fateor, atque etiam profiteor, et prae me fero.* Calig. 14. *contemtum Tiberii prae se ferens.* v. Gronov. Obs. II. 24.

Ita — ut. Veteres aliquid voventes primo loco *ita*, secundo *ut* ponere solent. Cic. ad Div. 5. 21. *ita mihi commoda omnia, quae opto, contingant, ut vehementer volui.* Catil. IV. 6. *ita mihi salva republica perfrui liceat, ut ego* etc. v. Brisson. de Form. VIII. p. 684.

Rempublicam sistere, i. e. ponere in firmum et certum statum. Virgilius Aen. VI. 858. *Hic rem Ro-*

Romanam, magno turbante tumultu, Sistet. ubi v. Serv.

Sedes, proprie dicitur basis columnarum, metaphorice certus et firmus status rerum. Liv. XXVII. 34. *patriam pulsam sede sua restituisse.* Eadem translatione mox dicitur: *mansura in vestigio suo fundamenta reip.* v. Casaub. ad h. l.

Excoluit, i. e. exornavit. Mox cap. 29. *monumenta refecta aut exculta.* Lactant. VI. 13. *si Deorum cultores simulacra excolunt.*

29. *Forum.* Ad Caesaris usque tempus unum forum erat inter Capitolinum et Palatinum, quod *Romanum*, *vetus*, et *magnum* per excellentiam dicitur. Huic Caesar addidit *Forum Iulium* ad sacram viam, ut tradit Sueton. in eius vita 26. Accessit denique *Forum Augustum.* v. Lips. de Magn. Rom. III. 7.

Templum Apollinis. De hoc templo Horat. I. Carm. 31.in. *Quid dedicatum poscit Apollinem Vates?* De bibliotheca templo adiuncta idem I. Ep. 3. 16. *tangere vitet Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo.* Eiusdem bibliothecae mentionem facit Sueton. de Gramm. 20. v. Lips. de Bibliothec. c. VI.

Fulgur, i. e. fulmen. Domit. 15. *tot fulgura facta auditaque sunt.* v. Casaub. ad h. l.

Praestrinxisset. Sic legendum, non *perstrinxisset. Praestringit* fulmen, quod leviter afflat, aut radit oblique praetercurrens. *Perstringit*, quod penitus tangit, et maxime laedit. Liv. XL. 58. *fulguribus praestringentibus aciem oculorum.* Lucan. I. 154. *obliqua praestringens lumina flamma.* ubi v. Oudend.

Praelucentem, i. e. lumina, sive faces gerentem.

Apulei. Met. IV. in f. *taedas nuptiales, quibus praeluxerant, relinquentes.* v. Intt. ad h. l. Fuit hic servus e classe Lampadariorum: de quibus v. Fabrett. ad Inscript. p. 535.

Herculis Musarum, sive Herculis Musagetae, de quo v. Torrent. ad h. l.

30. *In regiones vicosque.* In regiones XIV, et vicos CCCXXIV. Supersunt breves Regionum descriptiones, auctoribus Sexto Rufo, et Publio Victore, T. III. Ant. Rom. et alia apud Murator. Inscr. T. IV. 2125.

Annui magistratus, i. e. magistratus, qui quotannis creari solebant, praetores, aediles, tribuni. v. Intt. ad h. l.

31. *Vivo Lepido.* Nempe pontificatus nemini vivo auferri poterat. v. Senec. de Clem. I. 12. et Intt. ad h. l.

Idoneis, i. e. fide dignis. Ovid. Ep. VII. 105. *Da veniam culpae: decepit idoneus auctor.*

Sub Palatini Apollinis basi, i. e. sub fulcro, cui Apollinis statua imposita erat. v. Domit. 15. et Drakenb. ad Liv. V. 50.

Commoda, etsi proprie sunt militum, tamen aliorum quoque reditus, fructus, vectigalia sic dicuntur. Claud. 18. *magna commoda constituit naves fabricantibus.* v. Gronov. ad Liv. IV. 60.

Capi, proprio verbo dicebatur virgo Vestalis, quod pontifex M. eam manu prehensam a parente, in cuius potestate erat, veluti bello captam abducebat. Sic verbi rationem explicat Gell. I. 12.

In sortem darent. Mortua virgine Vestali, Pontificis M. arbitratu viginti virgines e populo legebantur, quae nec minores essent sex annis, nec maiores decem. Tum ex eo numero sortitio in concione fiebat, et cu-

cuius virginis sors ducta erat, illa a Pontifice M. capiebatur. v. Gell. I, 12. et Lips. de Vestal. 6.

Adiurare, ponitur pro simplici iurare. Terent. Hecyr. II. 2. 26. *sancte adiurat, se non posse apud vos perdurare.* Cic. Phil. II. 4. *adiurasque, id te non esse facturum.* v. Heins. ad Ovid. Ep. XX. 159. et Graev. praef. T. V. Thes. A. R.

Salutis augurium, est genus auspicii, quo Dii consulebantur, an populi salutem ab ipsis petere liceret. Id vero augurium agebatur eo die, quo nullus esset metus militaris, neque contra hostem, neque ab hoste. v. Dion. Cass. XXXVII. p. 127. et quos ibi laudat Fabric.

Diale flaminium, Hoc sacerdotium ab A. U. C. 668 cessarat. v. Tacit. Ann. III. 58. et ibi Lips.

Ludi seculares, dicuntur, quod semel tantum toto seculo edebantur. Eos primus celebravit Valerius Poplicola quarto post reges exactos anno. v. Valer. Max. II. 4. 5. Sed non satis constat, utrum centesimo anno celebrati sint, an centesimo et decimo.

Ludi compitalitii, edebantur in compitis in honorem Larium, matrisque eorum Maniae. v. Varron. de L. L. V. p. 49. et Fest. v. Compitalia.

Iuvenes utriusque sexus, i. e. tam puellas quam masculos. *Iuvenis* aeque de femina dicitur ac de mare. Ovid. A. A. I. 64. *Sive cupis iuvenem, iuvenes tibi mille patebunt.* v. Perizon. ad Sanct. Min. I. 7. p. 51. et Burm. ad Virgil. Aen. I. 497.

Ornare, i. e. imponere illis coronas, flores, etc. Ner. 46. *exornati Lares in ipso sacrificii apparatu conciderunt.* v. Casaub. ad h. l.

Triumphali effigie, i. e. habitu triumphantium.

In utraque fori sui porticu. v. Ovid. Fast. V. 563. et Lips. de Magn. Rom. III. 7.

Dedicavit, i. e. publice et cum sollemnitate quadam posuit. Propria verbi *dedicare* significatio est dare, attribuere. Festus: *Dedicare est proprie dando deferre.* Unde fluxit consecrandi notio. Nam quae Diis dedicantur, ea iis dantur, attribuuntur. v. Ernest. Clav. Cic. v. Dedicare.

Exigerentur, i. e. explorarentur. v. notata ad Caes. 47.

Regiam, i. e. basilicam, quae constituit frontem porticus Pompeianae ante theatrum. Res clara ex Asconio in Cic. Or. pro Scauro p. 176. v. Ernesti Excurs. ad h. l.

Ianum, intellige non templum Iani, sed pervium transitum. Cic. de N. D. II. 27. *ex quo transitiones perviae Iani, foresque in liminibus profanarum aedium ianuae nominantur.* Tales *Iani* Romae plures erant. Domit. 13. *Ianos arcusque cum quadrigis et insignibus triumphorum tantos ac tot exstruxit.* v. Casaub. ad h. l. et Intt. ad Liv. II. 49. XLI. 27.

Superposuit, i. e. supra arcuatum fornicem locavit. Inscript. ap. Spon. Itin. I. p. 66. *Arcum fieri et statuas superponi testamento iussit.* Altera lectio *supposuit* repudianda est propter rationes ab Ernesto et Oudendorpio allatas.

32. *Pessimi exempli.* Sic Vitell. 10. *quicquid cohortium praetorianarum fuit, ut pessimi exempli, uno exauctoravit edicto.* v. Bentl. ad Horat. III. Carm. 5. 15.

Duraverant, i. e. supererant. de Gramm. 24. *durante adhuc ibi antiquorum memoria, necdum omnino abolita.*

Extiterant, i. e. subito orta erant. Caesar de B. G. VII. 84. *clamor post tergum pugnantibus exti-*

titit. v. Torrent. ad h. l. et Gronov. ad Liv. XXV, 21.

Se ferebant, i. e. ibant cum fiducia quadam. Valer. Flacc. IV. 199. *At procul e silvis sese gregibusque ferebat Saevus in antra gigas.* ubi. v. Burm.

Ergastulum, a Graeco ἔργον; quod per excellentiam opus rusticum significat, est carcer rusticus; in quo mancipia opus faciunt. v. Cic. pro Cluent. 8. et Salmas. ad Spartian. Hadr. 18.

Supprimebantur, i. e. celabantur dolo malo, ne ad dominum redire possent: unde talis occultator in Pandectis *suppressor* dicitur. v. Brisson. de V. S.

Coire, saepe in deteriorem partem dicitur de seditiosa hominum congregatione, ut *coetus* in Caes. 16. ubi v. notata.

Calumniandi, i. e. alios litibus vexandi. Cic. Verr. III. 13. *ut hic quoque calumniandi quaestus accederet.* v. Casaub. ad h. l.

Iuris ambigui, i. e. de quibus controversia erat, publica essent, an privata. v. Casaub. ad h. l.

Adiudicavit. Hoc verbum proprie dicitur in controversiis de finibus constituendis. Cic. de Off. I. 10. *in medio relictum quod erat agrorum, populo Rom. adiudicavit.* v. Bentl. ad Hor. I. Ep. 18. 56.

Sordibus, i. e. reatu, vel reorem statu. Rei facti, barbam capillumque promittebant, et, posita nivea toga, sordidam sumebant, ut misericordiam aucuparentur. Unde rei *in sordibus*, vel *sordidati esse* dicuntur. Liv. VI. 20. *postquam sordidatum reum viderunt.* Seneca de Benef. II. 35. *Bona mihi donata sunt, detractae sordes.* Vitell. 15. *sordidatus descendit ad rostra.* v. Lips. Elect. I. 13. et Intt. ad Iustin. XXXVI. 4.

Abolevit, i. e. exemit e tabulis reorum, quae erant apud Praetorem. v. Brisson. de V. S.

Repetere, i. e. denuo in ius vocare. Domit. 9. *nec repeti reos, nisi intra annum, permisit.* v. Burm. ad Petron. 114. *revocare ad reatum* dixit Iustin. IV. 4.

Honorarii ludi, sunt, qui ad honorem edentium pertinent. Illi Augusti tempore adeo frequentes erant, ut nemo honestiorem locum in rep. caperet, quin magnam patrimonii partem in editionem spectaculorum effunderet. v. Tacit. Agricol. 6. et Casaub. ad h. l.

Actus rerum, est formula generalis de singulis partibus reipublicae domi administrandae. Hic iurisdictio intelligitur. v. Ernest. ad Claud. 15.

Decuria, proprie est numerus decem hominum. Sed deinde dici coepit de ordine et classe multo ampliore. Sic in singulis iudicum decuriis aliquando erant mille eoque amplius. Iudicum decuriae ex instituto vetere tres fuerunt, scil. tot, in quot partes Senatores iudicantes descripti erant. His quartam adiecit Augustus; quintam Caligula, teste Suetonio in eius vita 16. v. Casaub. ad h. l. et Ernest. Clav. Cic. v. Decuria.

Ducenarii iudices, vocantur, qui tantum ducena sestertia possidebant, non, ut ceteri iudices, quadringena. v. Perizon. Diss. de Lege Vocon. p. 195.

33. *In noctem*, i. e. usque ad noctem. Tib. 74. *in multam noctem pertinaciter luxit.* v. Burm. ad Serv. in Aen. VII. 8. Ius dicere in noctem erat contra consuetudinem veterum, a quibus in foro observabatur lex XII. Tabb. *Sol occasus suprema tempestas esto.* v. Gell. XVII. 2.

Ne culeo insueretur. Poena erat parricidarum, ut virgis sanguineis verberati, insuerentur sacco una

cum

cum cane, simia, vipera, et gallo gallinaceo, et sic in mare praecipitarentur. v. Cic. pro Rosc. Amer. II. et §. 4. Inst. de publ. iud.

Duas Tabellas. In iudiciis tres dabantur tabellae, quarum primae inscripta erat litera A, i. e. *absolvo*, secundae litera C, i. e. *condemno*, tertiae N. L., i. e. *non liquet.* v. Ascon. ad Cicer. Divin. in Caecil. 7. His quartam adiecit Augustus cum litera I, i. e. *ignosco.*

Appellationes. Libera rep. rarae erant appellationes in caussis civilibus. At Augustus constituit, ut appellationes a minoribus magistratibus iudicibusque ad PR. Urbi fierent, in caussis civilibus: e provinciis ad consulares. v. Lips. ad Tacit. Ann. XIV. 28. Exc. C. et Perizon. de Praetor. p. 765.

34. *Leges retractavit*, i. e. abolitas in usum revocavit, denuo illas expendens et emendans: de Gramm. 2. *ut carmina diligentius retractarent.*

De adulteriis et de pudicitia. Lex *de pudicitia* etiam memoratur in L. 9. C. de adult. quae non diversa est a lege de adulteriis. Saepe enim una lex duos habet indices, v. c. *Lex Cornelia testamentaria numaria*, apud Cic. Verr. I. 42.

De maritandis ordinibus. Lex Iulia, praemiis poenisque propositis, cives ad matrimonia iusta contrahenda vel alliciebat, vel adigebat. Quam cum equites abrogari flagitassent, Augusti iussu lata est lex Papia Poppaea de maritandis ordinibus, in qua tum lex Iulia severius emendata est, unde lex Iulia et Papia Poppaea dicitur, tum nova capita adiecta sunt. v. Dion. Cass. LVI. p. 814. et Lips. ad Tacit. Ann. III. 25. Exc. C. De hac lege ita Horat. Carm. sec. 17.

Diva producas subolem, patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis, prolisque novae feraci
Lege marita.

Perferre et perrogare legem, est ita ferre et rogare, ut a populo accipiatur. Liv. II. 57. *lex silentio perfertur.* v. Brisson. de Form. II. p. 128.

Sic quoque, i. e. vel sic, etiam sic. Saepe Suetonius hac quasi formula utitur. Caes. 70. *sic quoque seditiosissimum quemque multavit.* Aug. 78. *sic quoque indigens somni.* v. Duker. ad Flor. II. 2. p. 208.

Equite, i. e. ordine equestri. Ner. 37. *exercitus equiti Rom. permissurum.* Vesp. 9. *recenso Senatu, et equite.*

Immaturitate sponsarum, i. e. quae nondum coniugio maturae erant. Matura nuptiis aetas ex legibus erat annus duodecimus in feminis, annus decimus quartus in masculis.

Matrimoniorum mutatione, i. e. divortiis.

35. *Deformem turbam*, vocat Senatores a Censoribus notatos, quos Caesar in Senatum allegerat. Est enim *deformis* turpis et famosus. Claud. 40. *multa etiam privatis deformia.* Vesp. 23. *deformia lucra.* Ovid. Am. III. 14. 6. *Solaque deformem culpa professa facit.* ubi v. Burm.

Orcinos. Proprie libertus, qui testamento manumissus esset, *orcinus* dicebatur, quod statum suum patroni morti deberet. v. Ulpian. Fragm. I. §. 7. 8. *Charonitam* eiusmodi libertum vocat Theophilus §. 2. Inst. de sing. reb. per fideic. relictis, nempe a Charonte, inferorum portitore. v. Cuiac. Observ. III. 23. Eadem ratione vulgus Senatores *orcinos* dicebat, qui Caesarem mortuum dignitatis auctorem ha-

berent. Nam e Caesaris mortui commentariis eos allegerat Antonius. v. Plutarchum Anton. p. 922. Quod cum satis demonstratum sit a Casaubono ad h. l. et ab aliis, gratiam facimus Cl. Io. Toupio coniecturae, qua Emend. ad Suid. III. p. 318. *orcinos* in *porcinos* mutat.

Vir virum legit. Haec locutio ducta est a re militari. Nam milites aliquando iubebantur legere sibi notos, quorumque virtute confiderent, ubi gravius periculum instaret. Id veteres dicebant; *virum a viro legi.* v. Cic. pro Milon. 21. Liv. IX. 39. et Brisson. de Form. IV. p. 328.

Praetentato sinu, i. e. ante explorato, an quod telum lateret. Claud. 36. *stragulis praetentatis et excussis.* v. Heins. ad Claudian. II. in Rufin. 477. Sequentes Imperatores certos homines, qui adituros scrutarentur, adhibuerunt: qui *scrutatores* dicebantur. v. Claud. 35. Vesp. 12.

Insigne vestis, i. e. latum clavum, et calceum lunatum. v. Brisson. Ant. Select. III. 16.

Epulandi publice ius. Nempe in coenis triumphalibus et funebribus, in quibus Senatores separatim epulabantur. v. Torrent. ad h. l.

Munera fungerentur. *Fungi* saepe cum accusativo iungitur, ut a Terent. Heaut. I. 1. 14. v. Voss. de Construct. 22.

Supplicare alicui, proprie per ellipsin dicitur pro plicare genua sub aliquo, at usu loquendi deinceps ponitur pro precari pro salute sua, et pro sacra facere Diis, ut h. l. Claud. 1. *circa quem tumulum Galliarum civitates publice supplicarent.* v. Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. p. 352. Solebant vero veteres supplicare Diis, quoties aliquid serii aggrederentur. Ovid. III. ex P. 1. 171. *Sed prius imposito sanctis alta-*

 ri-

ribus igni, Tura fer ad magnos vinaque pura Deos. De quo more erudite disputat Casaub. ad h. l.

Apud aram, i. e. in ara. Videtur autem in singulis curiis ara alicuius numinis fuisse. v. Casaub. ad h. l. et Burm. ad Virgil. Aen. VII. 593.

Templum, vocat curiam. Nam omnes curiae, cum profanae fuissent, per augures constitutae sunt, quoniam SC. non nisi locis per augures constitutis, quae *templa* vocabant, fieri poterant. v. Gell. XIV. 7. et Manut. ad Cic. ad Div. IV. 6.

Senatus legitimus, opponitur Senatui, qui a Consulibus indicitur. Capitolin. Gord. II. *non legitima, sed indicto Senatus die consul venit in curiam.* v. Casaub. ad h. l.

Per quorum numerum etc. Ut SC. fieri posset, certus Senatorum numerus adesse debebat, quem *frequentem Senatum* appellabant, ut contra *infrequentem*, cum plures abessent. Sed hic numerus varius fuit pro Senatus incremento et rei gravitate. Cic. ad Qu. Fr. II. 1. ducentos Senatores vocat *frequentem Senatum.* Dio Cassius LIV. p. 624. scribit, ante Augusti constitutionem SCtum a paucioribus quadringentis perfici non potuisse. v. Casaub. ad h. l. et Manut. ad Cic. ad Div. I. 9.

Consilia, pro consiliariis, ut *matrimonia* pro uxoribus. Tib. 18. *nihil non de consilii sententia egit.*

Perrogabat, i. e. a primo ad ultimum rogabat. Liv. XXXII. 22. *Perrogari sententias prohibuerunt.* Plin. Paneg. 60. *Parum est, ut censentes audias, nisi et perroges.* ubi v. Swarz.

36. *Mulos et tabernacula.* Intelligit universam supellectilem, quae dabatur in provincias ituris. v. Si-

Sigon. de ant. I. Prov. II. 1. Pecunia vero illa, quae ex aerario magistratibus in provincias euntibus dabatur, ad comparanda vasa, quibus opus haberent, *vasarium* appellatur. v. Cic. in Pison. 35. Verr. IV. 5. et ibi Intt.

Praetores. Hinc *praetores aerarii* dicuntur Tacito Ann. I. 75. Hist. IV. 8. ubi tamen Cl. Ernestus malit *praefectis aerarii*. Claudius aerarii curam Quaestoribus reddidit. v. Sueton. in eius Vita 24.

Centumviralem hastam. Centumviri numero rotundo dicuntur centum et quinque iudices rerum privatarum, electi ex XXXV. tribubus, terni ex singulis tribubus. v. Fest. v. Centumviralia. Post Augusti tempus eorum numerus usque ad CLXXX, excrevit. Dividebatur centumvirale iudicium in quaedam consilia, non demum Caesarum tempore, ut tradit Siccama de Centumv. iudic. I. 8. sed iam libera republica. v. Cic. de Orat. I. 38. collato Valer. Max. VII. 7. 1. Nempe de magnis et obscuris caussis totum collegium, de aliis decemviri, de aliis denique Recuperatores, pars huius collegii, iudicabant. Praeses iudicii erat Praetor urbanus. Praetore aliis negotiis impedito, Quaestura functi praeerant: postea ex Augusti instituto decemviri. v. Sigon. de Iudic. I. 22. Insigne centumviralis iudicii hasta erat. Unde *centumviralem hastam cogere* significat convocare iudices sub hasta de litibus cognoscentes. Eodem modo dicitur *cogere iudicium*, *consilium*, *Senatum*. v. Caes. 16. Tib. 58. et Drakenb. ad Liv. IV. 26.

37. *Officia*, antiqua Latinitate dicebantur ministeria, vel munera viliora, ut apud Nepot. Eum. 1. *apud illos nemo ad scribae officium admittitur.* Sed postea vel amplissima munera et curationes in republi-

blica *officia* dici coeperunt. v. Vesp. 16. et Cellarii Curas poster. p. 371.

Curam viarum. De curatoribus viarum v. Brisson. Select. Antiq. IV. 12. et Lips. ad Tacit. Ann. III. 31. Exc. E.

Praefecturam urbis. Errat Torrentius ad h. l. cum scribit, praefecturam non tam institutam esse ab Augusto, quam auctam atque ornatam. Nam dignitas plane nova erat. Est autem hic Praefectus ab Augusto institutus, ut otium urbis tueretur, servitia coërceret, etc. v. Dion. Cass. LII. p. 478. Mox ad eum delata est potestas in nocentes animadvertendi, et supplicia irrogandi, quam potestatem non solum in urbe, sed etiam intra centesimum ab urbe lapidem exercebat. v. Ulpian. L. 1. D. de praef. urb. et ibi Schulting. Denique Senatorum et Equitum iudex factus est. v. Symmach. II. Ep. 65. omninoque Imperatoris vices tenuit, unde etiam dicitur, *iudicare et facere aliquid sacra vice.* Videte Ed. Corsinum praef. libri de Praefectis Urbi.

Creari desitos. Desitus cum passivo coniungitur, *desiit* cum activo. Cic. ad Div. IX. 21. *Papisius est vocari desitus.* ubi v. Manut.

Reclamantibus, i. e. reclamando dicentibus. Liv. III. 43. *adversus iniuriam decreti cum nemo reclamare auderet.* ubi v. Gronov.

38. *Iustos triumphos*, dicit, qui per se satis sunt, qui merentur triumphi vocari. His triumphis opponuntur *triumphalia ornamenta. Iustum* dicitur, quicquid satis magnum est, quicquid sufficit. Ovid. Met. II. 164. *Utque labant curvae iusto sine pondere naves.* Vell. Pat. II. 61. *in formam iusti coiere exercitus.* v. Gronov. ad Liv. XXII. 28.

Triumphalia ornamenta. Augusti tempore, mos in-

inductus est, ut, sollemni iusti triumphi pompa solis Caesaribus relicta, ornamenta tantum triumphalia, sine pompa ducendi triumphi, concederentur ducibus, qui rem bene gessissent, quamquam interdum etiam iis, qui nunquam castra vidissent. v. Claud. 17. Tacit. Ann. IV. 23. Erant autem triumphantium insignia, laurea corona, aurea patera, sella curulis, scipio eburneus, toga picta, tunica palmata, et alia eiusdem generis. v. Swarz. ad Plin. Paneg. 89.

Protinus virili a toga et latum clavum induere, et curiae interesse permisit. Sic legendum esse, docet Oudend. ad h. l. Sensus est: Augustus Senatorum filiis dedit ius intrandi curiam simul et insignia senatoria, quam primum virilem togam sumsissent: quando alioqui tunicam angusticlaviam gerebant, et curia abstinebant.

Alae exercitus, dicuntur equitum ordines, quod circum legiones dextra sinistraque, tanquam alae in avium corporibus, locabantur. v. Gell. XVI. 4. Libera republica *alae* dicebantur socii Latini nominis tam equites, quam pedites. Sub Impp. sic vocabantur manus equitum ex sociis collectorum. v. Schel. ad Hygin. T. X. Thes. A. R. p. 1075.

Transvectionis ratio haec erat: Equites olea coronati et trabeati ad sedentes in foro Censores equum suum adducebant, ab iisque de legitimis stipendiis interrogati, et deinceps probati in Capitolium transvehebantur. v. Liv. IX. 46. Plutarch. Pompei. p. 630. et Spanhem. de U. et P. N. Diss. X. p. 99.

Detrahi, i. e. in ius vocari.

Accusator, saepe dicitur pro omni actore et petitore, ut *accusatio* in Pandectis pro actione. v. Cic. Partit. 32. et Torrent. ad h. l.

Cor-

Corporis labe, i. e. corporis vitio. v. Casaub. ad h. l.

39. *Alios poena*, *alios ignominia notavit.* Post vocem *poena* intelligendum *affecit.* Saepe enim veteres duabus pluribusque vocibus unum verbum addunt, quod ultimae tantum respondet, omissis aliis, quae praecedentibus conveniunt. Cic. ad Att. X. 3, *fortunam*, *qua illi florentissima*, *nos duriore conflictati videmur*: ubi *conflictati* non potest iungi cum *florentissima fortuna.* Nam *florentissima uti fortuna* dicimus. Flor. IV. 12. 37. *His oculos*, *aliis manus amputabant.* Oculi *effodiuntur*, non *amputantur*. Inf. 57. *stipem iaciebant*, *item strenam.* Vim exemplorum e Graecis Latinisque scriptoribus congessit Dorvillius ad Charit. p. 395.

Collocare pecuniam, proprie dicitur, qui illam foenori dat, vel agros sive metalla emit. Petron. 53, *in arcam relatum est*, *quod collocari non potuit.* Tib. 48. *ut foeneratores duas patrimonii partes in solo collocarent.* Unde fluxit elegans formula, *collocare beneficium.* Pro *collocare pecuniam*, *ponere* dicit Horat. Epod. II. 69. *Omnem redegit Idibus pecuniam*; *Quaerit Calendis ponere.* ubi v. Torrent.

40. *Lege theatrali*, lata a L. Roscio Othone, Trib. plebis, sancitum est, ne quis in quatuordecim gradibus, orchestrae, in qua Senatores sedebant, proximis sederet, nisi qui eques et equestri censu esset. Ne illis quidem, qui fortunae vitio decoxissent, inter equites sedere licebat. v. Cic. Phil. II. 18. Plin. H. N. VII. 30. et Ernest. Ind. Leg. v. Roscia.

Frumentatio, dicitur liberalitas publica, cum plebi frumentum gratis datur. v. Lips. Elect. I. 8.

Tes-

Tesseras, i. e. symbola quaedam ex ligno vel plumbo, quibus acceptis, plebs ad horrea publica ibat, frumentum petitura. v. Ner. 7. Domit. 5. et Lips. Elect. I. 8.

Sui cuiusque mensis. Forte quis legere malit: *suam cuiusque mensis.* Nam *quaternum mensium tesserae* opponuntur *cuiusque mensis tesseris.* Sed Dukerus ad Liv. III. 22. fere credit, Latinos interdum dixisse *suusquisque*, ut *unusquisque* et *quotusquisque.*

Comitiorum pristinum ius. Non quod, stante republica, fuerat, sed quod Caesar instituerat, et rursus per bella civilia et Triumvirorum tyrannidem omissum erat. v. Caes. 41. et Casaub. ad h. l.

Tribules, dicuntur, qui sunt ex eadem tribu. v. Sigon. de A. I. C. R. I. 3.

Singula millia numum, dicitur pro, singulis millia numum. Tib. 48. *largitus est singula millia denariorum praetorianis.* Petron. 65. *singulae gallinae altiles pro turdis circumlatae sunt.* ubi v. Burm.

Manumittendi modum terminavit. Videte Interpretes ad Tit. Inst. qui et ex quibus caussis manumittere non possunt.

Vulgari honorem, i. e. vulgo et promiscue pluribus tribui, cum pluribus communicari. Liv. X. 23. *vulgata dein religio pollutis.* ubi v. Duker.

Libertate iusta, i. e. plena, quae ius civitatis habebat, et censu, vindicta, testamento acquirebatur. v. §. 4. Inst. de Libertin.

Pullati, dicuntur, et qui togam sordidam et obsoleti coloris gerunt, et qui penulas pulli coloris. v. Casaub. ad h. l. Hic intelliguntur, qui lacernis induti in publicum prodirent, non togis albis, ut mos erat. Hinc *pullata turba* dicitur pro vili plebe.

Quin-

Quinctilian. VI. 5. *imperitis ac pullatae turbae relinquunt.* Inf. 44. *sanxit, ne quis pullatorum in media cavea sederet.*

Consistere, est in aliquo loco aliquamdiu stare. Petron. 46. *nec uno loco consistit.* ubi v. Burm.

41. *Qui cavere in duplum possunt*, i. e. qui vel possunt agros dare, vel fideiussores in duplum summae, quam mutuam acceperant. Tacit. Ann. VI. 17. *si debitor populo in duplum praediis cavisset*, v. Cuiac. Obs. V. 38.

Difficultatibus, i. e. inopia. Cic. Catil. I. 6. *quae ad domesticam tuam difficultatem pertinent.* Tib. 48. *magna difficultate numaria.* Contra *facile vivere* est in omnium rerum copia vivere. Cic. ad Div. III. 12. et ibi Graev.

Tesseras numarias. His tesseris exhibitis, summa numum praescripta repraesentabatur. v. Torrent. ad h. l.

42. *Salubrem*, i. e. utilem. Cic. pro Dom. 7. *sententia reipubl. saluberrima.* Quinctilian. III. 1. *veremur, ne liber sit salubrior studiis, quam dulcior.* v. Intt. ad h. l.

Reposcenti, pro simplici *poscenti.* Flor. II. 15. p. 392. *finem belli reposcebat.* ubi v. Duker. Sic in Domit. 18. *remacruerant* pro *macruerant.* ap. Tacit. Ann. XIV. 64. *restringere* pro *stringere.* v. Ernest. ad cap. 78. et notata ad Rutil. Lup. I. p. 57.

Quamvis, saepe cum Indicativo iungitur, ut a Nepote Milt. 2. et Ovid. Ep. VII. 29. Sed id fit tum demum, cum pro *quanquam* ponitur. v. Periz. ad Sant. Min. III. 14. p. 493. et quos laudat Oudend. ad h. l.

Proposito, i. e. publice promisso. Caesar de B. G. V. 56. *magna proponit iis, qui occiderint, praemia.*

mia. Liv. XXI. 45. *servis libertatem proponit.* ubi v. Gronov.

Venalitias familias, dicit turbam venalium servorum, quos mangones, venalitiam facientes, undique e provinciis, ut pecora, in gregem coactos Romam ducebant. v. Sueton. de Rhetor. 1. Mangones, sive qui servis vendendis quaestum facerent, *venalitiarii* dicebantur, ceterisque mercatoribus viliores habebantur. v. L. 207. D. de V. S. Torrent. ad h. l. et Burm. de Vectigal. V. p. 72.

Lanistarum familias, i. e. gladiatorias. v. notata ad Caes. 10.

Praeceptores, h. l. iidem sunt, qui *liberalium artium doctores* in Caes. 42.

Convaluit, i. e. abundantior facta est. Ovid. Met. VIII. 477. *postquam pestifer ignis convaluit.* Iustin. III. 4. *his moribus civitas convaluit.* Petron. 114. *tempestas convaluit.* v. Oudend. ad Iul. Obs. 103.

Impetum, i. e. subitum consilium. Seneca ad Helv. 1. *Saepe impetum cepi consolandi te.* ubi v. Lips. Cal. 43. *expeditionis Germanicae impetum cepit.* Othon. 9. *impetum cepit moriendi.* v. Is. Casaub. ad Theophrasti Char. cap. 2. p. 108.

Cessare, proprie dicuntur agri, qui non coluntur. Ovid. Trist. III. 10. 70. *Cessat iners rigido terra relicta situ.* v. Heins. ad Amor. III. 10. 55.

Aratores sunt, qui agros publicos colunt, et pro iis decumas solvunt, quorum frequens mentio est in Ciceronis Verrinis.

Negotiantium. Non omnes *negotiatores* hic intelligendi, sed tantum *frumentarii*, qui ab aratoribus, vel adeo civitatibus, frumentum emerent, eoque Romam vehendo lucrum quaererent. v. Caesar. de

B. G. VII. 38. Cic. pro Flacco 36. et Ernestum Diss. de Negotiat. in Opusc. Philolog. p. 8.

Rationem deduceret. Omnino legendum, *duceret.* Nam alterum non est Latinum. v. Intt. ad h. l.

43. *Sufficerent*, scil. sumtibus. Saepe *sufficere* dicitur per ellipsin nominis aut alterius partis. Liv. XXI. 8. *Oppidani ad omnia tuenda non sufficiebant*, ubi v. Duker.

Non in foro modo. Verissime Cl. Ernestus restituit vocem *munera*, quae exciderat, hoc modo: *Munera non in foro modo.* Hanc coniecturam confirmat Monimentum Ancyranum, quod Suetonio subiicitur.

Septa, dicuntur locus in Campo Martio, tabulatis inclusus, in quem coibant in comitiis, qui suffragii ius haberent, vel cives aliis temporibus otiosi versabantur. v. Cic. pro Mil. 15. Calig. 18. Claud. 21. Idem locus, sumta similitudine ab ovium septis, etiam *ovile* dicebatur. v. Serv. ad Virgil. Ecl. I. 34.

In quo nunc Caesarum nemus est, i. e. Caii et Lucii sepulcrum, de more veterum arboribus cinctum. Ceterum Suetonius haec quoque descripsit ex monimento Ancyrano. v. Intt. ad h. l.

Confectores ferarum, dicuntur gladiatores, qui cum bestiis pugnant, easque occidunt. v. Ner. 12. et Ernest. ad h. l.

Ex nobilissima iuventute. Agitatores, famosos non esse, dicit Ulpianus L. 4. D. de his qui notantur inf. v. Brisson. Select. Antiq. I. 10.

Maiorum minorumque. Minores sunt annis XIV minores; inde *maiores* sunt ad annos XVII. L. 1. §. 3. D. de Postul. Plena pubertas XVIII annis definitur. L. 40. §. 1. D. de Adopt.

Lapsu debilitatum, i. e. qui lapsu crura vel aliud mem-

membrum fregerat. Seneca Ep. 101. *Tu me debilites licet; dum spiritus in corpore fracto maneat.* Lactant. de M. P. 36. *occidi servos Dei vetuit, debilitari iussit.* Sic *debilis* dicitur, qui vel morbo vel casu membri alicuius usum perdidit. Vesp. 7. *debili crure adire.* v. Graev. ad Cic. pro Rabir. 7. et Intt. ad Ovid. Trist. III. 4. 20.

Scenicas operas. Gronov. ad Tacit. Ann. I. 16.

Senatusconsulto. Hoc SC. quod auctore Augusto factum est, vetuit non modo, ne senatorum liberi, quod et ante vetitum erat, sed etiam, ne eorum nepotes, et equestris ordinis viri in scenam prodirent. v. Dion. Cass. LIV. p. 522. et Brisson. de Iure Connub. p. 351.

Honeste natum, i. e. honestis parentibus natum, non libertinis. Calig. 27. *Multos honesti ordinis ad metalla condemnavit.* de Rhetor. 3. *Primus omnium libertinorum scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam.*

Arena, dicitur amphitheatrum, quod arena sternebatur, ut tanto firmius starent et pugnarent gladiatores. v. Tib. 35. Domit. 10. et Lips. de Amphitheatr. cap. 3.

Super se, i. e. post se, a tergo suo. v. Casaub. ad h. l.

citra, i. e. extra, vel praeter. Flor. III. 1. p. 427. *citra spem omnium fortuna cessit.* ubi v. Duker.

Invisitatum, i. e. nunquam antea visum. *Invisitatus* centies abiit in *inusitatus.* v. Drakenb. ad Liv. V. 35. et Intt. ad h. l.

Extra ordinem, i. e. extra dies ordinarios. Tib. 32. *ut se extra ordinem audiret.*

Votivis, i. e. qui voti erant in honorem alicuius Dei. v. sup. 23.

Commissione ludorum, i. e. cum ludorum inchoandorum signum daret. *Committere* proprie est coniungere. Flor. I. 4. *interfluentem urbi Tiberinum ponte commisit.* ubi v. Duker. Hinc verbum ad proelia translatum significat proelium incipere. Nepos Milt. 6. *ut is proelium committeret.* v. Drakenb. ad Liv. XLIV. 4. Deinde etiam ad ludos traductum significat ludos inchoare. Virgil. Aen. V. 113. *Et tuba commissos medio canit aggere ludos.* Liv. II. 36. *nondum commisso spectaculo.* v. Intt. ad c. 89. Paullo diversa ratione Graev. ad Cic. ad Att. XVI. 5. *committere ludos* explicat edere, *commissionem ludorum*, ipsum spectaculum.

Dedicare, non solum est consecrare Deo, sed etiam auspicari usum alicuius rei. Plin. X. Ep. 117. *qui opus publicum dedicant.* ubi v. Buchn. Ner. 31. *eiusmodi domum cum absolutam dedicaret.* ubi v. Casaub.

44. *Solutissimum*, i. e. liberrimum, nullis legibus adstrictum. Haec autem intelligenda sunt non de ludis, qui Romae edebantur, sed in municipiis, coloniis, provinciis. v. Lips. ad Tacit. Ann. III. 31.

In orchestra, i. e. in sedibus Senatorum. Augusti interdictum mox neglectum est, et honor redditus gentium legatis. v. Claud. 25. et Lips. et Tacit. Ann. XIII. 54.

Cuneus, a forma dicitur ordo subselliorum in theatro. v. Vitruv. V. 6. et Lips. de Amphitheatr. cap. 13.

Cavea, est locus intimus theatri. Hoc nomen, libera republica, tantum de theatris dicebatur: sed sub principibus etiam ad amphitheatra translatum est. Saepe etiam *cavea* dicitur pro toto theatro, vel amphitheatro. v. Lips. de Amphith. c. 2.

Sollemne erat, i. e. solitum erat. Cic. ad Att. VII. 6.

6. *nostrum illud sollemne servemus.* v. Torrent. ad h. l.

Contra praetoris tribunal, i. e. e regione loci, ubi Praetor sedebat. *Praetorem* nominat, quod Praetores plerumque ludos edebant. Sed videtur ille honos et locus etiam aliis, qui ludos ederent, datus fuisse. v. Lips. de Amphith. cap. 11.

Muliebre secus omnes. Rectissime viri docti hanc lectionem e libris MSS. revocarunt, secuti virum summum, I. Fr. Gronovium ad Liv. XXVI. 46. Est autem *muliebre secus* casus quartus, quem regit praepositio *κατὰ*, vel *secundum*. Tacit. Ann. IV. 62. *virile ac muliebre secus omnis aetas.* Frontin. I. 11. 6. *destinatum Lacedaemoniis, omnes virile secus interficere.*

Submovit, i. e. interesse vetuit, quod athletae nudi certabant. Ita lex Hellanodicarum mulieres arcebat a spectaculo Olympiorum. v. Aelian. V. H. X. 1.

Pontificalibus ludis, i. e. quos pontifices ob honorem pontificatus, ut ceteri magistratus, edebant. v. Plin. VII. Ep. 24.

Postulatum. Principes ipsi peculiares gladiatores alebant, ceteris praestantiores viribus, arte, ornatu, quos populus saepe a principibus postulabat, tanquam muneris auctarium et ornamentum. Ex quo hi gladiatores *postulatitii* dicti sunt. v. Senecam Ep. 7. Sueton. Domit. 4. et Lips. Saturn. II. 16.

Non placere. Frequens formula in SCtis, et edictis magistratuum. Liv. XXXIX. 54. *neque Senatui placere, deditos spoliari.* de Rhetor. 1. *ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere.* v. Brisson. de Form. II. p. 181.

45. *Coenaculum*, est altior pars domus, in qua fe-

fere pauperes habitabant, v. inf. 78. Vitell. 7. et Ernest. ad h. l.

E pulvinari. Intelligitur non pulvinar Deorum, sed Caesaris, quod in podio erat, hoc est, prima et honoratissima spectaculorum parte. v. Ernest. ad h. l.

Suam vicem, i. e. pro se. Liv. I. 9. *cum suam vicem functus officio sit.* ubi v. Gronov. Subauditur praepositio *in.* Claud. 7. *praesedit spectaculis in Caii vicem.* v. Sanct. Min. IV. 13. p. 738.

Epistolis scrib. vacaret. *Vacare alicui rei* non est operam dare, sed vacuum esse ad aliquid faciendum. Igitur ille Dativus est commodi, non a verbo pendens. Vulgarium Grammat. in hoc verbo errorem castigavit I. Facciolatus in Epist. Lat. p. 106. et in Lex. Latin.

Ingenue, i. e. libere, simpliciter. Cic. ad Div. V. 2. *aperte atque ingenue confitebar.*

Corollarium, proprie idem est, quod *corolla*, sive parva corona. v. Plin. H. N. XXI. 2. Deinde sic dictum est praemiolum, quod praeter constitutam mercedem dabatur scenicis, si placuissent. v. Varron. de L. L. IV. p. 36. Cic. Verr. III. 79. Iam quia praeter mercedem hoc praemiolum dabatur, *corollarium* tandem dici coepit pro auctario, sive pro omni eo, quod adiicitur praeter id quod debetur. v. Cic. Verr. III. 20. Periz. ad Sanct. Min. IV. 4. p. 628. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Alienis muneribus, i. e. aliorum, non suis. *Alienus* saepe opponitur *meo*, *tuo*, *suo*. Nepos de Reg. 3. *alienarum opum indigentem.* v. Schulting. ad Senec. Contr. V. p. 106.

Honorarit, i. e. praemio affecerit. Ulpianus L. 1. §. 6. D. de Postul. *nisi in arena passi sunt se ho-*

no-

norari. Sic *honor* pro praemio, dono. Liv. II. 12. *Est apud te virtuti honos.* ubi v. Drakenb.

Ordinarios, i. e. qui legitimo ordine, tempore et loco producebantur. v. Lips. Saturn. II. 16.

Catervarii, dicuntur a modo pugnae, cum non singuli cum singulis, sed confusi et mixti per catervas pugnabant. Eorum mentio est in lapide apud Gudium p. 106. 1. videte Lips. l. c.

Sine missione, i. e. usque ad mortem. Saepe gladiatores laesi arma submittebant, petebantque a populo, ut sibi missio daretur. Quod populus modo concedebat, modo negabat. v. Lips. Saturn. II. 21. et Freinsh. ad Flor. III. 20.

Coercitionem in histriones. Veteri more Aediles, Praetores, Consules quovis tempore et loco histriones coërcebant. Sed Augustus, rei ludicrae fautor, eos non puniri voluit, nisi per tempus ludorum, et in ipso loco, in quo peccassent, i. e. in scena. v. Tacit. Ann. I. 77. et ibi Lips. item Schulting. ad Pauli Sent. Rec. V. Tit. XXVI. §. 2.

Xystici, athletae dicuntur a Graeca voce *xystus*, i. e. porticus, in qua per hiberna tempora exercebantur. v. Vitruv. V. 11. et Buchner. ad Plin. IX. Ep. 7.

Exegit, i. e. postulavit, ut quam accuratissime fierent.

Togatarium. Legendum est *togatarum*, scil. fabularum actorem. Nam forma *togatarius* non est Latina. v. Intt. ad h. l. *Togatae* fabulae dicuntur, quae scriptae sunt secundum ritus et habitus hominum togatorum, i. e. Romanorum. His opponuntur *palliatae* fabulae, in quibus Graecorum mores et habitus exprimuntur. v. Diomed. de Art. Gramm. III. p. 486.

In puerilem habitum, i. e. in morem puerorum delicatorum, qui ita olim tondebantur, ut circulus esset in vertice. v. Casaub. ad h. l.

Ministrasse, scil. ad mensam, de qua verbi proprietate v. Gronov. Obs. II. 24.

Per trina theatra, scil. Pompeii, Balbi, Marcelli. Hoc genus poenae a Graecis ductum est, qui id vocabant θεατρίζειν et παραδειγματίζειν. v. Casaub. ad h. l.

Flagellis verberavit. Erat poena servilis. Iustin. II. 5. *virgas ac flagella, ceteraque servilis metus paranda instrumenta esse.*

Conspicuum fecisset, i. e. fecisset, ut spectatorum oculi in eum coniicerentur. Claud. 4. *ne quid faciat, quod conspici et derideri possit.*

46. *Coloniarum.* De coloniis Augusti v. Sigon. de A. I. It. III. 4.

Frequentavit, i. e. frequentem incolis fecit. Liv. XXXIII. 38. *novos colonos adscribere, et urbem omni modo frequentare.* Eadem vis est verbi *celebrare.* Cicero de Orat. I. 45. *celebrandae senectuti perfugium.* v. Ernest. ad Tacit. Ann. IV. 62.

Decuriones, sunt quasi Senatores in municipiis et coloniis. Dicti creduntur ex eo, quod initio cum coloniae deducerentur, decima pars eorum qui deducerentur, consilii publici gratia conscribi solita sit. v. L. 239. de V. S. et Noris. ad Cenot. Pisan. Diss. I. c. 3.

Honestorum, i. e. honesto loco natorum, honoratorum. Cal. 27. *multos honesti ordinis.* Vespas. 9. *honestissimo quoque Italicorum allecto.* v. Schulting. ad Senec. Contr. III. p. 245. et Swarz. ad Plin. Paneg. 59.

Ordinabat. Eodem modo loquitur Iustin. XXX. 2. *prae-*

praefecturas et ducatus mulieres ordinabant. ubi v. Gronov. et Oudend. ad Vesp. 23.

47. *Provincias.* Augustus provincias cum Senatu P.que R. callide sic partitus est, ut maiores, aut bellis obnoxias sibi caperet, minores aut pacatas Senatui relinqueret. Qui in Senatus provincias mitterentur, *proconsules* dicebantur: qui in Augusti, *Legati Augusti pro praetore*, vel *praesides.* De hac divisione classici loci sunt Strabonis XVII extr. et Dion. Cass. LIII. p. 503. In minores provincias, tanquam Iudaeam, interdum mittebantur *procuratores Caesaris.* Aegypto vero Augustus singularem formam dedit, misso in illam equite, qui *praefectus Augustalis* dicebatur. v. Tit. D. de Offic. praef. Aug. et ibi Schulting.

Foederatas. De his v. Sigon. de A. I. Pr. I. 1.

Laborantes. i. e. oppressos. *Labor* dicitur omne malum, omnis molestia.

Mox, saepe Suetonius dicit pro deinde. Tib. 26. *nec amplius quam mox tres consulatus gessit.* v. Torr. ad h. l. et Duker. ad Flor. III. 10. p. 521.

48. *Regnorum.* Sic legendum est fide MSStorum librorum. Quam locutionem a communi loquendi forma abhorrentem librarii, ut solent, in vulgarem mutarunt. Est autem in *regnorum* per ellipsin supplendum *illa.* Plaut. Casin. prol. 15. *Nam iuniorum qui sunt, non norunt.* Mela III. 6. *His oris multae ignobiles insulae adiacent, sed earum, quas praeterire non libeat, Gades fretum attingit.* v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 3. p. 544. et Burm. ad h. l.

Rectores, saepe dicuntur, qui moderandae iuventuti praeponuntur, vel pupillis tutores dantur, ut h. l. Tacit. Ann. I. 14. *additur rector iuveni.* XIII. 2.

Burrus et Seneca rectores imperatoriae iuventae.

Apponere. Rectores, paedagogi, et custodes proprie dicuntur *apponi.* Tib. 22. *tribunus militum, custos appositus.* ubi v. Oudend. Claud. 2. *paedagogum ex industria sibi appositum.* Liv. II. 18. *moderatorem et magistrum consulibus appositum.*

Mente lapsis, i. e. qui propter morbum *mente paullum imminuta sunt*, ut loquitur Sallust. Iug. 65.

49. *Classem Miseni.* De his Classibus v. Tacit. Ann. IV. 5. et Lips. de Magn. Rom. I. 5. et quos laudat Gorius ad Inscr. Florent. T. I. p. 258.

Germanorum. Ut hodie Helvetii, sic olim Germani, inprimis Batavi, principum corpus custodiebant. v. Calig. 45. et Lips. ad Tacit. Ann. XIII. 18.

Formulam, i. e. modum, normam, legem. Tib. 18. *commeatum omnem ad certam formulam adstrictum.*

Prosequendos, nempe praemiis. Inf. 66. *merita cuiusque digne prosecutus.*

Vectigalibus novis. Quorum praecipuum fuit vectigal vicesimae partis, quae ex hereditatibus detrahebatur. v. Burm. de Vectig. c. XI.

Sub manu, i. e. dum res ipsa adhuc gerebatur. De hac formula, quae non eandem ubique vim habet, v. Intt. ad h. l. et Ernest. Clav. Cic. v. Manus.

Qui a loco eidem perferrent literas. Elegans est Casauboni et Graevii coniectura, *qui alicunde perferrent literas.*

50. *Diplomata*, dicuntur a forma. Nam in modum tabellarum duplicium formabantur. Apud Ciceronem, tanquam ad Div. VI. 12. in Pison. 37. diplomata semper dicuntur de literis publicis itineris caussa datis. v. Buchner. ad Plin. X. Ep. 14. et Ernest. Clav. Cic. h. v. Verum apud Sueton. Ner. 12. sic

sic etiam vocantur codicilli, quibus ius civitatis defertur. v. Casaub. ad h. l.

Sculpta. Ernestus legi malit *scalpta*, quod gemmae, quae inter lapides sunt, non sculpuntur, sed scalpuntur. Contra Oudendorp. ad Galb. 10. discrimen observandum esse contendit non ratione materiae, sed artis. Ex eius igitur sententia *scalpere* et *scalptura* de rudiore et leviore sine arte opera dicuntur: *sculpere* et *sculptura* de opera accurata. Sed librariorum inconstantia facit, ut nihil certi constitui possit.

Momenta horarum, i. e. horas ipsas. Nempe Augustus subscribebat literis, *hora prima*, *secunda*, *tertia*. v. Cic. ad Div. I. 2. et Intt. ad h. l.

51. *Clementia*, est ea virtus, qua moderamur iracundiae. Sic Cicero de Fin. II. 12. opponit *clementer* et *iracunde*. v. Manut. ad Coel. Ep. 8.

Votum, i. e. voluntatem. Pers. Sat. V. 53. *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*

Commoto, i. e. irato. Virgil. Aen. I. 126. *graviter commotus, et alto Prospiciens.*

Aetati noli indulgere, i. e. noli obsequi calori aetatis ad vindictam prono.

52. *Suo Romaeque nomine.* De templis Romae et Augusti v. Tacit. Ann. I. 78. Gesner. ad Claudian. de VI. Cons. Honor. 17. et quos laudat Oudend. ad h. l.

Cortinas, i. e. tripodes, quorum frequens usus erat in ornandis Deorum templis, praesertim Apollinis et Bacchi. v. Plin. H. N. XXXIV. 3. et Casaubonum exquisitissima ad h. l. notantem.

Nudo pectore, ut significaret, malle se occidi, quam dictaturam recipere. v. Casaub. ad h. l.

53. *Inquietare*, verbum aureae aetatis scriptoribus non

non usitatum, proprie dicitur de somno interrupto. v. Cal. 26. Deinde est molestiam alicui praebere, interpellare alicuius tranquillitatem. v. Claud. 9. Ner. 34. et Oudend. ad h. l.

Adaperta, i. e. omni ex parte aperta, ut a supplicantibus facile adiri posset. Male in quibusdam edd. legitur *adoperta*. v. Oudend. ad h. l.

Salutationibus, nempe quas amici clientesque faciebant, primo mane in aedes eius venientes, eumque salvere iubentes. v. Vespas. 21. et Swarz. ad Plin. Paneg. 48.

Nullo submonente. Multum ad colligendam benivolentiam valebat, si potentior inferiorem proprio nomine compellaret, et quidem sine monitore. Plinius Paneg. 23. de Traiano: *gratum, quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares.*

Valere dicebat. Tib. 72. *singulos valere dicentes appellare*. Ex quibus locis patet, semper divisim scribendum esse *vale dicere*. v. Cellarii Cur. Poster. p. 68.

Officia cum multis mutua exercuit, i. e. multis mutuum honorem habuit in celebrandis sollemnitatibus togae purae, nuptiarum, natalium etc. Tib. 11. *Mutua cum Graecis officia exercens prope ex aequo*. v. Casaub. ad h. l.

Vexatus, i. e. huc illuc iactatus, pressus. *Vexo* est frequentativum a *veho*. v. Gell. II. 6. et Intt. ad Phaedr. IV. 16. 5.

Captum oculis, i. e. coecum factum. Liv. XII. 2. *ipse Hannibal altero oculo capitur*. ubi v. Duker.

Revocavit ad vitam, i. e. perfecit, ut diutius vivere vellet. Cic. ad Att. III. 6. *Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me manus abstineam.*

Curt.

Curt. VIII. 8. *a quo revocatus ad vitam erat, cum interfecto Clito mori perseveraret.* v. Gronov. ad Senec. Hipp. 264.

54. *Si locum haberem.* Indicare volebat, ipsam rempublicam, sive omnia in rep. loca occupata esse. v. Casaub. ad h. l.

Se proripienti, i. e. celeriter fugienti. Liv. II. 23. *Nexu vincti solutique se undique in publicum proripiunt.* ubi v. Drakenb.

Ingerere, est magna copia inferre, translatione ducta a telis, quae in hostem ingeri dicuntur, et fere usurpatur de re ingrata, tanquam conviciis et plagis. Terent. Andr. IV. 1. 16. *ingeram mala multa.* ubi v. Donat. Tibull. II. 5. 101. *Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae.* ubi plura Intt. Liv. III. 68. *vocis verborumque, quantum voletis, ingerent.*

An essent. *An* ponitur pro annon, quod hic quidam reponunt. Male. Cic. de Off. I. 15. *an debemus imitari agros fertiles?* Ovid. Amor. I. 7. 29. *An, si pulsassem minimum de plebe Quiritem, Plecterer?*

Contumacia, est ferocia animi, quae non cedit superioribus. v. Graev. ad h. l. Ea non solum in verbis est, sed etiam in factis. Sup. 24. *legionem contumacius parentem.*

Famosos libellos non expavit, i. e. adversus famosos libellos firmus fuit, ut loquitur Tib. 28. v. Gronov. ad Tacit. Ann. XIII. 21.

55. *Requisitis*, pro simplici *quaesitis.*

Sub alieno nomine, i. e. ut ipse librum conscribat, alius titulum ferat. De hac locutione v. Burm. ad Ovid. Trist. II. 551.

56. *Testamentorum licentia.* Mos erat apud Roma-

manos, in testamentis aliorum famam petulantibus verbis lacerare. v. Tacit. Ann. VI. 38. XIV. 50. et ibi Lips. inprimis Casaub. ad h. l.

Legibus iudiciariis. Intelligit leges de criminibus, propter quas quis in iudicium vocari potest. Quod praeter veterum consuetudinem dictum esse, Ernestus ad h. l. docet.

Superesset, i. e. adesset. Oth. 6. *etiam sacrificanti superfuit.* ubi v. Ernest. Tit. 1. *tantum illi vel ingenii, vel artis superfuit.* Sic *adesse* reis advocati dicuntur, qui illis praesentiam suam commodant: contra *deesse*, qui eam non commodant.

Eriperet legibus reum, i. e. faceret, ut reus absolveretur contra leges. Rei *eripi* eleganter dicuntur, qui aut vi, aut auctoritate ac gratia potentiorum hominum absolvuntur. Cic. Verr. II. 1. *cui reus tam nocens aut occulte surripi, aut impune eripi possit.* Liv. II. 54. *iure an iniuria eripiendos esse reos.* ubi v. Drakenb. Mox hoc ipso capite: *Unum omnino e reorum numero eripuit.* Pro *eripere* eodem sensu *auferre* dixit Flor. I. 3. 5. ubi v. Graev. *caussam auferre* est ap. Senecam patrem Contr. II. p. 130. *rapere iudicia* ap. Senec. filium de Brevit. vitae cap. 6. Quae omnia elegantissima sunt. v. Markland. ad Stat. Silv. II. 6. 89.

Destituere, i. e. deserere, relinquere in periculis. Cic. pro Caecin. 32. *nudus in caussa destitutusque.* v. Ernest. Clav. Cic. h. v.

Subsellia, in iudiciis sunt sedes iudicum et patronorum utriusque partis. v. Cic. pro Rosc. Am. 11. pro Flacco 10. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Laudatione iudiciali. De laudationibus, quae in iudiciis fiebant, v. Sigon. de Iud. II. 19.

Evocati, dicuntur veterani, qui, confectis legitimis

nis stipendiis, sponte in gratiam consulum aut ducum militiam sumebant. Ii quoniam vel precibus, vel promissis ducum evocabantur, inde nomen invenerunt. v. Dion. Cass. XLV. p. 276. et Lips. de Mil. Rom. I. 8.

57. *Consensu*, i. e. omnibus consentientibus. Tib. 1. *Lucii praenomen consensu repudiavit*. Liv. XXXIV. 5. *aurum matronae consensu in publicum contulerunt*. ubi v. Drakenb.

Strena, est munus, quod die festo, inprimis Calendis Ianuariis, datur boni ominis caussa. v. Fest. h. v. Tib. 34. Cal. 42.

Sandaliarium. Cl. Ernestus malit *sandaliatum*, i. e. sandaliis indutum. Verum Apollo non sic dicitur ab habitu, sed a sandaliariis, h. e. sandaliorum artificibus, qui in illo vico habitabant, et Apollinem praesidem habebant. v. Oudendorp. ad h. l.

Incendio absumtae, aedes dicuntur, quae incendio corruptae, et membris aliquot truncatae sunt: *incendio consumtae*, quae plane evanuerunt. v. Calig. 59. Ner. 31. et Oudendorp. ad h. l.

Decuriae. Intelligit varios magistratuum ministros, scribas, lictores, viatores, qui in decurias descripti erant. Harum decuriarum frequens mentio est in lapidibus literatis. v. Claud. 5. et Intt. ad h. l.

Tribus, i. e. plebs, sive infimus ordo civium. Flor. II. 6. p. 297. *Eques secutus exemplum, imitataeque equitem tribus*, ubi hanc vocis significationem egregie illustrat Dukerus.

Delibante, i. e. attingente. *Libare* et *delibare* proprie significant leviter degustare, et vix primis labris attingere. Petron. 36. *Tum illa carnis etiam paullulum delibat*. Deinde translate dicuntur de parciore rei cuiuscunque usu. Cic. de Orat. I. 34.

li-

libandus etiam ex omni genere urbanitatis quidam lepos. Plin. Paneg. 53. *honores delibare parcissime.* v. Swarz. ad eundem Paneg. 38.

Ominibus, i. e. acclamationibus, gratulationibus, precibus. Inf. 98. *praetervehenti nautae fausta omina et eximias laudes congesserant.* Claud. 27. *Britannicum faustis ominibus, cum acclamantium turba, prosequebatur.* v. Intt. ad Ovid. Met. VI. 448.

Modulatis, i. e. quae composita erant modis, ut cani possent. Cal. 16. *puellis carmine modulato laudes canentibus.*

Ne supplicium de quoquam sumeretur. Dies, quo Augustus urbem introibat, festus habebatur. Diebus autem festis veteres nulla supplicia sumebant. v. Casaub. ad h. l. et P. Fabrum Semestr. II. 8.

58. *Quod bonum faustumque sit.* Haec formula omnibus rebus agendis praemitti solebat. v. Cal. 15. et Brisson. de Form. II. p. 154.

Huic. Post hanc vocem elapsum videtur *urbi*, ut bene coniicit Oudend.

Consalutat, pro simplici salutat. Liv. I. 7. *utrumque regem sua multitudo consalutaverat.* ubi v. Drakenb.

Lacrimans, prae gaudio. Terent. Adelph. III. 3. 55. *oh, lacrimo gaudio.* v. Casaub. ad h. l. et Swarz. ad Plin. Paneg. 73.

Quid habeo, i. e. quid possum. Cic. pro Balbo 14. *quid habeo dicere de Gaditano foedere?* Horat. Epod. XVI. 23. *an melius quis habet suadere?* Sic Graeci ἔχω dicunt pro *possum.*

Perferre, i. e. retinere.

59. *Patrum familiarum.* Veteres saepe dicunt *pater familiae*, *mater familiae* pro paterfamilias, ma-

mater familias. v. Calig. 26. Vesp. 11. et Intt. ad Liv. XXXIV. 2.

Initium anni fecerunt. Hunc veterum morem erudite illustrat Casaubon. sup. ad cap. 18.

Ludos quinquennales. Tanquam heroi. Hi ludi inventi sunt ad imitationem certaminis Olympici. v. Casaub. ad h. l.

60. *Aedem Iovis Olympii.* De qua videte quos laudant Torrent. et Casaubon.

Genius, qui et *deus naturae*, et *generis nostri parens* vocatur, credebatur homini nascenti adiungi, eumque ad vitae finem regere et moderari. Horat. II. Ep. 2. 187. *Scit genius, natale comes qui temperat astrum, Naturae deus humanae.* v. Broukhus. ad Tibull. II. 2. 5.

Quotidiana officia, i. e. salutationes, deductiones domo, reductiones domum, etc.

61. *Interiorem vitam*, i. e. domesticam et privatam. Cic. de Senect. 4. *nec vero ille in luce modo, atque in oculis civium, magnus, sed intus domique praestantior.* v. Casaub. ad h. l.

62. *Expostulantibus*, i. e. etiam atque etiam rogantibus. Verbum *expostulare* etiam in bonam partem dicitur, ut Tib. 13. *reditum precibus expostulans.* v. Burm. ad h. l.

Intactam, i. e. virginem, ut ipse Suetonius exponit, sive *integram*, ut loquitur Terent. Hec. I. 2. 70. Virgil. Aen. I. 345. *Cui pater intactam dederat.* Horat. I. Carm. 7. 5. *intactae Palladis arcem.* Similiter Terent. l. c. *non attigit eam.*

Perversitas, tribuitur illi, qui, contra quam debet, agit. Pervertit enim ordinem rerum. Cic. ad Div. XIII. 1. *si qua offensiuncula facta est animi tui perversitate aliquorum.* ubi v. Manut.

Abduci, proprie dicuntur uxores, quae invitis maritis eripiuntur. Cic. pro Flacc. 30. *uxorem abduxit ab Amynta praegnantem.* ubi v. Graev. Virgil. Aen. X. 79. *et gremiis abducere pactas.* Tacit. Ann. I. 10. *abducta Neroni uxor.*

63. *Tantum quod*, i. e. modo, vix. Cic. ad Div. VII. 23. *Tantum quod ex Arpinati veneram.* ubi v. Manut. Neron. 6. *tantum quod exoriente Sole.* v. Gronov. ad Liv. XXXIII. 5. et Graev. ad Vesp. 5.

Nuptum dedit. Male in libris quibusdam legitur *nuptui dedit.* Terent. Andr. II. 1. 1. *daturne illa Pamphilo nuptum?* Liv. I. 49. *Mamilio filiam nuptum dat.* ubi v. Drakenb. Sic *nuptum collocare* dixit Columella IV. 3.

Multis ac diu. Hae voces tanquam ex formula iunguntur. Sallust. Iug. 94. *diu multumque fatigati.* Cic. ad Div. XVI. 26. *diu et multis lucubrationibus commentata oratio.* Horat. I. Ep. 13. 1. *Ut proficiscentem docui te saepe diuque.* v. Burm. ad Ovid. Amor. III. 11. 1.

Conditionibus, i. e. maritis. v. notata ad Caes. 27.

Cotisoni. Hunc Cotisonem *Dacum* vocat Horat. III. Carm. 8. 18. Sed saepe ab ipsis veteribus Getae et Daci confunduntur.

64. *Per assem et libram.* Haec adoptio frequentius dicitur per *aes et libram*, quae hac sollemnitate peragebatur: Filius adoptandus per imaginariam venditionem ter vendebatur, adhibito aere et libra, praesentibus patre naturali et adoptivo, quinque testibus, libripende, antestato. Naturalis pater filium adoptivo mancupabat hac formula: *Mancupo tibi hunc filium, qui meus est.* Pater adoptivus hac formula utebatur: *Hunc ego hominem iure Quiritium meum esse aio, isque mihi emtus est*

hoc

hoc aere, *hac aeneaque libra*. Tum idem, libra percussa, dicis caussa sestertium numum tradebat patri naturali. Qua mancipatione ter repetita, adoptio perfecta erat. v. Caium Instit. I. 6. 3. Ulpian. Fragm. X. 1. et Boëth. ad Cic. Top. 3.

Teneros, i. e. qui erant tenerioris aetatis. v. Claud. 43. Ner. 7. et Duker. ad Flor. IV. 4. p. 728.

Ut lanificio adsuesceret. Apud Romanos matronae primi ordinis lanam exercebant, telam texebant, vestem conficiebant. v. Lips. Elect. I. 17. et Casaub. ad h. l.

Extraneorum, i. e. qui non propinqui erant. Claud. 4. *inter tertios ac paene extraneos heredes*.

Literas, i. e. scribendi formam.

Natare. Omnino amplectenda est Lipsii emendatio, *notare*, i. e. per notas scribere. Nam abhorret a maiestate Augusti, eum publice in Tiberi nepotes natare docuisse, praesertim cum ipse esset corpore imbecillo, et coxendice, femore ac crure sinistro parum valeret, ut Sueton. cap. 80. tradit. v. Intt. ad h. l. Praeterea notandum, verbum *docuit* h. l. iungi cum substantivo *literas* et verbo infinitivi modi *notare*: quae loquendi forma usitata est poëtis. Horat. I. Carm. 1. *Sunt quos collegisse pulverem iuvat*, et *meta*, et *palma*, scil. *iuvat*. v. Burm. ad Virgil. Georg. I. 25.

In imo lecto, i. e. in infima parte lecti. Pueri more veteri non accumbebant mensae, sed ad fulcra lectorum sedebant. v. Claud. 32. Tacit. Ann. XIII. 16. et ibi Lips.

65. *Adoptavit*, ponitur pro *arrogavit*. Nam proprie *arrogantur*, qui sui iuris sunt. v. Gell. V. 19. et Ulpian. Fragm. VIII. 2.

Lex curiata, est lex iussa a populo in comitiis cu-

curiatis, ubi populus per curias suffragium ferebat. Curiata comitia cum, inductis tributis, obsolevissent, in duabus tantum caussis per lictores habebantur, nempe de re militari, et de adoptione. v. Cic. Agrar. II. 11. et Ernest. Ind. LL. v. Curiata.

Sordidum ingenium, viri docti explicant, quod vilium hominum contubernio delectatur. Forte non spernenda Salmasii coniectura, qua legit *scordalum*, i. e. ferox et clamosum in vino. De hac voce, Suetonii aequalibus usitata, v. Intt. ad h. l. et Gesner. Thes. L. L.

Seposuit, i. e. a conspectu suo removit. Paullo minus est *seponere*, quam *relegare*. Tib. 15. *Agrippa abdicato atque seposito*. v. Swarz. ad Plin. Paneg. 57.

Quaestorem, simpliciter vocat *quaestorem candidatum*, ut Ner. 15. Tit. 6. Quaestores candidati ab Augusto creati sunt, quod, cum ipse proconsul esset atque imperator, necessarii ipsi esse viderentur Quaestores. Eorum officium erat, libellos, orationes, epistolas principis in Senatu recitare, aerarium principis curare, etc. v. L. un. §. 2. D. de offic. Quaest.

Delicatiorem cultum, i. e. mollem, ad pompam et ostentationem comparatum. Sic Vitell. 10. *delicatissima navigia* sunt omni apparatu luxuriae instructa. Phaedr. IV. 4. 26. *Domum politam, et delicatos hortulos*. ubi v. Burm.

Vomica, proprie est tumor, qui in corpore excrescit, et saniem emittit. v. de Rhetor. 6.

Carcinoma, est morbi genus, quod fit maxime in superioribus partibus, circa faciem, nares, aures, labra, et vix medicamentis curari potest. v. Cels. de Medic. V. 28. Plin. H. N. XX. 9.

66. *Duntaxat*, i. e. scilicet, quidem, certe. Cic. ad

ad Att. V. 10. *Valde me Athenae delectarunt, urbs duntaxat, et urbis ornamentum.* Caes. 55. *duntaxat adolescens adhuc.* v. Gronov. ad Senec. de Benef. V. 2.

Afflicti, i. e. incidisse in calamitatem, excidisse eius gratia. Tib. 51. *omnes amicitias intra breve tempus afflixit.*

Cornelium Gallum. De hoc nobilissimo poëta v. Sueton. de Gramm. 16. et Oudend. ad h. l.

Illacrimare, hic sine casu dicitur, ut ap. Liv. XXV. 24. *ut urbem subiectam oculis vidit, illacrimasse dicitur.* ubi v. Drakenb.

Desiderare rem, quis dicitur, quae abest, et quam habere cupit. Nepos Epam. 7. *desiderari coepta est Epaminondae diligentia.*

Rigoris. Rectissime viri docti emendant *frigoris.* Nam ut vigens amicitia et gratia *calori*, sic remissa et imminuta *frigori* comparatur. Horat. II. Serm. I. 60. *maiorum ne quis amicus Frigore te feriat*, i. e. gratiam tuam exstinguat. Seneca Ep. 123. *Montanus et amicitia Tiberii notus, et frigore.* Sic in L. 32. §. 12. D. de donat. inter vir. et ux. *frigusculum* est remissus amor et dissensio inter virum et uxorem. v. Duker. de Latin. vet. IC. p. 405.

Exegit benivolentiam. Locutio traducta est a creditoribus, qui debitum repetunt ab iis, quibus pecunias crediderunt. Cic. de Amicit. 9. *ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam; neque enim beneficium foeneramur.* Similis ratio est locutionis *exigere poenam*, quae est in Claud. 34. Nam qui deliquit, putatur quasi debitor esse poenae legibus constitutae; iudex vero ab eo poenam, tanquam debitum, exigit. Quam ob caussam etiam qui punitur, *poenas persolvere* dicitur.

Amicorum suprema iudicia. Veteres magno honori sibi ducebant, si quantumlibet amicorum testamentis sibi relinqueretur. Itaque Antonius Ciceroni probri loco obiicit, quod ex amicorum testamentis nihil cepisset. v. Cic. Phil. II. 16. et Brisson. Select. Ant. IV. 19.

Suprema iudicia, i. e. testamenta. Iustin. V. 11. *Cyro iudicium patris iniuria videbatur.* ubi v. Intt. Plin. VII. Ep. 20. *cum tot vinculis nos suprema hominum iudicia constringant.* Hinc *iudicio improbari* dicitur apud Cic. pro Dom. 19. qui in testamento praeteritur. v. Graev. ad Cic. ad Div. XV. 2.

Citra honorem verborum, i. e. sine verbis honorificis. v. Brisson. de Form. VII. p. 631.

Pupillari aetate, quae annis XIV definitur. v. L. 26. D. de iure fisci. Pupillorum autem simplex genus semper fraudibus expositum erat. v. Gronov. Obs. in Eccl. Script. 19. p. 204.

Incremento, i. e. fructibus et usuris.

67. *Dispensatorem*, i. e. servum, cui tabulae accepti et expensi commissae erant. v. Ner. 44. Vesp. 27. et Torrent. ad h. l.

Apro obiectus est. Phaedr. V. 10. 4. *Aliquando obiectus hispidi pugnae suis.*

Fero apro. Poterat abesse *fero.* Sed saepe additur, praesertim a poëtis. Ovid. Amor. I. 10. 140. *Et ferus in silvis farra metebat aper.* Sic *feri leones* apud eundem Met. XI. 511. v. Ernest. ad h. l.

Proculum ex acceptissimis libertis. Praepositio *ex* saepe ad numerum refertur. Liv. XXX. 15. *fidum e servis vocat.* ubi v. Gronov.

Crura ei fregit. Sic legitur in veterrimis membranis. Et est optimorum scriptorum consuetudo, praemisso nomini, propter quaedam interposita, pro-

no-

nomen *is* apponere. Cic. ad Div. VII. 9. *Cornelius, tuus familiaris summo genere natus, terrae filius, is me crebro ad coenam invitat.* Valer. Max. I. 7. 5. *Cicero, cum in villa quadam deversaretur, is animo in somnum profuso putavit.* Vim exemplorum congesserunt Intt. ad h. l. Ceterum *crucifragium* servilis poena erat. v. Tib. 44. et Casaub. ad h. l.

Grassatos, i. e. qui multa crudeliter avareque fecerant. Iustin. XXXVIII. 6. *neque in se uno, sed in aliis quoque omnibus, hac arte grassatos.*

Praecipitavit in flumen. De hoc supplicio, quod Graeci καταποντισμὸν vocant, erudite Casaub. ad h. l.

68. *Effeminatum*, i. e. muliebria passum. Calig. 56. *ut mollem et effeminatum denotare.*

Delibatam, i. e. imminutam. v. notata ad cap. 57.

Pudicitiam substraverit. Male Graevius mutat hanc lectionem. *Pudicitiam substernere* eodem modo dicitur, quo *pudicitiam prosternere* in Caes. 2. v. Oudendorp. ad h. l.

Surgeret, i. e. cresceret. Propert. I. 20. 37. *surgebant lilia prato.* Virgil. Georg. IV. 12. *Surgentes atterat herbas.* v. Oudend. ad h. l.

Gallo, i. e. sacerdote Cybeles, vel Rheae, quae *mater Deum* dicebatur. v. Fest. v. Galli, et Is. Voss. ad Catull. p. 162.

Tympanizante, i. e. tympanum pulsante. De Gallorum tympano, dissimili nostris, v. Voss. ad Catull. p. 162. et Ernest. ad h. l.

Orbem. Sensus ambiguus est in voce *orbis.* Nam ut Gallus orbem vel tympanum sinistra manu tenens, dextrae digito pulsabat, sic Augustus nullo negotio regebat orbem terrarum.

69. *Excusantes*, i. e. afferentes pro excusatione. *Ratione*, i. e. cum iudicio. Ovid. Rem. Am. 10.

Et quod nunc ratio est, impetus ante fuit. v. Burm. ad Serv. in Aen. IV. 547.

Mulieres, i. e. uxores. Sic etiam Horat. Epod. II. 39. et ICti.

Viro coram. Praepositio *coram* saepe postponitur casui suo. Oth. 1. *se coram.* Tit. 10. *populo coram.* De aliis praepos. casui postpositis v. quae notavimus ad Vell. Pat. II. 91.

Rubentibus auriculis, incomtiore capillo. Inter concubitus signa Iuvenalis etiam Sat. XI. 187. ponit *Vexatasque comas, et vultum, auremque calentem.* *Auriculae rubere* dicuntur, quod utrimque apprehendebantur ab osculantibus. Tibull. II. 5. 91. *natusque parenti Oscula comprensis auribus eripiet.* v. Broukhus.

Doluisset, i. e. dolorem querelis ostendisset. Sallust. Iug. 39. *pars dolere pro gloria imperii.*

Mango est, qui mancipia venalia habet, a quo qui mancipium emeret, ante denudabat et perspiciebat, ne quid vitii sub veste lateret. v. Casaub. ad h. l.

Reginam ineo, i. e. cum regina coëo, concumbo. Ner. 12. *taurus Pasiphaën iniit.*

Ita valeas, uti. Eodem modo loquitur Phaedr. IV. 1. 19. *Ita valeas, ut farina es.*

70. *In fabulis fuit*, i. e. in sermonibus fuit, ut loquitur Seneca Ep. 122. Sic *convivales fabulae* ap. Tacit. Ann. VI. 5. dicuntur sermones inter convivium facti. v. Schulting. ad Senec. Contr. II. p. 199.

Δωδεκάθεος, a duodecim illis Diis maioribus.

Enumerantis. Sic legendum e libris MSS. non *annumerantis.* *Enumerare* est singulorum nomina ita numerare, ut nullum omittatur. v. Caes. 55. Aug. 51. et Oudend. ad h. l.

Cum

Cum primum. Hic versus depravatus est, e quo nullus idoneus sensus elici potest.

Choragus, apud Graecos dicitur, qui sumtus de suo praebet ad ludos sacros. Latini *choragum* vocant, qui ornamenta fabulae docendae necessaria histrionibus locat; quae ornamenta *choragium* dicuntur. v. Casaub. ad h. l. et ad Athen. XIV. 8.

Phoebi mendacia ludit, i. e. per lusum et iocum simulat se Apollinem esse. *Mentiri* saepe dicitur pro imitari aliquid per simulationem. Ovid. Ep. XXI. 183. *si non mentiris amorem.* Martial. III. Ep. 43. *Mentiris iuvenem tinctis, Lentine, capillis.*

Dum nova Divorum coenat adulteria, i. e. dum adulteria Deorum, novo more, in coena exprimit et imitatur. Persius V. 8. *histrio coenat ollam Thyestae.* v. Intt. ad h. l.

Se declinarunt, i. e. se averterunt, ne scelera ista viderent. Ovid. Met. VII. 88. *Nec se declinat ab illa.*

Thronos, praefert Burmannus, intelligens auream Iovis sedem in Capitolio. Sed thronus demum Plinii aetate in Latinorum consuetudinem venit, ut Oudend. ad h. l. docet. Recipienda igitur MSS. lectio, *toros*, i. e. pulvinaria, quae Iovi sterni solebant. *Tororum* etiam aptior mentio est, ubi de convivio agitur.

Corinthiorum, scil. vasorum. v. Cic. Verr. II. 19. Plin. H. N. XXXIV. 2. Aes Corinthium, quaecunque demum illius mixtura fuerit, multis ante Corinthum excisam seculis celebratum fuisse, docent Freinshem. et Dukerus ad Flor. II. 16. p. 403. Corinthiorum vasorum artifex *Corinthiarius* dicebatur, sicut plura adiectiva, quae in *arius* exeunt, fabrorum genus signant. Sic cap. 57. est *sandalarius.*

71. *Murrhinum calicem*, i. e. porcellaneum, ut nonnullis placet. v. Salmas. Exerc. Plin. p. 143.

Circa libidines, i. e. quod attinet ad libidines.

Haesit, i. e. non facilis ei ratio fuit huius criminis purgandi. Metaphora ducta est a navibus, quae in loca vadosa incidunt, nec se expedire possunt. Terent. Eun. V. 2. 9. *ipsa est: haereo.* Domit. 12. *cum in explicandis oneribus haereret.*

Lusit simpliciter, i. e. sine ulla dissimulatione. Phaedr. III. 7. 7. *Canis simpliciter respondet.*

Mense Decembri, quo Saturnalia summa animi remissione celebrabantur. v. Torrent. ad h. l.

Γεροντικῶς. Aleae lusus senum erat. v. Cic. de Senect. 16.

Talorum rationem explicuerunt Casaub. ad h. l. et Ernestus Clav. Cic. h. v. *Senio* dicitur latus, quod sex puncta habebat. Optimus iactus est *Venerius*, cum omnes tali latus aliud ostendunt: pessimus, cum omnes idem, qui *Canis* dicitur.

Quinquatrus, i. e. dies festos Minervae. v. Ovid. Fast. III. 809.

Forum aleatorium. Hunc locum, neque Torrentio, neque Casaubono intellectum, primus explicuit Gronovius ad Senec. Cons. ad Polyb. 36. *Forus* est alveus lusorius, sive tabula, sicut *fori navium* sunt tabulata. v. Burm. ad Serv. in Aen. IV. 605.

Calfecimus, i. e. assidue trivimus. Elegans translatio. Nam *calere* dicuntur, quae studiose aguntur, iactantur: contra *frigere*, quae minus. v. Cic. Phil. V. 4. pro Planc. 23. et Cort. ad Declam. in Sallust. p. 1057.

Magnis clamoribus etc. In simili re Ovid. A. A. III. 375. *resonat clamoribus aether.*

Ad summam, i. e. denique, breviter. Cic. de Of-

Offic. I. 41. *ad summam, ne agam de singulis.* Horat. I. Ep. I. 106. *Ad summam, sapiens uno minor est Iove.*

Manus, est pecunia, quam quisque confert post iactum infelicem. v. Casaub. ad h. l.

Vicissem vel quinquaginta millia, i. e. vincendo comparassem. Locutionem, *vincere caussam*, *sponsionem*, *iudicium*, idoneorum scriptorum auctoritate vindicavimus ad Vellei. I. 8.

Benignitas, i. e. liberalitas. Phaedr. I. 23. 7. *subita me iubet benignitas Vigilare.* ubi v. Intt.

Par impar ludere, est tesseris, numis, vel nucibus in manum sumtis alterum iubere divinare, sitne par numerus, an impar. v. Horat. II. Serm. 3. 248. et Casaub. ad h. l.

72. *Conspicuis*, i. e. conspiciendis, notandis. Nepos. Att. 13. *Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset.* Ovid. Trist. II. 113. *Et neque divitiis, nec paupertate notanda, Unde sit in neutrum conspiciendus eques.*

Locus singularis, i. e. remotus, solus.

Syracusas et τεχνόφυον. Horum nominum ratio non satis patet.

Aeger etc. Notanda veterum consuetudo, qui saepe, cum aegrotarent, in amici alicuius domum transirent. v. Casaub. ad h. l.

Praetoria, i. e. villas et aedificia extra urbem, quae tantum super rusticorum tuguria eminebant, quantum praetorium sive imperatoris tabernaculum super aliorum tentoria. v. Perizon. de Praetor. p. 31.

Gravabatur, i. e. graviter et moleste ferebat. Differunt *gravari re*, et *gravari rem.* Prius est rem sustinere, et utcunque aegre ferre: posterius, rem, quam ferimus, tentare excutere, vel nondum susceptam

ptam recusare. Hoc discrimen constituit Gronov. Diatr. Stat. 24. et ad Senec. Thyest. 106. Liv. XXI. 23. *quos et ipsos gravari militiam senserat.* Sueton. Tiber. 50. *matrem Liviam gravatus.* ubi v. Oudend.

73. *Elegantia*, dicitur cultus et ornatus exquisitior. Phaedr. II. 2. 4. *annos celans elegantia.* ubi v. Burm.

Quam domestica. Recte Torrentius vocem *quam* transponit hoc modo: *Veste non temere alia domestica usus est, quam ab uxore etc.*

Neque restrictis, neque fusis, neque angustis, neque laxis.

74. *Recta*, scil. coena, i. e. iusta, sollemni, quae *recta* dicitur, quod convivis ordine discumbentibus praebebatur. *Rectae coenae* opponuntur *sportulae*, i. e. cibi leviores. Domit. 7. *sportulas publicas sustulit, revocata coenarum rectarum consuetudine.*

Ingenuitas, est ius ingenuorum. v. L. 2. D. de iure aur. annul.

Speculatores, hoc tempore dicebantur custodes corporis imperatorii, quod velut in specula eius salutis essent. v. Claud. 36. Torrent. ad Calig. 52. et Lips. ad Tacit. Hist. I. 24.

Ternis ferculis, i. e. ternis missibus ciborum. Proprie *ferculum* est repositorium, quo plures simul lances inferuntur. v. Petron. 31. 35. et Casaub. ad h. l.

Provocabat, i. e. excitabat. Iustin. XVIII. 6. *quae aetas etiam hostium misericordiam provocat.* Plin. Paneg. 49. *non provocas reddisque sermones?*

Acroamata, dicuntur, quicunque sive in convivio, sive in theatro voluptatis caussa audiuntur, musici, scurrae, moriones. Graeci hoc nomen etiam de re usur-

usurpant, Latini semper de homine; id quod pulcre demonstravit Ernestus Exc. ad h. l.

Ludios, i. e. saltatores. Ovid. A. A. I. 112. *Ludius aequatam ter pede pulsat humum.* ubi v. Intt. Ludii, astrologi, coniectores, et similes in circo morabantur. Itaque Horat. I. Serm. 6. 113. *circum fallacem* vocat. v. Casaub. ad h. l.

Aretalogi, sunt aut philosophi, qui hominum beatorum convivia frequentarent, eosque disputationibus de virtute et vitio oblectarent, aut scurrae, qui magnifice et ad risum usque virtutem suam praedicarent. Prior explicatio est Casauboni ad h. l. posterior Salmasii ad Tertull. Pall. p. 334.

75. *Profusissime, nonnumquam iocularitor.* Bis intelligendum *nonnunquam*, quasi scripsisset: *nonnunquam profusissime, nonnumquam iculariter.* Saepe veteres hac brevitate utebantur. Liv. III. 37. *iam ne tergo quidem abstinebatur: virgis caedi, alii securi subiici.* ubi hoc loquendi genus illustrat Gronov.

Numos omnis notae, i. e. percussos vario figurarum genere. Inf. 94. *ut numum nota Capricorni percusserit.*

Cilicia, i. e. vestes vilissimas, de pilis hircorum textas, quae nomen habent a Cilicia, ubi primum hircorum tonsura instituta est. v. Varron. de R. R. II. 12. et Serv. ad Virgil. Georg. III. 321.

Titulis ambiguis. Solebant eiusmodi munusculis titulos inscribere, ut ridendi materia esset, v. c. cilicio, detur omnium hirsutissimo; rutabulo, detur optime vasato. v. Petron. 56. inprimis Casaub. ad h. l.

Inaequalissimarum rerum sortes. Erat hoc genus Lotariae, ut hodie vocant. Vendebantur tabellae obsignatae: quas cum emtores resignassent, alius si-

sibi deberi invenit centum aureos, alius dentiscalpium. Sic in venditione aversarum tabularum, res sorti vel casui permittebatur, ut alius acciperet Parrhasii tabulam, alius cucurbitas a tirone pictas. Ita hunc locum explicat Gesnerus in Thes. L. L.. v. Sors.

Spem explere, i. e. spei satisfacere. Iustin. XXII. 8. *Carthaginem captam spes omnium expleturam.*

76. *Secundarium*, i. e. secundi et deterioris generis. Horat. II. Ep. 1. 123. *vivit siliquis et pane secundo.*

Biferas, i. e. decerptas ex ficu arbore, quae bis quotannis fructus ferebat. v. Columell. X. vs. 403. et Torrent. ad h. l.

Gustavimus, i. e. parce comedimus. v. Salmas. ad Vopisc. Tacit. 11.

Uva duracina est, quae duros habet acinos. v. Columell. III. 2. et Casaub. ad h. l.

Sabbatis. Augustus cum multis ethnicis falso credebat, Iudaeos sabbatis ieiunare, quod sabbata praecipua castimonia celebrarent, ut praeclare docet Casaub. ad h. l. a cuius sententia minus bene recessit Ernestus.

Bucea vel *buccea* est frustum, quantum bucca commode capere potest. Petron. 44. *nón hodie buceam panis invenire potui.* v. Casaub. ad h. l.

Inobservantia, est vox nova et ante Suetonium non usurpata. Oudendorpius praefert MSStorum nonnullorum lectionem *observantia*, quem videte.

77. *Invitare*, non solum est ad epulas vocare, sed etiam vino epulisque liberaliter hospites accipere. Hinc etiam qui libenter vescuntur, et largius bibunt, *se ipsos invitare* dicuntur. Plaut. Amphitr.

I. 1. 127. *Mira sunt, nisi invitavit sese in coena plusculum.* v. Graev. ad Iustin. I. 6.

Senos sextantes dicit pro sextario, sed significare vult, Augustum senis haustibus sextarium bibisse. Sic locum explicat Gesner. Th. L. L. v. Sextans.

Reiiciebat, i. e. evomebat. Frequens verbum apud Medicos. v. Burm. ad h. l.

Pro potione, i. e. loco potionis.

78. *Post cibum meridianum.* Veteres Romani, peractis negotiis maioris momenti, circa meridiem cibum sumebant, sed leviter: deinde meridiabantur; postea ad negotia levioris operae redibant. De quo more erudite disputat Casaub. ad h. l.

Retectis pedibus, Casaubonus exponit bene tectis. Sed melius est intelligere non tectos stragula veste. Nam *retegere* semper est aperire. Petron. 17. *retexit superbum pallio caput.* v. Oudend. ad h. l.

Conquiescebat, i. e. meridiabatur. Caesar de B. G. VII. 46. *ut meridie conquieverat.*

Lucubratoriam lecticulam. *Lecticula* idem est quod *lectulus.* In hac se componebant veteres meditationi aut scriptioni operam daturi. v. Cic. de Orat. III. 5. inprimis Casaubon. ad h. l. *Lucubrare* est aliquid facere ad lucernam.

Ad multam noctem, i. e. in seram noctem. Cic. ad Qu. Fr. II. 9. *multa nocte veni ad Pompeium.* Virgil. Georg. IV. 180. *At fessae multa referunt se nocte minores.* Sic etiam dicitur *multa dies*, *multa lux.* Caesar de B. G. I. 22. *multo die per exploratores cognovit.* Curt. IV. 13. *multa lex est.* v. Intt. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. V. 26.

Cum plurimum, i. e. ad summum. Liv XXXIII. 5. *trium, aut, cum plurimum, quatuor ramorum vallos caedit.*

Som-

Somnum producebat. Alibi dicit *extrahere* et *protrahere in serum.* v. Sup. 17. Ner. 22. et Duker. ad Liv. XXXVIII. 50.

Evigilandum. *Vigilare* est omnino non dormire: *evigilare*, e somno excitari. v. Claud. 33. Galb. 4. et Intt. ad h. l.

Contra commodum, i. e. contra valetudinem, ut recte exponit Casaub.

79. *Lenocinii*, i. e. ornatus adscititii. v. Calig. 39. Claud. 7.

Remollitum, i. e. mitigatum. Virgil. Aen. I. 57. *mollitque animos, et temperat iras.*

Deductiorem, Graevius explicat depressiorem: rectius Casaubonus tenuem, in acutum fere desinentem. Quae explicatio numis convenit.

In memoriam eius. Simplicissimum est legere: *in memoria eius*, i. e. in commentario de vita Augusti. Claud. 1. *etiam vitae memoriam composuit.* v. Intt. ad h. l.

Aequitate, i. e. iusta membrorum proportione, vel symmetria. Tib. 68. *ceteris membris usque ad imos pedes aequalis et congruens.* v. Gronov. Diatr. Stat. c. 61. p. 397.

80. *Genitivis notis*, i. e. signis, quae cum ipso parvulo nata sunt. *Notam naturalem* vocat Iustin. XV. 4. *ingenuum signum* Auson. in clar. urb. p. 231. ubi v. Scaliger.

Concretis, i. e. quae indurata coaluerant. Virgil. Aen. II. 277. *concretos sanguine crines.* Ovid. Met. XIV. 411. *Concreta sanguine barba.* v. Oudend. ad h. l.

Impetiginis, i. e. scabiei siceae. v. Cels. V. 28.

Non perinde, i. e. non aeque ac dextro. Liv. IV. 37. *non perinde patres moti sunt.* Tib. 52. *ne mortuo*

tuo quidem perinde affectus. In hac locutione semper supplenda sunt argumento convenientia. v. Duker. ad Liv. XXIII. 28.

Harenarum, nempe calidarum, quibus veteres medici utebantur ad siccandas corporis partes, fluxionesque discutiendas. v. Cels. IV. 22. et Intt. ad h. l.

Digitum salutarem; i. e. indicem pollici proximum. Sic interpretantur Torrent. ad h. l. et Reines. ad Hoffm. Ep. 25. p. 96.

81. *Expertus est*, i. e. sensit, passus est. Nepos Themistocl. 9. *me fortem inimicum expertus est.*

Tentabatur; affligebatur. Cic. ad Att. XI. 23. *te quodam valetudinis genere tentari.* ubi v. Corrad. Caesar de B. C. III. 2. *gravis autumnus omnem exercitum valetudine tentaverat.* Horat. II. Serm. 3. 163. *Quod latus aut renes morbo tententur acuto.* v. Burm. ad h. l. Saepe hoc verbum dicitur de principiis morborum, ut Vesp. 24. *tentatus motiunculis levibus.*

Quassato, i. e. valde concusso. Catull. XLIV. 14. *Hic me gravedo frigida, et frequens tussis Quassavit.*

82. *Pingui toga*; i. e. crassa. Iuvenal. IX. 28. *pingues aliquando lacernas, Munimenta togae.* Sic in Ner. 20. *pinguis coma* est densa.

Muniebatur. Corpora vestibus, aliisque velaminibus eleganter dicuntur *muniri.* Columell. I. 8. *familiam diligenter munitam a vento, frigore, pluvia.* v. Burm. ad Phaedr. II. 6. 1.

Peristylium est locus, qui a columnis undique ambientibus nomen habet. v. Cic. pro Dom. 44.

Ventilante, i. e. ventulum faciente flabello, quod e pennis inter se colligatis, vel e tabellis tenuioribus conficiebatur. Terent. Eun. III. 5. 46. *Cape hoc fla-*

flabellum, et ventulum huic sic facito. Hunc morem pulcherrime explicat Casaubon. ad h. l. cui addendus Heins. ad Ovid. A. A. I. 161.

Petasatus, i. e. petaso tectus. *Petasus* est tegumentum capitis, latos margines habens, quo Romani in itinere utebantur ad solem pluviamque arcendam. v. Cic. ad Div. XV. 17. et Lips. de Amphith. 19.

Lavandi, i. e. utendi balneo. Terent. Eun. III. 5. 47. *ventulum facito, dum lavamus.* v. Casaub. ad h. l.

Egelida, i. e. tepida, quae de gelu aliquid remiserit. Ovid. Amor. II. 11. 10. *Et gelidum Borean, egelidumque Notum.* v. Gesner. Thes. L. L.

Solium, est alveus lavandi-gratia institutus, quo singuli descendebant. v. Fest. v. Solla, et ibi Scalig.

Alternis, i. e. per vices. Plin. V. Ep. 18. *quae interdum alternis, interdum simul facio.* v. Bentlei. ad Horat. II. Ep. 2. 176.

83. *Exercitationes campestres*, i. e. militares in campo Martis, ubi iuvenes exercebantur decurrendo, saltando, hastilia iaciendo, equum agitando, arma tractando, etc. His olim centurio aliquis praeerat, postea magister, qui *campi doctor* dicebatur. v. Ner. 10. et Lips. de Mil. Rom. V. 14.

Pilam. Pilae ludus Romae frequentissimus, quo etiam puellae se exercebant. Ovid. A. A. III. 361. *Reticuloque pilae leves fundantur aperto.* ubi v. Burm.

Folliculus, est pila e corio facta, et vento inflata. v. Martial. XIV. Ep. 47. et P. Fabrum Agonist. I. 6.

Sestertio. Inepta lectio, pro qua princeps ICtorum, Iac. Cuiacius Obs. XIII. 13. verissime reponit *segestro.* Est autem *segestrum*, vel *segestre*, teges

e

e pilis caprarum contexta. v. Varron. de L. L. IV. p. 59. et Casaub. ad h. l.

Ocellatis, i. e. globulis vel lapideis, vel eburneis, qui ocellum referrent. v. Casaub. ad h. l.

Pueris minutis. Eos Latini *delicias* vocabant; de quibus erudite Casaub. ad h. l.

84. *Deficeretur*, i. e. destitueretur. Hoc verbum saepe in passivo dicitur. Caesar de B. C. III. 64. *cum viribus deficeretur*. Plin. II. Ep. 16. *etiamsi iure deficerentur*. v. Intt. ad h. l.

Nonnisi scriptos. Hic mos inductus a Caesare, usurpatus etiam sub Tiberio. v. Tacit. Ann. IV. 39. et ibi Lips.

Phonasco, i. e. vocis magistro. v. Voss. Inst. Orat. VI. 8.

85. *Summatim attigit*, i. e. leviter tractavit. Nepos. Att. 18. *Attigit quoque poëticen*. Cal. 43. *Militiam, resque bellicas semel attigit*.

In spongiam incubuisse. Verus Aiax incubuit in ferrum. Ad hoc alludens Augustus dixit: meus Aiax incubuit in spongiam, i. e. deletus est.

86. *Inconcinnitate*. Omnino legendum e libris antiquis, *concinnitate*, i. e. nimis exquisito sententiarum ornatu. v. Oudend. ad h. l.

Praepositiones urbibus addere. Ex Augusti epistola in Claud. 4. apparet, eum dixisse, *esse Romae*, non *in Roma*. Nec in locutionibus *Eo Romam*, *sum Romae*, ex omissa praepositione obscuritas existere potuit. Itaque praeferenda est aliorum Codd. lectio, *praepositiones verbis addere*. Nempe Augustus scribebat, e. g. *in amore insunt omnia*, *adeo ad illum*, *inscribo in lapide*. v. Burm. ad h. l.

Μυροβρεχεῖς *cinnini*, sunt capilli unguento delibuti et intorti. Per translationem *cincinni* dicuntur nimia et affectata orationis ornamenta. Cic. de Orat. III. 25. *in cincinnis oratoris aut poëtae offendi.*

Aucupanti, i. e. sectanti, studiose conquirenti. Cic. pro Sext. 55. *ut omni ex genere orationem aucuper.* Idem Orat. 25. *aucupium delectationis* vocat nimium studium auditoris delectandi. v. Gronov. ad Senec. Controv. III. p. 275.

Asiatici oratores, erant inflati, inanes, loquaces. v. Cic. Bruto 13 et 95. et Histor. Crit. Oratorum Gr. quam Rutilio Lupo praemisimus.

Moleste, i. e. nimio cum labore, ut studium appareat. Sic *molestia* dicitur, quicquid est nimium in aliquo genere. Cic. Brut. 38. *diligens sine molestia.*

87. *Contenti simus*, etc. Cato non hominis nomen, sed ipsius virtutis erat. Augustus igitur hoc dicebat, quando hominem mediocri virtute praeditum in Senatum legebat, vel Senatui aut tribubus commendabat. v. Casaub. ad h. l.

Baceolum. Recte viri docti scribunt *bacelum.* Nam βάκηλος Graece significat *stolidum* et *inertem.* v. Hesychium h. v. et ibi Intt.

Ceritus vel *cerritus* contracte dicitur pro *cereritus*, et proprie notat hominem in Cereris sacris fanatico furore correptum, deinde insanum, furiosum. v. Fest. h. v.

Vacerra, est stipes, cui religantur equi, deinde sumitur pro stulto et insano. Hinc *vacerrosus* eadem significatione. v. Fest. h. v. et ibi Scaliger.

Vapide. A *vappa*, i. e. vino corrupto et languido, est *vapidus*, languidus, malus. v. Pers. Sat. V. 117. VI. 17. et ibi Casaub.

Be-

Betizare, formatur a *beta*, herba languida. Catull. Carm. LXVIII. 21. *Languidior tenera cui pendens sicula beta.* ubi v. Scalig.

Versuum, i. e. linearum, ut hodie loquimur. v. Nepot. Epam. 4. et Salmas. Proleg. in Solin.

88. *Custodiit*, i. e. observavit. Petron. 102. *pervigil nocte siderum motus custodit.* Tib. 7. *ut custoditum sit, ne unquam posthac in conspectum eius veniret.*

89. *Praestabat largiter*, i. e. multum excellebat. *Largiter* est multum. Caesar de B. G. I. 18. *apud finitimas civitates largiter posse.*

Eruditione varia, i. e. philologia. In Calig. 53. simpliciter *eruditionem* vocat. Sic *eruditus* dicitur philologus. Cic. de Fin. I. 7. *Epicurus non satis politus his artibus, quas qui tenent eruditi appellantur.* v. Voss. de Art. Gramm. I. 6.

Eruditione repletus, i. e. copiose et largiter eruditus. Cic. de Orat. I. 42. *repleri iusta iuris civilis scientia.* Ceterum Oudendorpius totum hunc locum ita ex MSS. legendum esse docet: *Deinde eruditione, etiam varia, repletus est per Arei philosophi, filiorumque eius Dionysii et Nicanoris contubernium: non tamen* etc.

Non tamen, ut loqueretur. Elegans usus harum particularum. Liv. XXXV. 5. *dissipavit aciem Gallorum, non tamen, ut terga darent.* Eodem fere modo Terent. Hecyr. III. 4. 33. *Quod potero, faciam tamen, ut pietatem colam.*

Formabat, i. e. componebat. Domit. 20. *epistolas alieno ingenio formabat.*

Comoedia veteri. Graecorum comoedia distinguitur in veterem, mediam, et novam. Veteris tanta fuit licentia, ut principes etiam viros suis nominibus in-

induceret et perstringeret. Eius comoediae principes fuerunt Aristophanes, Eupolis, Cratinus. v. Horat. I. Serm. 4. 1.

Sectabatur. Burmannus perperam legit *spectabat.* Nam *sectari* est studiose quaerere, metaphora ducta a venatione. Sup. 21. *minima commoda non minimo sectantes periculo.* de Rhet. 6. *nec alium in ulla caussa sectatur locum, quam perorandi.* v. Oudend. ad h. l.

Ingenia, i. e. viros doctos. Vesp. 18. *ingenia et artes vel maxime fovit.*

Commissionibus, i. e. certaminibus poëtarum, oratorum, historicorum. v. Casaub. ad h. l. et notata ad cap. 45.

Obsolefieri, i. e. vilescere, in contemtum adduci. Seneca Ep. 29. *auctoritas minus obsolefacta.* Proprie hoc verbum dicitur de hortis, qui herbis supercrescentibus obducti, pristinum honorem amittunt.

90. *Religiones*, i. e. meticulosam observationem eorum, quae a Diis per prodigia, ostenta et omina praedici creduntur. Liv. XXX. 2. *novas religiones excitabant in animis hominum prodigia.* ubi v. Duker.

Infirmius, exquisite dicitur pro meticulosius. Horat. I. Serm. 9. 71. *Nulla mihi, inquam, Relligio est: At mihi: sum paullo infirmior.* Sic *infirmitas animi* pro timore apud Cic. pro Rosc. Am. 4.

91. *Somnio monitus.* Propria locutio, quae centies occurrit in Inscriptionibus antiquis. v. Broukhus. ad Tibull. III. 4. 11.

Ex nocturno visu, i. e. somnio monitus. Iustin. I. 7. *quem iuxta nocturnum visum ergastulo libe-*

ra-

ruerat. Tacit. Ann. XII. 13. *deus nocturno visu demonstrat.*

Stipem emendicabat. Augustus mendici personam semel quotannis suscepit, ut Nemesin vel Invidiam Deorum, quae nimiae felicitati invidere credebatur, placaret: quem morem pulcre illustrat Casaub. ad h. l.

Cavam manum praebens. Hic est gestus pecuniam flagitantium. Tibull. II. 4. 14. *Illa cava pretium flagitatusque manu.* Vesp. 23. *cavam manum ostentans, et paratam basim dicens,* v. Casaub. ad h. l.

92. *Induceretur, Inducere* saepe dicitur pro induere. Virgil. Aen. II. 579. *manibusque inducere caestus.* Columella VI. 12. *solea spartea pes inducitur.* Claud. 8. *solebant manibus stertentis socci induci,* v. Intt. ad h. l.

Rorare, et active et neutraliter dicitur, v. Sanct. Min. III. 3. p. 375. et ibi Perizon.

Enatam. Veteres in tali re *enasci* potius dicebant, quam *nasci.* Liv. XLII. 2. *Priverni lana pulla terra enata.* Inf. 94. *ex ea arbore continuo enata soboles.* v. Duker. ad Liv. Ep. XXXII.

Compluvium sive *impluvium,* est locus subdivalis in mediis aedibus, in quem aqua de tectis confluit. v. Ascon. ad Cic. Act. I. in Verr. 23. Hic Dii penates colebantur, sicut Lares ad focum in atrio, v. Ernest. Clav. Cic. v. Ara, Impluvium, Lar.

Coalescere, proprie dicuntur arbores et plantae, quae radicibus adhaerescunt terrae, nec convelli possunt. Sallust. Iug. 93. *grandis ilex coaluerat inter saxa.* Ovid. A. A. II. 649. *Dum novus in viridi coalescit cortice ramus.* v. Oudend. ad Obsequ. 103. Translate Tacit. Ann. XIII. 26. *coalitam libertate*

irreverentiam, i. e. confirmatam et auctam, ut bene explicat Ernestus.

Apud insulam, i. e. in insula. Duker. ad Liv. Ep. CXI.

Convaluisse, i. e. pristinum vigorem recepisse.

Nonis. Scilicet haec vox monere videbatur, *ne eas*. Talis δυσφημία, sive infausta appellatio, est in *Cauneas*, quasi esset *cave ne eas*. v. Plin. H. N. XVI. 9. et Intt. ad h. l.

93. *Peregrinarum cerimoniarum*. De hoc Genitivo partitivo diximus sup. ad cap. 48.

Initiatus, i. e. ad mysteria Cereris Eleusinis admissus. Haec arcana sacra *initia* vocantur, tanquam a Cicerone de Legg. II. 14. quia veteres credebant, homines illis ad veram virtutem, et ad eum statum perduci, in quo animi fuerint, antequam in corpus venissent. v. Casaubon. Exerc. ad Baron. XVI. 43.

Consilio, i. e. consiliariis, sive assessoribus in tribunali. v. Tib. 18. Domit. 8. et Perizon. Diss. de Praetorio p. 718.

Visere, saepe dicitur pro primitivo *videre*, inprimis de rebus raris et spectatu dignis. Liv. I. 31. *missis ad id visendum prodigium*. ubi v. Drakenb.

Deflectere supersedit, i. e. omisit. Curt. V. 6. *Rex castigare territos supersedit*. v. Drakenb. ad Liv. VII. 27.

94. *Tacta de coelo*, i. e. fulmine icta. Sic veteres in hac re loquuntur. Virgil. Ecl. I. 17. *De coelo tactas memini praedicere quercus*. Liv. XXVI. 23. *murum portasque de coelo tactas*. ubi plura Drakenb. Domit. 15. *tactum de coelo Capitolium*.

Ad aerarium deferretur. Hic locus etsi non expressa, tamen satis certa significatione ostendit, SCta non rata fuisse, atque pro infectis habita ante, quam

ad

ad aerarium delata fuissent. Interea *auctoritates* dicebantur, non *SCta.* v. Tacit. Ann. III, 51. et Maxiut. de Senat. Rom. cap. 10.

Dum ceterae matronae dormirent. Probabilis est Cl. Ernesti coniectura: *dum ceterae matronae convenirent. Dum* cum subiunctivo significat *donec* vel *quamdiu.* Sup. 78. *dum per vicos deportaretur.* v. Oudend. ad h. l.

Purificasse se, i. e. ut Persius ait II. 16. *noctem in flumine purgasse*, ne sacra pollueret. Romani, sive ab uxoris geniali lecto prodirent, sive ab impura venere, templa non prius adibant, quam corpus lavassent. v. Casaub. ad Lamprid. pag. 92. et Heins. ad Ovid. A. A. III. 95.

Exigi, exquisite dicitur pro tolli, deleri, aboleri, Plaut. Captiv. IV. 2, 61. *Ex corpore exigam omnes maculas.* Ovid. A. A. II. 653. *Exigit ipse dies omnes e corpore mendas.* v. Gronov. Obs. I. 18. et Intt. ad h. l.

Explicari, i. e. extendi. Apud historicos frequens est *explicare ordines*, *agmen*, *aciem*. etc. v. Gronov. ad Liv. II. 46.

Secreta Thraciae, i. e. interiora Thraciae. Tacit. de M. G. 41. *Pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur.* Minus recte hunc locum explicat Burmannus.

Tantum flammae emicuisset. Flammae emicantis felix omen erat. Virgil. Georg. IV. 385. *Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.* v. Tib. 14. et Torr. ad h. l.

Videre visus est, i. e. somniavit. Calig. 50. *pelagi speciem colloquentem secum videre visus est.*

Mortali specie ampliorem. Dii semper dicuntur maiores hominibus. Claud. 1. *species barbarae mulie-*

lieris, *humana amplior.* Ner. 1. *iuvenes gemini*, *augustiore forma.* v. Duker. ad Liv. VIII. 9.

Exuviae dicuntur, quicquid exuitur. v. Virgil. Aen. IV. 496. et ibi Serv. Sed propria ratione sic dicuntur vestes et ornamenta Iovis, aliorumque Deorum, v. Fest. v. Tensa, et Salmas. ad Tertull. Pall. p. 361.

Radiata corona, radiis distincta, ut Florus vocat IV. 2. 91. ubi v. Intt. Haec corona divinitatis et consecrationis principum nota erat.

Laureatum currum. Melior est altera lectio, *deauratum currum.* Nam currus triumphalis non laureatus erat, sed auratus. v. Intt. ad h. l.

Equis candore eximio, i. e. niveis, qui Iovi Solique proprii erant. v. Liv. V. 23. 28. Candidis equis semel libera rep. Camillus triumphavit, quem nemo imitari ausus est, ob magnam invidiam inde Camillo conflatam. Sed Caesarum tempore multi albis equis triumpharunt. v. Broukh. ad Tibull. I. 8. 8. et Oudend. ad h. l.

Volasset. Scribendum e libris antiquis, *evolasset*: quod verbum proprie dicitur de avibus, altum petentibus. Manil. V. 361. *Plumeus in coelum nitidis olor evolat alis.* Ovid. A. A. II. 19. *Et levis est, et habet geminas, quibus evolet, alas.* v. Oudend. ad h. l.

Delapsa. *Labi* et *delabi* proprie dicuntur de volatu avium. Cic. de N. D. II. 59. *qui volucrum lapsus atque cantus?* Virgil. Aen. IV. 223. *et labere pennis.*

Signum reipublicae, publicum sigillum, quo diplomata et quaecunque alia reip. nomine signabantur. Figura signi erat *Dea Roma.* v. Casaub. ad h. l.

Cum

Cum incognitum haberet, i. e. cum non nosset. Qui frequens est usus verbi cum participio passivo. Liv. XXXVIII. 1. *si popularium animos satis perspectos haberet.* v. Duker. ad Domit. 22.

Alias, hic pro alioqui dicitur contra aureae aetatis consuetudinem, quae semper ponit pro alio tempore. Pro *alioquin* etiam est ap. Curt. IV. 6. *alias virtutis etiam in hoste mirator.* v. Graev. et Oudend. ad Tib. 71.

Quasi, hic non minuentis est, sed indicantis. Tib. 11. *increbescente rumore, quasi ad occasionem maioris spei commoraretur.* v. Manut. ad Cic. ad Div. I. 9.

Osculum, delibatum digitis, ad os suum retulisset, i. e. prehensum *leniter digitis parvum os pueri, ori suo admovisset.* Ita hic locus explicandus. Nam Torrentii et Casauboni interpretationes alienae sunt, quas refellit Salmas. ad Vopisc. Prob. 23. Sueton. Galb. 4. *Augustum puero adhuc, salutanti se inter aequales, apprehensa buccula, dixisse.* Apulei. Met. VI. p. 123. *Iupiter, prehensa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consaviat.*

Pristinae noctis, i. e. proxime praecedentis. Curt. VIII. 4. *proximus dies procellosus et tristis, obscurior tamen pristino.* v. Burm. ad h. l.

Facie liberali, i. e. honesta et pulcra, qualis solet esse in hominibus liberis, non in servis. Terent. Eun. IV. 4. 15. *ille erat honesta facie et liberali.*

Secundum quietem, i. e. in quiete. Cic. de Divin. I. 24. *ei secundum quietem visam esse Iunonem praedicere.*

Tunica lati clavi. Graevius legere malit, *tunica laticlavia.* Sed Genitivus defenditur consuetudine Grae-

Graecorum, genitivum pro adiectivo ponentium, quam Latini aliquando imitantur. Iuvenal. Sat. II. 156. *bellorum animae* pro animae bellicosae. Seneca Med. 396. *vultus furoris* pro vultus furiosus. Calig. 17. *fasciae purpurae ac conchylii.* De hoc genitivo accurate disputat Oudend. ad h. l.

Resuta, i. e. soluta fibulis, quibus constringebatur. v. Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 46.

Arborem palmae. De hoc modo loquendi v. Perizon. ad Sanct. Min. II. 3. p. 176. Ceterum nota est veterum superstitio ex rebus fortuitis omina capiendi. Sic inf. 96. Augustus omen cepit ex nomine aselli Nicon, et asinarii Eutychus. vid. Markl. ad Stat. Silv. III. 1. 149.

Matrix sive *mater* dicitur arbor, e qua stolones succrescunt. v. Virgil. Georg. II. 18. et Rutgers. Var. Lect. IV. 16.

Mathematicorum nomen iis quoque tributum est, qui ex astrorum positu natalitio futura praedicerent; astrologis, genethliacis. Tib. 36. Cal. 57.

Pergula, est tabulatum, quod ex aedibus prominet. v. de Gramm. 18. et Salmas. ad Vopisc. Saturn. 10.

Genitura, est momentum temporis, quo quis natus est. v. Cal. 57. *genesis* dicitur Vesp. 14. v. Gronov. ad Virgil. Vitam p. 2.

Thema, est positus astrorum eo momento temporis, quo quis nasceretur. v. Tacit. Ann. VI. 21.

95. *Serenum*, proprie est adiectivum, in quo intelligitur *coelum*. Virgil. Georg. I. 486. *Non alias coelo ceciderunt plura sereno Fulgura.* Sed saepe substantive sumitur, ut h. l. Liv. XXXI. 12. *Priverni sereno per diem totum rubrum solem fuisse.*

Lu-

Lucan. I. 530. *Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno.* v. Bentl. ad Horat. I. Carm. 34. 7.

Ad, i. e. instar.

Subinde, saepe ponitur pro deinde. Galb. 1. *subinde tacta de coelo Caesarum aede.* v. Intt. ad Petron. 34.

Primo consulatu augurium capienti. Auspicabantur non magistratus, ut Casaubonus putat, sed magistratum ineuntes, ut demonstrat H. Vales. ad Exc. Peiresc. p. 83.

Parere, antiqui dicebant pro apparere. Antiquorum imitator, Apuleius Met. I. p. 11. *ubi iste iugulatus mane paruerit.* Forensis formula erat, *si paret.* v. Manut. ad Cic. pro Rosc. Com. 4. et Oudend. ad h. l.

96. *Afflixit*, i. e. humi prostravit, sive, ut ipse Suetonius explicat, *ad terram dedit.* Domit. 23. *ut imagines detrahi et solo affligi iuberet.* v. Gronov. Obs. IV. 8.

Ad terram dedit, i. e. in terram coniecit. Liv. XXXI. 37. *ruente equo, praeceps ad terram datus est.* ubi v. Drakenb. Flor. IV. 12. 9. *arma in profluentes data.*

In Philippis. Additur praepositio *in*, quae plerumque omitti solet ante nomina urbium. v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 6. p. 667. *in* h. l. est apud, ut saepe aliis locis.

Constitit inter haruspices, i. e. haruspices summo consensu pronunciarunt. Nepos Alcib. 1. *Constat inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt.*

Cuncta in illos recasura. Liv. XXXVI. 29. *prava consilia in ipsorum caput recidentia.*

Descendenti in aciem. Ratio huius locutionis haec est, quod pugnaturi ex locis altioribus se demittebant

bant in inferiora. v. Drakenb. ad Liv. III. 48. et Toup. ad Suid. T. I. p. 92.

97. *Cum lustrum* etc., i. e. cum censu peracto frequentem populum suovetaurilibus lustraret, expiaret. Nam. census finiebatur sacrificio lustrali, quod fiebat ex sue, ove et tauro, et in campo Martio per totum armatum populum circumferebatur. v. Liv. I. 44. et ibi Gronov. Hoc sacrificium quoniam quinto quoque anno celebrabatur, *lustrum* significare coepit tempus quinquennale. v. Varron. de L. L. V. p. 46. *Condere* autem in hac locutione notat finire. v. Bentlei. ad Horat. II. Carm. 3. 24.

Vota nuncupare, est verbis conceptis et sollemnibus pronuntiare. Censores autem in lustris condendis solebant vota facere pro aeternitate imperii Romani. v. Valer. Max. IV. 1. 10. Fest. v. Vota nuncupata, et Lips. ad Tacit. Ann. XVI. 22. Exc. B.

Tabulis. Vota tabulis mandari solebant, ut illorum memoria extaret, et obsignata Deorum statuis affigi: unde *signari vota* dicuntur a Plinio X. Ep. 44. v. Rutgers. Var. Lect. V. 5. et Swarz. ad Plin. Paneg. 67.

Effluxit, i. e. excussa est, excidit. Ovid. Met. VI. 670. *neque adhuc de pectore caedis Effluxere notae.*

Non, si omnia morarentur. *Non* eleganter ponitur ante *si*. Terent. Eun. I. 1. 5. *non, si me obsecret.* Cic. ad Div. XI. 10. *Non, si Varronis thesauros haberem, subsistere sumtui possem.* Quibus locis *si* est etsi, etiamsi. v. Gronov. de P. V. IV. 4. et Drakenb. ad Liv. V. 51.

Evectus est. scil. in altum, quod plerumque additur. Liv. XXXVII. 23. *Eudamus in altum evehitur.* ubi v. Drakenb.

98. *Remittere animum*, est curis solvere, transla-

latione ducta a nervo arcus laxato. Tib. 21. *remissiores hilarioresque sermones.* Claud. 13. *remisse vel serio quid agere.*

Appulerat. scil. *se.* Hoc verbum variis modis construitur, intercedente ellipsi. v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. p. 609.

Per illum navigare. Nam mare pacaverat a praedonibus. v. Casaub. ad h. l. et Broukh. ad Propert. III. 9. 72.

Non alio, i. e. non in aliam rem. Liv. VII. 14. *non alio, quam ad serviendum nata.* Sic *nullo* pro nulla re. Iustin. V. 1. *Initiorum sacra nullo magis, quam silentio, sollemnia.* v. Duker. ad Flor. III. 10. p. 523. et Intt. ad h. l.

Alexandrinarum mercium. Cuiusmodi erant aromata, papirus, chartae, lina, etc. v. Casaub. ad h. l.

Lege proposita, i. e. conditione, ut centies. v. Casaub. Exerc. IX. ad Baron. cap. 2.

Diripiendi pomorum, pro poma. Gerundiis in *di* antiquo more iungitur Genitivus. Varro de R. R. II. 1. *principium generandi animalium.* Terent. Heaut. prol. 29. *novarum qui spectandi copiam faciunt.* Cic. de Inv. II. 2. *fuit exemplorum eligendi potestas.* v. Casaub. ad h. l; Voss. de Construct. 53. et Gronov. ad Gell. IV. 15.

Poma, dicuntur fructus omnium arborum, ut apud Graecos μῆλα. v. L. 201. D. de V. S. et Graev. Lect. Hesiod. 3. p. 16.

Delictus puer idem est, qui *delicatus.* Claud. 29. *in concubitu dilecti adolescentuli.* Lactant. Epit. 8. *Apollo dilectum puerum cum peremisset imprudens.* v. Burm. ad h. l.

Luminibus frequentari. Consuetudo veterum cereos ponendi in tumulis, postea ad martyrum honorem

rem translata est a Christianis. v. Casaub. ad h. l. et Magium Miscell. IV. 19.

In iocos effusus est, i. e. valde est iocatus. Liv. XXV. 20. *milites in licentiam socordiamque effusos.* ubi v. Drakenb. Calig. 52. *subito effusus in cachinnos.* Apulei. Met. II. p. 140. *convivium totum in licentiosos cachinnos effunditur.* ubi v. Oud. Eodem modo dicitur, *effundi in lacrimas, questus, gemitus*, etc.

Quinquennale certamen. De quo v. Lips. ad Tacit. Ann. XIV. 20.

Perspectavit, i. e. ad finem usque spectavit. Domit. 4. *navales pugnas inter maximos imbres perspectavit.* v. Swarz. ad Plin. Paneg. 63.

Succubuit, i. e. victus est. Nepos Themist. 5. *Europae succubuit Asia.* Hamilc. 1. *succumbente patria.*

Animum accommodavit, i. e. adhibuit. Cic. de Offic. III. 10. *ut orandae liti tempus accommodet.*

99. *Malas labentes*, i. e. collapsas, deficientes. *Lapsas genas* dixit Seneca Hippol. 364. ubi v. Gronov. *pendulas genas* Plin. H. N. XIV. 22. v. Oudend. ad h. l.

Corrigi, i. e. in pristinum statum reponi. Plin. H. N. VII. 20. *Miloni malum tenenti nemo digitum corrigebat.* v. Casaub. ad h. l.

Mimum vitae. Vita humana saepe fabulae scenicae comparatur. Cic. de Senect. 18. *ii mihi videntur fabulam aetatis peregisse, nec, tanquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse.* v. Casaub. ad h. l.

Clausula est, cum histriones in extrema fabula a spectatoribus postulant, ut plaudant. v. Horat. de A. P. 155. et Casaub. ad h. l.

De-

Defecit, i. e. mortuus est. Claud. 44. *excruciatum doloribus, defecisse prope lucem.*

Εὐθανασία, est mors cita et sine ullo cruciatu, ut ipse Suetonius explicat. v. Casaub. ad h. l. et Bergerum singulari de εὐθανασίᾳ oratione inter Orat. lect. p. 677.

Enim et, per traiectionem dicitur pro etenim. Minus bene Burmannus *et* explicat etiam. Latini in hac traiectione imitantur Graecos. v. Abresch. Diluc. Thucyd. p. 107.

Alienatae mentis, i. e. non sentientis, quid ageretur.

Iuvenibus, i. e. militibus. Flor. II. 2. 21. *cum magnam vim iuventutis cepisset.* ubi v. Graev.

100. *Funus ducere*, propria est locutio de pompa funebri. Virgil. Georg. IV. 256. *et tristia funera ducunt.* ubi v. Serv.

Naenia, est carmen funebre, quod vel a propinquis, vel si propinqui nulli essent, a mulieribus aere conductis, quas *praeficas* vocabant, cantabatur. v. Fest. in h. v. et Kirchman. de Funer. II. 6.

Ponendos annulos. Veteres non solum annulos, sed omnia ornamenta sua in luctu ponebant. v. Kirchman. de Funer. II. 17.

Legenda ossa. Corpore in cineres redacto, ossa colligebantur, et in urna condebantur, quod proprie dicebatur *ossilegium.* Erat autem officium proximorum et carissimorum. Patris sui ossa se legisse dicit Propert. IV. 1. 127. sua legi vult a Cynthia, I. 17. 12. vid. Broukhus. ad Tibull. I. 3. 6.

Seculum, i. e. spatium vitae. v. Serv. ad Aen. VIII. 508.

Bifariam, i. e. duobus locis. Sic *plurifariam*, plurimis in locis, Tiber. 43. ubi v. Burmann.

Pro rostris veteribus. Duplicia *rostra* hoc tempore Romae erant, *vetera*, in foro, ante curiam Hostiliam: *nova*, et ipsa in foro sita, sed ad aedem D. Iulii. Pro novis Augustum laudabat Tiberius, pro veteribus Drusus. v. Dion. Cass. LVI. p. 592. Swarz. ad Plin. Paneg. 65. et Intt. ad h. l.

Tunicati, i. e. induti tunicis. Nam togae in luctu deponebantur. v. P. Fabrum Semestr. II. 10.

Discincti. Hoc etiam fiebat ex more. Tibull. III. 2. 17. *ossa Incinctae nigra candida veste legant.* v. Casaub. ad h. l.

Pedibus nudis. Veteres plerosque religionis ritus, reverentiae caussa, nudis pedibus obire solebant. Ovid. Fast. VI. 397. *Huc pede matronam nudo descendere vidi.* v. Casaub. ad h. l.

101. *Duobus codicibus.* Unum tantum testamentum fuit, quod quia longius erat, Augustus in duobus codicibus scripsit. v. Intt. ad h. l.

Repraesentare, est aliquid statim praesens exhibere, etiam citius quam debeas. Cic. ad Att. XVI. 2. *quorum animi incenduntur ad repraesentandam improbitatem.* Caesar de B. G. I. 40. *se quod in longiorem diem collocaturus esset, repraesentaturum.* v. Ernest. Clav. Cic. h. v. et Swarz. ad Plin. Paneg. 25. In re pecuniaria *repraesentare* est statim solvere, sive ante diem solvere. Cic. ad Att. XII. 25. *dum a Fabia repraesentabimus.* Frontin. I. 11. 2. *ut repraesentari merces proditoribus posset.* v. Gronov. de P. V. I. 6.

Confiscatam, i. e. in fiscis conditam et servatam: quae propria verbi notio est. v. Intt. ad h. l.

Produxit, i. e. extendit. v. Burm. ad h. l.

Annuum diem finiit, i. e. anno elapso solvi iussit, adeoque una pensione omnem solvi voluit. *Fini-*

ni-

nire dicitur pro definire. Liv. XXXV. 6. *diem finiri placuit.* ubi v. Intt.

De tribus voluminibus. Praepositio *de* elegantius abest a libris MSS. Nam veterum mos est, tam totum, quam partes eodem casu ponere. Liv. XXIV. 20. *Consules, Marcellus retro, unde venerat, Nolam rediit, Fabius* etc. Vesp. 6. *Ceteros, alium alia de caussa improbabant.* v. Oudend. ad h. l.

Residua, i. e. quae restant, quae supersunt. v. Brisson. de V. S.

TIBERIUS.

1. *Consorte Romuli*, i. e. qui eodem iure regnum obtinebat, quo Romulus, collega. Sic Remus *consors Romuli* dicitur a Tibullo II. 5. 24.

Fortis. Sabinum *Nero* ortum videtur ex Graeco Νεύρων. v. Casaub. ad h. l.

2. *Secus*, i. e. perperam, prave, cui opponitur *bene.* Sallust. Iug. 20. *tentatum antea bellum secus cesserat.* Cic. ad Div. III. 6. *iniquis secus existimandi videris nonnihil loci dedisse.* Tit. 5. *qui secus interpretarentur.* v. Casaub. ad h. l. et Intt. ad Liv. VII. 6.

Admissa, i. e. facta. Saepe in malam partem sumitur, ut apud Ovid. Ep. VII. 104.

Fretum, per eminentiam dicitur pro freto Siculo. v. Cic. ad Att. II. 1. et ibi Intt. *Fretense mare* vocat Cicero ad Att. X. 7.

Claudius Appius. Praenomen *Appius* postponitur nomini *Claudius.* Sic apud alios *Manlius Cnaeus*,

Cato Marcus, *Vinicius Publius*, etc. v. Intt. ad Liv. III. 1. et quae notavimus ad Vellei. II. 26.

Pascere, proprie notat alere, estque dominorum, qui armenta alunt. Sed interdum neutraliter dicitur, ut h. l. v. Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. p. 301.

Matris Deum Idaeae, i. e. Cybeles vel Cybebes, quae etiam dicitur *magna mater*, *mater Dea*, et simpliciter *mater*. v. Lucret. II. 598. Serv. ad Aen. XII. 116. et Oudend. ad Obsequ. 104. A locis, in quibus colebatur, dicitur *Idaea*, *Phrygia*, *Dindymene*, *Berecynthia*, *Pessinuntia*, *Mygdonia*.

Ita — si, in precationibus ponuntur pro *ita*, *ut*. Claud. 25. *amicitiam ita demum pollicentis*, *si consanguineos immunes praestitisset*. v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 7. p. 692.

Capitis reus. *Caput* saepe dicitur pro hominis statu, libertatis et civitatis iure, atque adeo vita. *Capitis reus* est, qui in iudicium publicum vocatus est, quo condemnatus vel libertatem, vel civitatem amittit, aut vitam adeo perdit. De hac capitis significatione v. Ernest. Clav. Cic. v. Caput.

Sustinuerit, i. e. in animum induxerit. v. Caes. 74. et 75.

3. *Insertus est familiae*, i. e. per adoptionem adscitus est in familiam. Metaphora elegans ducta est ab insitione, cum trunco arboris sylvestris vel sterilis fisso inseritur surculus arboris felicis vel frugiferae. Ovid. Rem. Am. 195. *Venerit insitio: fac ramum ramus adoptet*. v. Intt. ad Ovid. Met. XIII. 33.

Levitatis nomine, i. e. ob, propter levitatem. *Levitas* est inconstantia, cui opponitur *gravitas*, i. e. constantia et aequabilitas agendi.

Cominus, i. e. manu pugnando. Ovid. Met. III. 119.

119. *de fratribus unum Cominus ense ferit.* v. Duker. ad Flor. II. 6. p. 302.

Invenit, i. e. accepit. Iustin. XII. 8. *cum veniam ab hoste invenisset.* ubi plura Graevius.

4. *Ad victoriam contulit*, i. e. victoriam adiuvit. Plin. H. N. XXXV. 10. *Picturae plura, quam ceteri omnes contulit.* Flor. praef. §. 3. *nonnihil ad admirationem principis populi collaturus.*

Abolitionem facti, i. e. quam Graeca voce amnestiam dicimus. Alii vocant *oblivionem.* v. Claud. 11. et Ernest. ad h. l.

Ad pileum, i. e. ad libertatem. Nam *pileus* libertatis insigne erat, et servis manumissis imponebatur. v. Plaut. Amph. I. 1. 306. Liv. XLV. 44. Nerone mortuo, tantum gaudium fuit, *ut plebs pileata tota urbe discurreret.* Nempe significare volebant, se tum demum libertatem adeptos esse. v. Sueton. Ner. 57.

Fascium] *usu prohibitum.* Quia praeturae annus elapsus erat. Alii tamen provinciarum praefecti Senatoribus, qui in provincias suas venissent, ultro lictores dare solebant. v. Cic. ad Div. XII. 21. et Casaub. ad h. l.

5. *Publicatum*, i. e. publice dedicatum. v. Aug. 29.

Certiores, i. e. quibus tuto fidere possis. Nepos Pausan. 2. *certum hominem ad eum mittas.* v. Cic. ad Div. I. 7. ibique Intt.

6. *Laboriosus*, idem est quod *exercitus*, sive molestiis plenus. Plin. Paneg. 86. *quantum tibi pro laboriosa illa statione et exercita debeamus.* ubi v. Swarz.

Exercitam, i. e. vexatam, fatigatam multis laboribus. Virgil. Aen. III. 182. *Nate, Iliacis exercite fatis.* ubi v. Serv. Ovid. Trist. V. 5. 48. *adversis*

 pra-

probitas exercita rebus. v. Gronov. Observ. IV. 4. et Intt. ad h. l.

Demandare, est concredere. Iustin. II. 12. *coniuges abditis insulis demandant.*

Chlamys, vestis militaris, pueris quoque ad faustum militiae omen donabatur. v. Virgil. Aen. III. 484. et Torrent. ad h. l.

Sinisteriore, pro sinistro. Nam comparativi saepe pro positivis ponuntur. Claud. 7. *dexteriore humero.* v. Perizon. ad Sanct. Min. I. 11. p. 76.

Funalis equus, est exterior, *iugalis*, interior ad iugum et temonem. v. Intt. ad h. l.

Praesedit. E Dione constat, ipsum Augustum his ludis praesedisse. Ergo *praesidere* h. l. significat, in loco honoratiore, tanquam podio, sedere. v. Ernest. ad h. l. et ad Tacit. Ann. III. 33. XII. 37.

7. *Rudiariis*, i. e. gladiatoribus rudi donatis, et ex arena dimissis. Nam rudi, sive gladio ligneo donabantur gladiatores, qui e ludo mitterentur, tanquam signo libertatis. v. Cic. Phil. II. 29. Sueton. Claud. 21. et Lips. Saturn. I. 15. II. 23.

Auctoramentum, est merces *auctorati*, sive eius, qui se sponte in servitutem addicit, inprimis ad gladium. Nomen inde ductum, quod ipse fit auctor libertatis amittendae. v. Cic. de Offic. I. 42. Horat. II. Serm. 7. 29. et Lips. Saturn. II. 5.

Convenientem, i. e. moribus et amore coniunctam. Terent. Andr. IV. 2. 13. *Hanc mihi expetivi: contigit, conveniunt mores.* Ovid. Rem. Am. 470. *bene convenit illis.* v. Heins. ad Ovid. Ep. V. 77. et Broukh. ad Propert. III. 23. 28.

Teneretur, i. e. ita caperetur, vix ut ab ea abstrahi posset. Terent. Hecyr. III. 3. 44. *etsi amor me graviter, consuetudoque eius tenet.* Iustin. XII. 4. *si qua-*

quarum captivarum consuetudine tenerentur. v. Graev. ad Cic. ad Div. V. 12.

Contentis, i. e. intentis. Poëta vetus ap. Non. Marc. p. 518. *contendit oculos.* Propert. I. 3. 19. *Sed sic intentis haerebam fixus ocellis.* v. Bentl. ad Horat. I. Ep. 1. 28. et Intt. ad h. l.

Tumentibus oculis, i. e. qui obortis quidem, sed nondum effusis lacrimis turgent. Tibull. I. 9. 72. *Et tua iam fletu lumina fessa tument.* Ovid. Amor. III. 6. 79. *et vestem tumidis praetendit ocellis.* ubi v. Intt.

Dissedit, i. e. rixas cum ea habuit, fuit inter illos *dissidium*, non *discidium.* Nam bene tenendum est discrimen inter haec vocabula. *Dissidium* est dissensio, quae fit sola voluntate et sententia. *Discidium* est disiunctio et separatio, quae fit tum animis, tum corporibus. Unde ponitur pro divortio, ut apud Cic. ad Att. XV. 29. Hoc discrimen primus demonstravit summus ille Gronov. ad Liv. XXV. 28. quem secuti sunt Broukhus. ad Propert. II. 19. 16. et Oudend. ad h. l.

Intercepto, nempe morte. Plin. X. Ep. 50. *intercepto rege mortalitate.* v. Gronov. Obs. III. 9.

8. *Civilium officiorum rudimentis*, i. e. cum primum inciperet caussas agere.

Condemnavit, i. e. effecit, ut condemnaretur. Nam non modo iudex, sed etiam accusator, et actor caussae privatae dicitur *condemnare.* Plaut. Mostell. V. 1. 50. *Tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo facilius.* Sueton. Vitell. 2. *inimicum eius accusavit condemnavitque.* v. Ernest. ad h. l. Respondet Medio verbi Graeci *καταδικάσασθαι.*

Artior annona, i. e. carior, sive *angustior*, ut alibi dicitur. Claud. 19. *artiore annona ob assiduas*

 ste-

sterilitates. Galb. 7. *artissima annona residuum cibariorum vendidisse*. Omnes res, quae in difficultate et periculo sunt, *artae* dicuntur. v. Flor. II. 6. 51. et ibi Duker. *Artae annonae* opponitur *laxa*. Liv. II. 52. *ubi cum pace laxior annona rediit*.

Sacramenti, scil. militaris. v. Caes. 42.

9. *Restituit*. Hoc si proprie capias, falsum est. Sed *restituere* aliquando dicitur pro *dare*, inprimis cadente Latinitate. v. Ernest. ad Tacit. Ann. II. 3.

Traiecit in Galliam. De hac gentium translatione v. Lips. de Magn. Rom. I. 17.

Ovans et curru. De Dalmatis et Pannoniis equo ovavit: de Germanis curru triumphavit. v. Vellei. Pat. II. 96. 97. et Oudend. ad h. l.

Maturius, quam per leges licebat.

10. *Assiduitatis*, i. e. diuturnae et perpetuae praesentiae, ex qua contemtus oriri solet. Cic. pro Plancio 27. *valuit assiduitate*. Liv. XXXV. 10. *alter assiduus in oculis hominum fuerat; quae res minus verendos magnos homines ipsa satietate facit*. v. Gronov. de P. V. IV. 9. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Obtrectare, proprie dicitur de iis, qui aemuli sunt in republica. inf. 52. *Germanico obtrectavit*. Nepos Aristid. 1. *cum Themistocle de principatu contendit. Namque obtrectarunt inter se*. ubi v. Lambin. Inf. cap. 11. vocat *aemulationem*.

Praetendens, i. e. praetextu utens. Inf. 40. *quam caussam profectionis praetenderat*.

Veniam dedit, i. e. concessit quod petebant. Terent. Andr. V. 3. 30. *aequum postulat, da veniam*. Cic. ad Att. V. 21. *dedi veniam homini impudenter petenti*. v. Bosii Ind. Nepotis v. Venia.

11. *Ad occasionem maioris spei*, i. e. ad opor-

portunum tempus, quo maior ipsi spes affulgeret rerum potiundi. Caes. 7. *coniectores ad amplissimam spem incitaverunt.* Haec loquendi ratio rarior est, et inter Suetonii singularia referenda. v. Oudend. ad h. l.

Usurpare rem vel *vocem* est saepe facere, vel dicere, faciendo vel dicendo repetere. Liv. VII. 11. *accepta res, saepiusque usurpando excitata.* v. Duker. ad XXXII. 26.

In disponendo die, i. e. cum ordinaret, quid quaque diei parte acturus esset. Plin. IX. Ep. 36. *quaeris, quemadmodum diem aestate disponam.* v. Burm. ad Quinct. Decl. XII. p. 241. *ordinare diem* dixit Seneca Ep. 12. v. Casaub. ad h. l. et Gronov. ad Tacit., de M. G. 30.

Visere vel *visitare aegros*, propria est locutio. Cic. de Fin. V. 31. *cum arderet podagrae doloribus, visitassetque hominem Carneades.* v. Claud. 35. Ner. 34. Dicitur etiam cum praepositione *visere* vel *visitare ad aliquem.* Terent. Hecyr. I. 2. 114. *nostra it visere ad eam.* Ovid. Amor. II. 2. 21. *Ibit ad adfectam, quae non languebit, amicam Visere.* ubi v. Heins. Ceterum totius loci sensum melius explicuit Cl. Ernestus ad h. l. quam Toupius ad Longin. π. ὑ. p. 193.

Perculsus. Bene Cl. Ernestus reponit *percussus.* Vulgo dicunt, *percussus* ad corpus, *perculsus* ad animum referri: quod falsum est et ineptum. Utrumque de utroque dicitur, de *corpore* proprie, de *animo* translate. Sed *percelli* in re graviori locum habet, tanquam si quis quasi fulmine ictus extra se rapitur. Horat. Epod. XVII. 15. *Mentesque perculsae stupent.* *Percuti* vero dicitur in leviore affectu, ubi animus motu quidem affectus est, non ta-

 men

mon eversus et consternatus. Terent. Andr. I. 1. 98. *percussit illico animum.* De horum verborum discrimine v. Intt. ad Ovid. Met. IV. 138. Ernest. ad Tacit. H. III. 36. inprimis magnum Bentlei. ad Horat. Epod. XI. init.

Tamen singulos. Tamen dicitur pro denique, tandem. Terent. Heaut. III. 2. 1. *inveniendum est tamen argentum.* Propert. II. 5. 5. *Inveniam tamen e multis fallacibus unam.* v. Intt. ad h. l. et quae notavimus ad Rutil. Lup. I. p. 50.

Antisophistas, i. e. contrariarum sectarum doctores. v. de Gramm. 9.

Sensim, i. e. clam, tacito. Ner. 26. *crudelitatem sensim et occulte exercuit.* Nepos Att. 9. *sensim a nonnullis optimatibus reprehendebatur.* ubi v. Heusing.

Voce praeconis. Reus citabatur e tribunali voce praeconis. v. Cic. Verr. V. 7. et Brisson. de Form. V. p. 445.

Repudium remissum. Remittere in hac formula ponitur pro simplici mittere. Nam mos erat, nuntios ac testes mittere, qui certis ritibus sponsae vel uxori repudium significarent. Terent. Phorm. V. 7. 35. *Cum vestri honoris caussa repudium alterae remiserim.* In Calig. 36. est *mittere repudium.* Similiter *renuntiare repudium* dicitur pro nuntiare. Plaut. Aul. IV. 10. 53. *Is me nunc renuuciare repudium iussit tibi.* Terent. Phorm. IV. 3. 32. *illis repudium renuntiet.* v. P. Fabrum Semestr. II. 23.

Corroboratis. scil. gratia, auctoritate. Graev. ad Cic. ad Div. XIII. 10. explicat, quia adolevissent. Minus bene.

Tutantibus, i. e. defendentibus, vindicantibus. Te-

Terent. Hec. prol. II. 34. *meum non potui tutari locum.* v. Gronov. ad h. l.

Ultro, i. e. insuper. Terent. Eun. V. 4. 21. *etiam ultro derisum advenit.* Liv. XL. 12. *ultro latronis speciem induit.* ubi v. Drakenb.

12. *Privatum egit*, gessit se, ut privatus. Iustin. I. 6. *nepotem magis, quam victorem egit.* inf. 26. *civilem egit.* Translatio e scena ducta est. v. Swarz. ad Plin. Paneg. 15.

Obnoxius est, qui ob noxam admissam alterum noxae conscium timet, illi quasi subiectus est, atque adeo expositus iniuriae. Terent. Hec. III. 1. 22. *uxori obnoxius sum.* Cic. Bruto 17. *vivit supplex et obnoxius.* Inf. 63. *praetrepidus et obnoxius vixit.* Hanc verbi vim declaravit Gronov. ad Senec. de Ira III. 8. unde Graev. ad Flor. III. 20. IV. 4. aliique hauserunt.

Deverteret. Sic recte editur, non *diverteret.* Nam *devertere* dicitur, qui de via deflectens hospitium subit: unde *deversorium* et *deverticulum* pro hospitio ponuntur: *divertere*, qui a via regia deflectens, semitam inde in diversa tendentem ingreditur: unde *diverticulum* est locus, ubi duae viae a se recedunt. Sic discrimen horum verborum constituit Drakenb. ad Liv. XLIV. 42.

Beneficii sui centuriones, i. e. qui illius beneficio ad centurionis gradum evecti erant: quales *beneficiarii* dicebantur. v. Lips. ad Tacit. Hist. IV. 48. Hinc fluxit elegans loquendi ratio, *rem* vel *hominem sui beneficii, sui muneris facere*, pro facere, ut res vel homo a nobis pendeat, in nostra potestate sit. Ovid. Amor. II. 13. 22. *Digna est, quam iubeas muneris esse tui.* Iustin. XIII. 4. *ut munus imperii beneficii sui faceret.* Claud. 23. *Commea-*

t

tus a senatu peti solitos beneficii sui fecit. V. Graev. ad Cic. de Amic. 25.

Custodem, i. e. observatorem et delatorem. Tacit. Ann. III. 28. *custodes praemiis illecti.* ubi v. Gronov. *custos factis* dicitur pro custos factorum. Saepe Dativus pro Genitivo occurrit. Cic. de Amic. 11. *comes furori.* ibid. 12. *adiutor alicui.* Lucan. IV. 4. *rector castris.* Plura exempla habet Drak. ad Liv. XXXIX. 47.

13. *Redegit se ad pallium*, i. e. quasi invitus eo descendit, ut sumeret pallium. Terent. Eun. II. 2. 7. *hem, quo redactus sum.*

Ad pallium et crepidas, i. e. ad habitum Graecorum. Nam Graeci pro toga pallium, pro calceis Romanis crepidas gestabant. Domit. 4. *certamini praesedit crepidatus, purpureaque amictus toga Graecanica.* v. Duker. ad Liv. XXIX. 19.

Non iam, i. e. non amplius. Terent. Heaut. V. 4. 12. *non sunt haec iam parentis dicta.* Ovid. A. A. II. 93. *At pater infelix, iam non pater, Icare, clamat.* ubi v. Burm.

14. *Captaret*, i. e. tentaret explorare, cognoscere.

Excludere, proprie dicuntur aves, quae incubando ovis efficiunt, ut pullus, rupta testa, prodeat. Cic. de N. D. II. 52. *ex quibus ovis pullos cum excluserint gallinae.* Columell. VIII. 2. *ut incubent et excludant gallinae.*

Spondere, polliceri, promittere dicuntur vel vates, vel omina, quae de rebus futuris capiuntur. Flor. I. 1. §. 7. *urbem bellatricem fore, aves pollicebantur.* ubi v. Freinshem.

Geryonis oraculum. De hoc oraculo nihil constat.

Sorte tracta, i. e. responso oraculi, quod inscriptum

ptum tabellae ex urna extraxerat. Hinc *sortes* etiam dicuntur oracula vel responsa Deorum, quae non sorte, sed vatis ore eduntur. Liv. V. 15. *decrevere, sortes oraculi Pythici exspectandas.* ubi v. Drakenb.

Sapientiae professorem, i. e. liberalis doctrinae. Cic. de Orat. II. 1. *neminem eloquentia sine omni sapientia praestare.* Mela III. 2. *habent magistros sapientiae Druidas.* v. Perizon. ad Aelian. V. H. II. 31.

Cadere, et boni et mali eventus significationem habet. Cic. de Orat. II. 4. *hoc cecidit mihi peropportune.* Liv. XXII. 40. *si quid adversi caderet.* v. Broukhus. ad Tibull. I. 7. 91. Metaphora ducta est a iactu aleae.

15. *Hortos.* Veteres Romani multum habitabant in hortis, in quibus extructae erant aedes spatiosae. v. Claud. 5. et Brisson. Sel. Antiqu. III. 13.

Neque donavit. Neque hoc iure facere poterat. Nam donandi ius non filiisfamilias, sed patribusfamilias competit. v. P. Fabrum Semestr. II. 20.

Ut peculio referret accepta, i. e. ut diceret, se illa bona, iure peculii, quasi accepta a patre, habere. *Ferre* sive *referre acceptum alicui*, est in tabulis scribere, nos aliquid ab aliquo accepisse. Cic. Verr. I. 36. *expensa Chrysogono servo, accepta pupillo Malleolo retulit.* v. Gronov. ad Liv. XXII. 25. et Ernest. ad h. l.

16. *Delegatus pacandae Germaniae status*, i. e. delegata ei Germanici status pacatio. Rarior est haec locutio, et ab Interpretibus vehementer vexata. v. Ernest. Excurs. ad h. l.

Gravissimum omnium. Sic loquitur Vellei. Pat. II. 110.

Auxiliorum. Discrimen est inter *socios* et *auxilia.*

Socii semper sunt Italici, *auxiliares*, externi. v. Fest. v. Auxiliares, et Lips. de Milit. Rom. I. 7.

Quod patet, i. e. in quantum extenditur. *Patere* proprium hac in re verbum est. Iustin. II. 2. *multum in longitudinem et latitudinem patet.* Caes. 25. *Gallia, quae patet circuitu ad millia passuum* etc. v. Gronov. ad Liv. XXV. 23. et Drakenb. ad VI. 36.

17. *Amplior adhuc*, i. e. praeterea, insuper. Tacit. de M. G. 29. *ipso adhuc terrae suae solo et coelo acrius animantur.* inf. 44. *maiore adhuc infamia flagravit.* v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. 30.

Debellatum esset. Esset ponitur pro fuisset. v. Duker. ad Flor. III. 3. p. 450.

Praetextatus, hic sumitur pro veste splendida indutus, ut *praetexta triumphi* apud Valer. Max. V. 5. VII. 1. v. Graev. et Oudend. ad h. l.

18. *Sui arbitrii esse* dicitur, qui nihil curat alieno consilio uti, omnia agit de sententia sua. Contra Claud. 2. *alieni arbitrii, et sub paedagogo fuit.* v. Schulting. ad Senec. Contr. II. p. 185. Sic Nepos Att. 10. dicit *sui iudicii.* et Cic. Verr. I. 7. *sui iuris sententiaeque.* ubi v. Lambin.

Communicare, absolute dicitur pro communicare consilia. Cic. ad Div. IV. 1. *velle te mecum de officio communicare.* v. Drakenb. ad Liv. VI. 11.

Sedens in cespite. v. Lips. de Mil. Rom. V. 16.

Per libellos. v. Lips. de Milit. Rom. V. 9.

19. *Ex antiquitate repetitis.* Sic Claud. 21. *spectacula ex antiquitate repetita.*

Legatus legionis dicitur, qui uni legioni praeest ex Augusti instituto, non confundendus cum legato consulari. v. Lips. de Mil. Rom. II. 11.

Fortuna et *casus*, saepe iunguntur. Cic. pro Fontei.

tei. 15. *ad casum fortunamque felix.* v. Intt. ad h. l.

Constantius, i. e. maiore cum firmitate animi. v. notata ad Caes. 63.

Ostentum, hic sumitur pro omine; quod notandum.

Ducatu, i. e. imperio ducis. *Ducatus* vox est argenteae, non aureae, Latinitatis, ut quidam crediderunt. v. Iustin. IX. 6. Sueton. Ner. 25. et Duker. ad Flor. III. 21. p. 611.

Trepidatione. Curt. VII. 1. *Nulli erat dubium, quin trepidatio conscientiae indicium esset.*

20. *Ad genua submisit*, i. e. procubuit. Lucret. I. 93. *Muta metu terram genibus submissa petebat.* v. Gronov. Obs. II. 8.

21. *Affectum*, i. e. graviter aegrotantem. Ovid. Trist. III. 3. 14. *Et subit affecto nunc mihi quicquid abest.* ubi v. Heins. Claud. 25. *aegra et affecta mancipia.*

Excepta sit, i. e. clam auscultata sit. Liv. XL. 7. *ad has excipiendas voces speculator missus.* ubi v. Gronov.

Lentae maxillae dicuntur, quae frangunt et comminuunt, sed lento morsu, et cum longiore cruciatu. Respicit Augustus ad Tiberii *naturam saevam et lentam*, ut Sueton. vocat cap. 57. v. Intt. ad h. l.

Ambitione tractum, i. e. ambitionis vi impulsum, ut in hanc sententiam inclinaret. Ovid. Trist. V. 12. 39. *Nominis et famae quondam fulgore trahebar.* v. Graev. ad h. l.

Adduci, i. e. impelli, permoveri. Caesar de B. G. I. 3. *his rebus adducti.* Liv. V. 48. *haud magna mercede se adduci posse.* ubi v. Drakenb.

In exemplum, i. e. exempli gratia.

Ita sim felix. Veteres per vota sua iurare solebant.

bant. Propert. I. 7. 3. *Atque, ita sim felix, primo contendit Homero.* Aug. 28. *ita mihi salvam remp. sistere in sua sede liceat.* v. H. Vales. ad Amm. Marc. XXIV. 3.

Ordinem aestivorum! Per exclamationem laudat, ut Terent. Andr. V. 2. 28. *Pietatem gnati!*

In te, sive in accus. sive in abl. capiatur, pro de te ponitur. v. Heusing. ad Cic. de Offic. I. 9.

Incidit, i. e. accidit. Liv. X. 18. *malle frustra operam insumtam, quam quicquam incidisse.* ubi v. Drakenb.

Stomachor. Stomachus metaphorice dicitur illa pars animi, quae grata facile admittit, ingrata fastidit, et facile ad iram movetur. Cic. ad Div. II. 16. *hosti stomachi mei fastidium.* ubi v. Manut. Hinc *stomachari* est irasci, indigne ferre. Cic. de N. D. I. 33. *stomachabatur senex, si quid asperius dixeram.*

Attenuatum, i. e. macilentum factum. Virgil. Georg. III. 129. *Ipsa autem macie tenuant armenta volentes.* Ovid. Met. III. 396. *Attenuant vigiles corpus miserabile curae.* v. Intt. ad Lactant. de M. P. 33.

Dii me perdant. Frequens iurandi formula, inprimis apud Comicos, pro qua inf. 59. dicitur *dispeream*, Claud. 4. *peream.*

Si in obtestationibus sollemne. Virgil. Aen. IV. 317. *Si bene quid de te merui.* v. Bentl. ad Hor. I. Carm. 32. 1.

Perosus et *exosus* activa significatione dicuntur. Vesp. 4. *Agrippinam defuncti quoque Narcissi amicos perosam.* Liv. III. 34. *plebs consulum nomen, haud secus quam regum perosa erat.* ubi v. Drakenb.

22. *Codicilli*, sunt codices cerati minoris formae, quos veteres ad quotidianum usum secum circumferebant, et in quibus, quae subito in mentem venissent, scribebant, quos etiam saepe ad alios mittebant, ut vices epistolarum et mandatorum agerent. v. inf. 51. et Calig. 18. ICti hanc vocem transtulerunt ad minus sollemnia ultimae voluntatis mandata. v. Burmann. praef. ad Petron.

Ut id faceret, iubebatur. Vetustiores melioresque scriptores etsi verbo *iubere* plerumque iungunt verbum infinitum, aliquando tamen addunt verbum finitum cum *ut* vel expresso, vel per ellipsin omisso. Plaut. Amphitr. I. 1. 50. *Iubet, sententiam ut dicant suam.* Virgil. Ecl. V. 15. *tu deinde iubeto, certet Amyntas.* v. Duker. ad Liv. XXIII. 21. et Drakenb. ad Liv. XXXII. 16. Oudend. ad Vesp. 27. Apud inferioris aetatis scriptores nihil frequentius.

Renuntiare, legitimum in hac re verbum est. v. Claud. 29. et Drakenb. ad Liv. Epit. 47.

Factum esse quod imperasset. Sollemnis militiae formula. Claud. 29. *De nece consularis viri renuntiante centurione factum esse, quod imperasset.* v. Tacit. Ann. I. 6. et ibi Lips.

Obliterare, proprie est literas scriptas verso stilo delere, metaphorice rem ex hominum memoria tollere. inf. 52. *obliterata iam doloris memoria.* v. Drakenb. ad Liv. III. 71.

23. *Allocutione*, i. e. oratione ad consolandum facta. Nam *alloqui*, *alloquium*, *allocutio* proprie dicuntur de consolatione. Ovid. Trist. I. 3. 15. *Alloquor extremum moestos abiturus amicos.* Seneca Cons. ad Marc. 1. *fatigatae allocutiones amicorum.* v. Torrent. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. IX. 6.

Signa agnoscentibus. Signa cerae supra linum

 im-

impressa, non ante tollebantur, quam signatores illa agnovissent. v. Sallust. Catil. 47. et ibi Cort.

Iudicio, i. e. certa ratione. Nepos Attic. 15. *non inertia, sed iudicio fugisse reipublicae procurationem.* Cic. de Off. I. 15. *beneficia, quae iudicio delata sunt.* v. Heusinger. ad Cic. pro Ligar. 3.

24. *Principatum agere*, i. e. gerere, exercere. Sic *agere bellum* dixerunt Nepos Hannib. 8. et Grat. Cyneg. 334. ubi v. Burm. *rem agere*, Iustin. IV. 5. *regnum agere*, Flor. I. 6. 7. v. Gronov. Obs. II. 5. et Drakenb. ad Liv. Epit. 49.

Et ratione, et ponitur pro *etiam*, ut inf. 56 et 69.

Militum, nempe praetorianorum, qui salutem et corpus Imperatorum tuebantur. v. Perizon. de Praetor. p. 604.

Impudentissimo animo. Nihil pulchrius et verius emendatione I. F. Gronovii, legentis, *impudentissimo mimo*, i. e. impudentissima simulatione, quam bene contra Burmannum defendit Ernestus. Cal. 45. *in hoc quoque mimo praeter modum intemperans.* Othon. 3. *ne poena acrior mimum omnem divulgaret.* v. Intt. ad Flor. II. 14. 3.

Suspendens, i. e. incertum, dubium tenens. Plin. II. Ep. 20. *ut diu miseram exspectatione suspendat.* Curt. IX. 7. *Ea ipsa res omnium animos exspectatione suspenderat.* Hinc *suspensus* est incertus, dubius. Cic. pro Dom. 36. *suspensa ac sollicita civitate.* Liv. V. 39. *omne inde tempus suspensos tenuit animos.* ubi v. Drakenb.

Iniungere, proprium est verbum onerum munerumque fungendorum. Hirt. de B. G. VIII. 6. *legionibus expeditionum onus iniungebat.* Liv. XXXIII. 5. *seu iniuncta, seu suscepta foret militia.* ubi v. Intt. Calig. 18. *amicis praesidendi munus iniunxit.*

23. *Lupum auribus tenere.* Hoc proverbio utuntur, qui neque rem susceptam omittere, neque in suscepta, sine periculo, perseverare possunt. v. Terent. Phorm. III. 2. 21.

Stipendio praetorianis. v. Tacit. Ann. I. 17. et ibi Gronov.

Germaniciani, sunt milites exercitus Romani in Germania. v. Othon. 8. Vesp. 6. et Perizon. de Praetor. p. 506.

Obfirmate, i. e. animo obstinato. Plaut. Amphitr. II. 2. 15. *perferam usque abitum eius animo forti atque obfirmato.*

Sufficere, i. e. par esse. v. notata ad Aug. 43.

Novitate, i. e. novo imperio. Virgil. Aen. I. 563. *ut regni novitas me talia cogit Moliri.* ubi v. Intt.

Coarguit, i. e. convicit. v. notata ad Caes. 75.

Secespita, est culter ferreus, quo pontifices ad sacrificia utuntur. v. Fest. h. v. et Casaub. ad h. l.

Secretum petenti, i. e. roganti, ut sibi soli cum solo colloqui liceret. Plin. I. Ep. 5. *illuc me persecutus secretum petit.* Cal. 23. *aviae Antoniae, secretum petenti, denegavit.*

26. *Civilis* est, qui non postulat sibi tribui plus iuris, quam aliis civibus.

Paullo minus, quam privatum, i. e. ferme privatum, ut parum abesset a privato. Petron. 107. *qui amicos laedit, appellatur paullo minus quam parricida.* inf. 39. *quod paullo minus utrumque evenit.* v. Intt. ad h. l. et Swarz. ad Plin. Paneg. 61.

Privatum egit, i. e. se gessit tanquam privatum. Valer. Max. II. 2. 4. *experiri volui, an scires consulem agere.* Plin. VIII. Ep. 14. *ut duces agere adsuescerent.* ubi v. Buchner. Metaphora petita est e scena.

In acta sua iuraretur, i. e. ut omnia acta sua rata haberentur. Libera republica in leges iurabatur: sed acta, finito magistratu, vocari poterant ad Senatus disquisitionem. Sed iam sub Augusto in Caesarum acta iurari coepit: qua re Caesarum dominatio valde est confirmata. v. Lips. ad Tacit. Ann. XVI. 22. Exc. A.

Civica corona, quae dabatur ob civem servatum, in vestibulo domus imperatoriae suspendebatur, ut significaretur, imperatores omnium civium unicos servatores et liberatores esse. v. Ovid. Trist. III. 1. 36. Claud. 17. et Intt. ad h. l.

27. *Per genua*. Genua misericordiae consecrata erant: unde illa tangebant, et ad illa accidebant rogantes. v. Serv. ad Aen. III. 607. et quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 96.

Continua oratio est, quam Nepos Epam. 5. et et Cic. Act. 1. in Verr. 11. *perpetuam* dicunt, opponiturque ei, quae est in interrogando et respondendo. v. Drakenb. ad Liv. IV. 6.

28. *Adversus convicia firmus*, i. e. conviciis non facile movebatur. Sallust. Iug. 28. *firmissimus contra pericula et insidias*. ubi v. Cortium. Tacit. Hist. II. 82. *egregie firmus adversus militarem largitionem*.

Fenestram aperire, est occasionem dare. Terent. Heaut. III. 1. 72. *quantam fenestram ad nequitiam patefeceris*. v. Passerat. ad Propert. III. 20. p. 528. Simili translatione dicitur *ianuam patefacere*. Plin. I. Ep. 18. *illa actio mihi ianuam famae patefecit*.

29. *Senatui servire*, i. e. totum se ad Senatus voluntatem conferre. Quae interpretatio confirmatur ex eo, quod mox Senatores appellat *dominos suos*. v. Ernest. ad h. l. et Heusing. Obs. Antib. p. 484.

30.

...um, ex Graeco *μόνος*, *solus*, et *πω*-
...st ius et potestas mercis alicuius ve-
...dae uni vel homini, vel societati da-
...a. de V. S.

... *et auxiliorum descriptione*, i. e. dis-
... eorum in provincias, urbes, castella, etc.
...re est dividere, apte disponere, suum cui-
...ignare. Caesar de B. C. III. 42. *vecturas*
...ti *finitimis civitatibus descripsit*. Iustin.
...3. *cum tributum in tutelam classis descri-*
...*sent*. v. Intt. ad Calpurn. Flacc. Decl. II. p. 794.
Duker. ad Flor. I. 2. p. 34.

31. *Honori acquiescerent*. Omnino legendum de Bouhierii coniectura: *honori adsuescerent*.

Legationes liberae, privatarum rerum caussa Senatoribus dabantur, ut honoratiores essent apud exteras nationes, addito legationis nomine. v. Cic. pro Flacc. 34. Manut ad Cic. ad Div. XI. 1. et Brisson. de V. S. v. Liber.

Consente, Ablativo absoluto interdum alius casus subiungitur, quamvis de eadem persona sermo sit. Caesar. de B. G. VII. 4. *convocatis suis clientibus, facile incendit*. ubi v. Oudend. Liv. XXXIV. 9. *Fabio comitia habente, consulatus continuatus*. Iustin. XI. 7. *iterato quaerentibus, iubentur eum regem observare*. v. Duker. ad Flor. IV. 12. p. 802. et Intt. ad h. l.

SC. per discessionem. Consul, ubi omnes Senatores sententiam rogasset, dicebat: *Qui haec sentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ite, qua sentitis*. v. Fest. v. *Qui haec censetis*. Idque proprie vocabatur *discessio*, quae locum habebat in rebus levioribus, in quibus Senatores facile consensuri viderentur. Ex quo ritu manarunt

runt locutiones, *discedere in sententiam*, *ire* vel *pedibus ire in sententiam*. v. Sallust. Catil. 55. Cic. ad Div. X. 12. Liv. III. 40. item *ire*, *transire*, *discedere in alia omnia*, pro dissentire. v. Cic. ad Div. I. 2. et ibi Manut.

Trahi se, i. e. se differri in longius tempus.

Decedere via. Privatus magistratui, et minor magistratus maiori obviam factus de via decedebat. Seneca Ep. 64. *Si consulem videro aut praetorem, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam*. v. Lips. Elect. I. 23.

32. *Usque ad rogum*, qui erat extra urbem: quo propinqui et familiares tantum funus prosequi solebant. Nam reliqui post auditam laudationem funebrem, quae in foro fiebat, discedebant. v. Propert. IV. 7. 29. Senec. Qu. Nat. III. 18. et Casaub. ad h. l.

Frequentavit, i. e. frequentiores reddidit sua praesentia.

Insectari, frequentativum verbi *insequi*, proprie notat pertinaciter persequi. Ut h. l. *insectari verbo*, sic *insectari malediotis* apud Cic. de Fin. II. 25. v. Drakenb. ad Liv. III. 65.

Evocare, proprie dicitur Senatus vel princeps, eum quem iubet aliunde ad se venire. Iustin. IX. 5. *legatos evocari Corinthum iubet*. v. Brisson. de V. S.

Sabbatis, i. e. non Saturni die, sed septimo quoque die. Cuius significationis rationem egregie explicat Casaub. ad h. l.

Extra ordinem, i. e. alio, quam stato septimo quoque die. v. Aug. 43. et Perizon. de Praetor. p. 749.

Adstare, saepe ponitur pro simplice *stare*. Terent. Phorm. IV. 3. 2. *patruum video cum patre adstantem*. Virgil. Aen. II. 328. *mediis in moenibus adstans*. ubi v. Serv.

Prae-

Praesidis, nomen generale est; eoque et Proconsules, et Legati Caesaris, et omnes qui provincias regunt, licet non Senatores sint, *Praesides* appellantur. L. 1. D. Offic. praesid. *Praesides* vero *provinciarum* non dicebantur libera republ. sed demum post divisionem provinciarum ab Augusto factam. v. Cuiac. Obs. XX. 37.

33. *Principem exeruit*, i. e. rebus ipsis ostendit principalem potestatem. *Exerere* proprie est proferre, quod latebat. Seneca Herc. Oet. 255. *Secreta mentis ore confusa exerit.* Quinctil. Decl. XIII. 6. *exerite libertatem fortibus verbis.* Plin. Paneg. 21. *quod nomen qua benignitate exeris?* ubi v. Swarz. *Princeps* ponitur pro principali potestate, ut apud eundem Paneg. 76. *statim se recipiebat in principem.* ubi v. Intt. inprimis Casaub. ad h. l.

Principem praestitit, i. e. principem se exhibuit, fecit quae sunt principis. Minus recte hanc loquendi formulam accepit Burmann. ad Petron. 34.

Commodiorem, i. e. humaniorem. Cic. pro Muren. 31. *nemo Catone proavo tuo commodior, comior, moderatior fuit.* v. Lambin. ad Horat. IV. Carm. 8. 1.

Intervenire, proprie dicunt ICti pro auctoritatem suam interponere. v. L. 8. D. quod met. caussa, et Brisson. de V. S.

Se offerebat consiliarium. Magistratus aut iudices de re aliqua cogniturí in consilium adhibebant Iuris peritos, de quorum sententia, caussa cognita, pronuntiarent. Illi dicuntur *adsessores*, vel *consiliarii*, item *assidere*, *in consilio esse*, *adesse*, *adhiberi*. v. Brisson. Select. Ant. I. 12. et Torrent. ad h. l.

In parte primori. Pro eo Livius XXV. 3. dicit *in cornu tribunalis*, ubi v. Duker.

Elabi, dicuntur, qui e periculo evadunt. v. Liv. IX. 42. et ibi Drakenb. Inde hoc verbum eleganter transfertur ad reos, qui sive gratia, sive artibus suis, sive aliis modis absolvuntur. Cic. de Senect. 12. *hic fratre suo Censore elapsus est.* v. Aug. 32. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Subitus aderat, pro subito aderat. Sallust. Iug. 38. *Iugurtha subdolus augere dementiam.* ubi v. Cort.

E plano, i. e. sedens eodem, quo iudices, loco, infra tribunal, ut bene explicat Ernestus. Alioqui magistratus etiam *de plano cognoscere* dicitur, cum non editiore loco, sed in via et transitu decernit. v. Torrent. ad h. l.

Religionis, i. e. iurisiurandi, quod iudices praestabant. Phaedr. III. 13. 8. *ne religio peccet imprudens mea.* ubi v. Intt.

34. *Corripuit*, i. e. contraxit, imminuit. Domit. 4. *missus singulos a septenis spatiis ad quinos corripuit.* v. Ernest. ad h. l.

Mercedibus scenicorum. De iis agit Lips. ad Tacit. Ann. I. 83. Exc. N.

Recisis, i. e. parte aliqua imminutis. Calig. 44. *commoda emeritae militiae recidit.* ibid. 55. *mirmillonum armaturas recidit.* In quibusdam MSS. perperam legitur *rescissis*. *Recidere* est partem auferre: *rescindere*, penitus tollere, aut destruere. v. Gronov. Obs. II. 22. IV. 16. Graevium, aliosque Intt. ad h. l.

Exarsisse, i. e. aucta esse. Similiter *incendere* et *excandefacere* de pretiis rerum vehementer auctis dicuntur. Varro de R. R. III. 2. *coenae excandefaciebant annonam macelli.* Quinctil. Decl. XII. 4. *si quid residui frumenti erat, ad annonae incendium suppressum est.* v. Turneb. Advers. XXII. 33.

33. et Ernest. ad h. l. Ad haec exempla Plin. H. N. XXXIII. 13. dixit *flagellare annonam*. Nempe in *flagro* et *flagello* est urendi notio.

Annona macelli. *Annona* plerumque accipitur de frumento, quia praecipuum est ad victum. Sed interdum est proventus annuus vini, frugum, omniumque obsoniorum, quae in macello venduntur. Cic. de Divin. II. 27. *putarem annonam in macello cariorem fore*.

Proponere et *exponere*, propria verba sunt rerum venalium publice. Ner. 26. *cum antea nullum non opsonii genus proponeretur*. Tacit. Ann. XIII. 25. *qui raperent ad venditionem exposita*. v. Gronov. Diatr. Stat. VI. p. 44.

Sollemnibus coenis, i. e. rectis, ut alibi vocat Suetonius, sive quales exhiberi solent diebus maxime festis. v. Vitell. 11. et Perizon. ad Sanct. Min. IV. 17. p. 849.

Pridiana, i. e. quae pridie iam fuerant parata et apposita. v. Cal. 58. Vitell. 13.

Dimidiatum aprum. Romani interdum totos solidosque apros in unam coenam apponebant. v. Lips. Poliorc. IV. 1.

Quae totum. Supplendum, quae totum habere constet. De hac elliptica loquendi ratione v. Perizon. ad Sanct. Min. II. 10. p. 225. IV. 2. p. 530.

Non tulit, i. e. non passus est, noluit. Ovid. Met. XIII. 460. *Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem*. ubi v. Heins. Ep. V. 12. *servo nubere nympha tuli*. v. Intt. ad h. l.

35. *More maiorum*. Ex lege Romuli mariti et propinqui de omni uxorum crimine cognoscebant et statuebant. v. Dionys Halic. II. p. 95. Tacit. Ann.

II, 50. et ibi Lips. item Sigon. de A. I. Civ. Rom. I. 9.

Dignitate matronali exsolverentur, i. e. amitterent ius matronarum.

Lenocinium profiteri. Licebat cuivis feminae, corpus vulgare et quaestum meretricium exercere, modo nomen suum apud Aedilem profiteretur, et matronali dignitate cedens, institam, stolam, vittas, matronarum ornamenta, poneret, sumeretque togam meretriciam. v. Tacit. Ann. II, 85. ubi rem pulcre illustrat Lipsius.

Utriusque ordinis, Senatorii et equestris. v. Ernest. ad h. l.

Opera edenda, i. e. praestanda. Liv. III. 63. *castigati fortium virorum operam edebant.* ubi v. Gronov. Vitell. 10. *exposcentes praemia ob editam in caede Galbae operam.*

Famosi iudicii, i. e. quod condemnatos infames reddebat. v. Ernest. ad h. l.

Latum clavum ademit, i. e. eiecit e Senatu. Nam *latus clavus*, insigne ordinis Senatorii, saepe ponitur pro ipsa dignitate Senatoria. v. Caes. 80. Aug. 94. Claud. 24. et Oudendorp. ad h. l.

Sub Calendas Iulii. Hae Calendae conductionibus et locationibus aedium dicatae videntur, quod tum feriae publicae propter messem erant. v. Cic. ad Div. XIII, 2. et Ernest. Exc. ad h. l.

Sortitione, i. e. per sortem, ludo iocoque. Hanc lectionem tuetur explicatque Oudend. ad h. l.

36. *Gravioris caeli*, i. e. aëris noxii, pestilentis. Cic. ad Att. XI. 22. *corpore vix sustineo gravitatem huius coeli.* Tacit. Hist. V. 7. *solo coeloque iuxta gravi.* v. Duker. ad Liv. III. 6.

Artem desituros, i. e. non amplius exercituros. Cic.

Cic. ad Div. VII. 1. *libenter artem desinerem.* v. Heins. ad Ovid. A. A. II. 725.

37. *Populares tumultus*, i. e. tam populi Romani, quam in aliis urbibus. v. Ernest. ad h. l.

Capita factionum, i. e. qui plaudebant primi, et fautores plausoresque histrionibus comparabant. Tacitus Ann. I. 16. eos vocat *duces theatralium operarum*, ubi v. Gronov. In theatro, sicut in circo, semper factiones erant, distracto plebis favore in hunc vel illum histrionem. Unde tumultus, pugnae et caedes extiterunt. v. Ner. 26. et Lips. ad Tacit. l. c.

Precibus evinci; i. e. exorari. Ovid. Fast. III. 688. *Evictas precibus vix dedit illa manus.* ubi v. Heins. Tacit. Ann. IV. 57. *precibus uxoris evictus.*

Primipilaris, dicitur, qui primipilus fuit: ut *consularis*, qui consul: *primipilus* vero, qui primum pilum, sive ordinem triariorum ducit, centurio primi pili. Ut Triarii, quos primipilus ducebat, dignitate praestabant Hastatis et Principibus, sic primipilus erat omnium centurionum caput et ductor. v. Lips. de Milit. Rom. II. 8.

Misisset, pro dimisisset. Liv. XXX. 3. *ne Syphacis quidem curam ex animo miserat*, ubi v. Int.

Concinentibus signis. Cum tubicines et cornicines inflandis omnibus instrumentis proelii committendi signa darent, propria locutione *signa canere* vel *concinere* dicebantur. v. Liv. I. 1. X. 19. et Lips. de Mil. Rom. IV. 10.

Plebei, est genitivus a nominativo *plebes.* v. Drakenb. ad Liv. II. 33.

38. *Adeptum*, passive dicitur pro acceptum. Sallust.

lust. Catil. 7. *civitas, adepta libertate, crevit.* ubi v. Cort.

Abfuit, i. e. egressus est urbe. Sic inf. 72. *commeatu afuturus.*

Comprehensis, i. e. coactis, ut ad illud iter adhiberentur. Liv. XXVI. 7. *naves in flumine Vulturno comprehensas.* ubi v. Gronov. Calig. 39. *comprehensis ad deportandum meritoriis vehiculis.* v. Ernest. ad h. l.

Commeatibus, i. e. impedimentis et instrumentis necessariis, forte etiam comitibus. Sic *impedimenta* non modo dicuntur sarcinae, et vehicula, sed ipsa etiam iumenta. v. Frontin. II. 1, 11. et ibi Intt. item Oudend. ad h. l.

Vota pro itu et reditu. Pleni talium votorum libri, lapides, nummi. Calig. 14. *vota pro reditu suscepta sunt.*

39. *Paullo minus*, i. e. propemodum, tantum non.

Incoenante, viri docti capiunt pro intus coenante. Melius est legere *coenante*, quod MSS. quidam habent.

Fortuito. Meliores Codd. habent *fortuitu.* Cic. de Off. I. 29. *temere ac fortuitu.* Plin. H. N. XI. 37. *alia fortuitu incidentia.* Haec forma centies abiit in notiorem *fortuito.* v. Intt. ad h. l.

Superne, i. e. de superiore loco. Liv. VII. 10. *velut moles superne imminens.* ubi v. Drakenb.

40. *Capitolium.* Non Romae tantum Capitolium fuit, sed aliis etiam locis. v. Calig. 57. et ibi Casaubon. Tandem omnes arces *Capitolia* dici coeperunt. v. Sil. Ital. XI. 267. et ibi Drakenb.

Obtestatione. Obtestari, proprie est, cum eum adiuramus, quem rogamus, ut Donatus ait ad Terent. Andr. I. 5. 56. v. Manut. ad Cic. ad Div. II. 1.

41. *Decurias equitum*, i. e. decurias iudicum, ut egregie demonstravit Ernest. Exc. ad h. l. et ad Tacit. Ann. II. 55. Nam etsi Senatus et equites tum communiter iudicia administrabant, tamen usus loquendi tulit, ut equites soli iudicia administrare dicerentur.

Praefectos, scil. alarum, qui equestribus turmis praeerant. v. Aug. 38. et, qui de variis praefectis accurate disputat, Manut. ad Cic. ad Div. II. 17.

42. *Male*, i. e. vix, aegre. v. notata ad Aug. 17.

Omnium horarum amicos, i. e. qui se moribus et ingenio amicorum accommodarent. Apposite Quinctilian. IV. 3. p. 303. *de Pollione Asinio, seriis, iocisque pariter accommodato, dictum est, esse eum omnium horarum.*

Condicere coenam, significat se ipsum ad coenam invitare. Plaut. Menaechm. I. 2. 15. *ad coenam aliquo condicam foras.* Hinc *condicta coenula* Claud. 21. est subita ac sine ullo apparatu, qualis amicis, qui se ipsos invitant, apponi solet. v. Gronov. Obs. I. 1.

Officium a voluptatibus. Huius officii aliquoties mentio fit in lapidibus literatis. v. Tacit. Annal. XVI. 18. et Intt. ad h. l.

43. *Sellaria* legendum, non *sellariam.* Intelligit enim locum, ubi sellarii et spintriae convenirent. v. Tacit. Ann. VI. 1. et Oudend. ad h. l.

Incestare, proprie est casta polluere. v. Serv. ad Aen. VI. 149. et Heins. ad Vell. Paterc. II. 73. unde sumitur pro struprare. Plaut. Poenul. V. 2. 136. *neque eam incestavit unquam.*

Elephantis, est Poëtria graeca, quae *concubitus varios venerisque figuras*, ut Ovidius ait, libris expres-

pressit: de qua v. Suidam v. 'Αστυάνασσα, et Broukhus. ad Propert. II. 5. 19.

In opera edenda; i. e. in concubitu. Saepe *opera* de hac re dicitur. Auson. Epig. 96. *Incipiens operas conducti vendere moechi*. v. Oudend. ad h. l.

Schema, est figura et modus coeundi. Latini genus et declinationem mutarunt, ut in aliis Graecis. v. Intt. ad h. l. et Pricaeum ad Apulei. Met. IV. p. 212.

Silvis ac nemoribus. *Silva* est arborum multitudo diffusa et inculta; *nemus*, composita; *lucus*, arborum multitudo cum religione. Sic Servius ad Aen. I. 310. has voces distinguit.

Prostare, proprie dicuntur meretrices, quae quaestus caussa stant ante lupanar. Similiter dicuntur *se prostituere*, i. e. se statuere in publico: unde *prostibula* vocantur. v. Cal. 36. Ner. 29.

Paniscorum, i. e. parvorum Panum.

Abutentes, i. e. utentes in aliam significationem.

Caprineum. Hunc locum feliciter restituit H. Grotius ap. Rutgers. V. L. VI. 7. legens καπριᾷν eum. Quo alludit etiam illud Atellanae: *Hircum vetulum capreis naturam ligurire*.

44. *Lacte depelli*, proprie dicuntur pecorum pulli, qui a matrum ubere removentur. Varro de R. R. II. 4. *porci depulsi a mamma*. Virgil. Ecl. VII. 15. *Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos*. v. Bentlei. ad Horat. IV. Carm. 4. 15. Alii scriptores hoc sensu dicunt, *lac*, *ubera*, sive *matrem relinquere*. v. Markland. ad Stat. Silv. IV. 5. 35.

Morigeratur. Nequitiae verbum est. Plaut. Casin. V. 2. 20. *Satin' morigera est?* Videte quae notavimus ad Timaei Lex. Plat. p. 195.

Argumento, i. e. historia tabulae. Cicero Verr. IV.

IV. 36. *argumenta erant in valvis.* ubi v. Graev. Propert. III. 7. 13. *Argumenta magis sunt Mentoris additae formae.* ubi v. Passerat. Ovid. Met. VI. 69. *Et vetus in tela deducitur argumentum.*

Seductum, i. e. seorsim abductum. Cic. de Orat. I. 56. *cum Crassum seduxisset.* Galba 22. *Icelum, e veteribus concubinis, esse seductum.* v. Gronov. ad Senec. de Mort. Claud. p. 846. Barbari *seducere* dicunt pro corrumpere, in vitia ducere.

45. *Perduci*, proprie dicuntur feminae, cum stupri caussa in secretum ducuntur. Cic. Verr. V. 12. *huc Tertia illa perducta est.* Calig. 25. *perductam a marito coniunxit sibi.* Vesp. 22. *cum perductae pro concubitu sestertia quadraginta donasset.* v. Intt. ad h. l.

Nec quicquam. E Cod. Vindob. scribendum: *et quicquam amplius.* Intellige, *quam coitum.* v. Oudend. ad h. l.

Nota, i. e. versus dictus ad illum notandum infamia.

Exodia, dicuntur ridicula, quae Atellanae fabulae actibus ad animos recreandos inserebantur. Videte Liv. VII. 7. Manut. ad Cic. ad Div. IX. 16. Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 42.

Capris, legendum, non *capreis.* Nam *capreae* sunt ferae, Belgice Steengeiten: *caprae*, Geiten. v. Oudend. ad h. l.

47. *Aliquo*, i. e. alio quo. Nam *aliquis* ex vi sua significat alium quem. Terent. Heaut. I. 1. 15. *fodere, aut arare, aut aliquid facere.* Cic. de Off. I. 7. *aut ira, aut aliqua perturbatione.* v. Oudend. ad h. l. et Ernest. ad Tacit. Ann. I. 4.

48. *Foeneratores*, i. e. homines divites, qui pecu-

nummos sub usuris collocatas haberent, Belg. Renteniers. v. Cic. ad Div. V. 6. et ibi Graev.

In solo, i. e. in praediis Italicis. Cic. ad Att. IX. 9. *te, quantum in solo haberent, solere quaerere.* v. Ernest. ad h. l.

Nec res expediretur, i. e. nec tolleretur difficultas nummaria. Verbum *expedire* explicuimus ad Caes. 4.

Quod Seiano se non accommodassent, i. e. quod Seianum non adiuvissent. Domit. 8. *ne se assertionibus accommodarent.*

Inter signa. Inter signa militaria non solum imperatorum imagines, sed etiam aliorum, quos imperatores sibi velut aequassent, colebantur. v. Cal. 14. Vitell. 11. Lips. de Mil. Rom. IV. 5. et ad Tacit. Ann. I. 43.

Compendium, i. e. lucrum. Claud. 19. *non minus compendii spe, quam gloriae.* Praemia vero militiae exactae mortuis non debebantur, sicut nec cum caussa missis, ante stipendia completa. v. Calig. 44. et Lips. ad Tacit. Ann. I. 17.

49. *Census*, i. e. patrimonium. Propert. III. 11. 11. *Matrona incedit census induta nepotum.* ubi v. Passerat. Columell. praef. L. XII. *quae grandi pecunia, et totis paene censibus redimuntur.* v. Intt. ad Sil. Ital. VII. 167.

In gratiam. Vavassor de vi et usu verb. p. 154. scribit, hoc genere loquendi Ciceronem, aliosque ante eum scriptores abstinuisse. Sed facile defenditur auctoritate Livii XXVIII. 39. *quorum in gratiam Saguntum deleverat Hannibal.* ubi v. Duker.

In fidem, i. e. in tutelam et defensionem.

50. *Annua*, absolute dicuntur, quae alimentorum caussa in singulos annos praebentur. Seneca de Clem. I. 15. *annua illi praestitit.* ubi v. Lips. de

Gramm.

Gramm. 23. *quamquam ex schola quadragena annua caperet.* Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. p. 553. in *annua* intelligit *aera*, vel *sestertia.*

Per speciem, i. e. sub praetextu.

Partes aequas. Terent. Eun. I. 2. 12.

Quasi, i. e. quemadmodum. Cic. de Senect. 19. *et quasi poma ex arboribus vi avelluntur.* Flor. II. 15. 13. *quasi maxime mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum, sic* etc. ubi v. Duker. Haec ratio valde usitata est huius aetatis scriptoribus.

51. *Decurias*, nempe iudicum. v. notata ad cap. 41.

Albo, i. e. tabulae albo colore inductae, in qua nomina singulorum iudicum scribebantur. v. Claud. 16. Domit. 8. Lips. ad Tacit. Ann. IV. 42. Salmas. de Mod. Usur. p. 678.

Intolerantia morum, i. e. qui ferri non possent. Sic *intolerans* passive dicitur ap. Tacit. Ann. III. 45. ubi v. Gronov.

In antliam, i. e. ut continuo pedum nisu rotam circumagerent, qua per tollenonem aqua hauriebatur. Hoc supplicii genus commemorat Artemidor. I. 50. v. Casaub. ad h. l.

52. *Animi fluxioris*, i. e. mobilis, non constantis. Sallust. Catil. 14. *animi molles et aetate fluxi. Fluere* et *fluxa esse* proprie dicuntur, quae non habent firmitatem, facile dilabuntur. v. Gronov. ad Liv. XXVII. 17.

Vitae remissioris, i. e. negligentis, dissolutae. *Animum omissum* dicit Terent. Heaut. V. 2. 9.

Iustitium est, cum ius stat, cum iurisdictio et iudicia publica non exercentur, ut in publico luctu fieri solebat. v. Gell. XX. 1. et Cal. 5 et 24.

Vicem eorum dolere, i. e. dolere id, quod illis contigit. Supplenda est praepositio *ob* vel *propter.*

v. Sanct. Min. IV. 15. p. 738. *Vicis* proprie est vicissitudo, alternatio fortunae et conditionis, atque adeo ipsa conditio. Cic. ad Att. IV. 6. *ipsius vicem minime dolemus.* Liv. XXVIII. 43. *ut meam quoque vicem videretur sollicitus.* v. Manut. ad Cic. ad Div. IV. 5. et Gronov. ad Liv. I. 9. 25.

Elevare, est leve reddere, verbis minuere. Liv. III. 21. *Vos elevatis auctoritatem vestram.* Phaedr. III. 10. 7. *fabulosam ne vetustatem elevent.* ubi v. Burm.

Caussa mortis. Non modo res, sed etiam persona *caussa mortis esse* dicitur. Ovid. Ep. X. 144. *Sis mihi caussa necis.* Ep. XVIII. 200. *Et mortis, dices, huic ego caussa fui.* v. Oudend. ad h. l.

Per quae, i. e. quare, quapropter. v. Ernest. et Oudend.

Celeberrime, i. e. frequentissime, creberrime, quam vocem libri quidam habent. Ovid. I. ex P. 9. 25. *Vox tamen illa fuit celeberrima.* Ner. 40. *Unde illa vox eius celeberrima.* Hanc vocis vim pluribus exemplis illustrat Oudendorp. ad h. l.

53. *Vocare*, nempe ad coenam.

Arcessere, proprie est facere, ut quis veniat, deinde, facere, ut quis in ius veniat, in ius vocare, accusare. Sallust. Iug. 73. *Metellum omnibus concionibus capitis arcessere.* ubi v. Cort.

Infulciri, i. e. ingeri. Seneca Ep. 24. *quaeris, quid huic epistolae infulserim?* v. Gronov. Obs. IV. 22.

Nefasti dies, proprie sunt, quibus nihil iuris agi licet. Hic autem ponuntur pro religiosis, infaustis; quod prave et perperam fieri scribit Gell. IV. 9. Sed illum ex Horat. III. Carm. 13. aliisque refellit Drakenb. ad Liv. VI. 28.

Im-

Imputavit, i. e. voluit pro beneficio haberi, postulavit gratiae apponi sibi, ut Terentius loquitur. Quae verbi vis frequens est apud Tacitum, aliosque huius aetatis scriptores. Flor. IV. 12. 62. *nihil magis quam longinquitatem viae imputabant.* Plin. Paneg. 20. *quae imputare non possis.* ubi v. Swarz. Ner. 36. *cum nonnulli etiam crimen imputarent.* v. Casaub. ad h. l.

Gemoniae, erant locus iuxta carcerem, in quem corpora strangulatorum abiiciebantur, ubi cum aliquot dies oculis exposita iacuissent, uncis in Tiberim trahebantur. v. inf. 61. Vitell. 17. et P. Fabrum Semestr. II. 9.

Interponere decretum, frequens apud ICtos formula. v. Gronov. Obs. IV. 1.

54. *Perderentur.* Meliores libri habent *proderentur*, quae lectio praeferenda. Nam *prodere* est perdere, summo periculo exponere. Terent. Heaut. III. 1. 70. *prius proditurum te tuam vitam.* Ovid. Ep. XXI. 37. *nunc me certamine vestro Proditis.* v. Gronov. Obs. III. 20. et Intt. ad h. l.

Amarissime, i. e. acerbissime, animo infensissimo. Virgil. Aen. X. 900. *Hostis amare, quid increpitas?* Aug. 70. *singulorum nomina amarissime enumerantes.*

Alimenta subducta, i. e. subtracta.

55. *Incolumes praestitit*, i. e. effecit, ut incolumes essent. v. sup. 33.

Perculit, i. e. afflixit, fortunis et vita exuit. Ner. 35. *Nullum necessitudinis genus est, quod non scelere perculerit.* v. Broukh. ad Propert. III. 63.

Circumveniret, i. e. opprimeret, ad perniciem redigeret. Tacit. Ann. I. 13. *variis criminibus circumventi sunt.*

56. *Acquiescebat*; i. e. delectabatur. Tit. 7. *amicos elegit, quibus etiam post eum principes acquieverunt.*

Molesta, i. e. obscura.

57. *Lenta natura*, est tenax irae, iram alta mente recondens; cui opponitur *agilitas mollitiaque naturae* ap. Cic. ad. Att. I. 17. De hoc ipso Tiberio Tacit. Ann. IV. 71. *gnarus, lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere.* v. Casaub. ad h. l.

Assimulasse, i. e. per similitudinem expressisse. Vulgo scribitur, *similare* et *assimilare*. Sed *simulare* et *assimulare* scribendum esse, docet Gronov. Diatr. Stat. c. VI. p. 36.

Pompeianus fieret, i. e. partium Pompeianarum fortunam subiret, proscriptionem caedemque.

58. *Statuae caput demserat*. Saepe illa aetate antiquis statuis capita detrahebant, et nova imponebant, titulis etiam mutatis: de qua perversa consuetudine v. Lips. ad Tacit. Ann. I. 74. et Casaub. ad h. l.

Vestimenta mutasse. Deorum honori tributum erat, ut in eorum conspectu nihil fieret, in quo esset aliquid obscoenitatis. v. Valer. Max. II. 1. 7. Hoc Tiberius transtulit ad Augustum, in Deorum numerum relatum. v. Casaub. ad h. l.

Existimatione, i. e. sermone, sententia, libero iudicio. Cic. de prov. Cons. 17. *quominus tacitorum existimatione reprehendar.* Liv. IV. 41. *non militis de imperatore existimationem esse:* ubi v. Gronov. Plin. Paneg. 62. *ne respexeris clandestinas existimationes.* ubi v. Intt.

59. *Specie gravitatis*. Omissae sunt voces *non solum*, quarum frequens ellipsis est. Aug. 31. *Sa-*

cer-

cerdotum dignitatem, sed et commoda auxit. Sup. 50. *ut commercio hominum frui vetuerit, sed et peculio fraudarit.* v. Oudend. ad h. l.

Felicem sibi. Alludit ad cognomen *Felix*, quod Sulla assumserat. Aurel. Victor de V. Ill. 75. de Sulla: *Salve puer tibi et reipublicae tuae felix.*

Si vis, frequens est concedendi formula. Ovid. Ep. XVI. 351. *Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum.* v. Burm. ad h. l.

Fidem fecit, i. e. fecit, ut crederetur. Ovid. Met. VI. 566. *Et lacrimae fecere fidem.* v. Ner. 7. Othon. 10. et Drakenb. ad Liv. II. 24.

60. *Erepsisset*, i. e. clanculum adscendisset. Lucan. III. 600. *Dum cupit in sociam Gyareus erepere puppim.* v. Gronov. ad Senec. Phoeniss. 112.

Gratulanti, i. e. Diis gratias agenti. Cal. 6. *expergefactus est gratulantium vocibus.* Vim verbi explicat Perizon. ad Sanct. Min. I. 1. 6. de eius constructione agit Burm. ad Phaedr. IV. 25. 27.

Viridaria, vel *viridia* dicuntur loca, in quibus sunt arbores, herbae et plantae viventes. v. Phaedr. II. 5. 14. et ibi Intt.

Vehebatur, i. e. gestabatur. Claud. 28. *cui lecticа per urbem vehendi ius tribuit.* v. Gronov. Obs. III. 5.

61. *Exequi*, idem est quod *persequi*, accurate et plene narrare, explicare. Valer. Max. VII. 7. 1. *ista ut ordine, quo proposui, exequar.* Galb. 3. *elogia universi generis exequi longum est.*

Exemplaria, i. e. specimina, e quibus cetera cognosci possint.

Cessavit dies, i. e. vacuus fuit. *Dies* vel *tempus* dicitur *cessare*, sed fere addito nomine rei, quae per id tempus cessat et intermittitur. Lucan. IV. 24.

Prima dies belli cessavit Marte cruento. v. Duker. ad Liv. XXXVI. 5.

Ineunte novo anno, i. e. ipsis Calendis Ianuariis: quo die inter sacra et vota peragi solito, nihil triste publice privatimque patrari solebat. v. Tacit. Ann. IV. 70. et ibi Lips. item P. Fabrum Semestr. II. 9.

Propinqui lugerent. Libera republica propinquorum luctus tantum prohibebatur in iis, qui magnorum scelerum, v. c. perduellionis, parricidii, damnati essent. v. Lips. ad Tacit. Ann. VI. 29.

Praecipua, i. e. maxima, insignia.

Abrogare et *derogare fidem* est demere, minuere. Plaut. Trinum. IV. 3. 41. *illis quoque abrogant fidem.* v. Drakenb. ad Liv. VII. 25.

Receptum. Proprium verbum est in iudiciis. Nam praetor dicitur *recipere in reos* vel *recipere nomen*, cum accusatum post delationem inchoatam in reorum numerum refert. Cic. Verr. IV. 18. *cum accipientis nomen reciperetur.* Tacit. Ann. III. 70. *maiestatis postulatum recipi inter reos vetuit.* v. Brisson. de V. S.

Historico. A. Cremutio Cordo. v. Tacit. Ann. IV. 34.

Studere, pro literis operam dare, absolute dixerunt huius demum aetatis scriptores, veteres non item. v. Cellar. Cur. Poster. p. 151.

Vitiatae prius a carnifice. Sic mulieres esse videbantur et plenae annis. v. Tacit. Ann. V. 9. et ibi Lips.

Custodiae dicuntur, qui in carcere custodiuntur. Cal. 27. *custodiarum seriem recognoscens.* Seneca Ep. 77. *unus ex custodiarum agmine.* v. Serv. ad Aen. XI. 184. et Brisson. de V. S.

Copreae, si verbum verbo reddere velis, sunt *stercorei.* Sic autem dicuntur vilissimi et contemtis-

tissimi scurrae. v. Claud. 8. Scalig. ad Fest. v. Scurra, et Casaub. ad h. l.

62. *Veneno interemtum fraude Livillae*, i. e. veneno dato per fraudem Livillae. Notandi duo ablativi, qui hic coniunguntur. Caesar de B. G. VII. 40, *Magna affectus sollicitudine hoc nuncio Caesar*. v. Gronov. Obs. IV. 17. et Intt. ad h. l.

Neque supplicio cuiusquam pepercit, i. e. abstinuit. Terent. Hec. II. 1. 29. *meo labori haud parcens*.

63. *Maiestate*, i. e. divinitate. Seneca Ep. 96. *reddere Diis bonitatem, sine qua nulla maiestas est*. Ner. 1. *in fidem maiestatis*. v. Graev. ad Cic. pro Mil. 30.

Praenestinarum sortium. Intellige oraculum Fortunae in urbe Praeneste, quod responsa dabat per sortes in arca servatas. v. Domit. 15. Lips. Elect. II. 12. et Broukhus. ad Tibull. I. 3. 11.

Relatas. Scribendum e melioribus libris *relata*, scil. *arca*. v. Oudend. ad h. l.

Delegaret plurima assidue, quae illi etc. Ita hunc locum eleganter emendat Duker. ad Liv. III. 38. De verbo *delegare* diximus ad Caes. 56.

Adiutores. Gronov. ad Tacit. Ann. III. 12.

64. *Obsuta lectica*, i. e. velis ubique consutis tecta, ut nec ipsi prospicere, nec ab aliis videri possent.

65. *Aptatis navibus*, i. e. instructis omni armamento, malis, antennis, remis. Liv. XXX. 10. *nautico instrumento aptae et armatae classi*.

Speculabundus signa. Verbalia in *bundus* saepe casum verbi, unde declinantur, adsciscunt. Sisenna apud Gell. XI. 15. *populabundus agros ad oppidum pervenit*. Liv. III. 47. *Haec prope concionabundus circumibat homines*. ubi v. Drakenb.

Signa, i. e. ignes, faces accensae signi dandi caussa. Sic in praedonum adventum ignem e specula aut tumulo sublatum docet Cicero Verr. V. 35. v. Casaub. et Ernest. ad h. l.

66. *Urebant*, i. e. molestia ac dolore afficiebant. Plaut. Bacch. V. 1. 5. *Magis quam id reputo, tam magis uror.* Liv. X. 17. *eos bellum Romanum urebat.* v. Iuret. ad Symmach. V. Ep. 64. et Duker. ad Flor. II. 6. 2.

Laceratus est, scil. conviciis. Sic *conscindi* absolute dicitur apud Cicer. ad Att. VIII. 16. *is me ab optimatibus ait conscindi.* v. notata ad Caes. 75.

67. *Summam malorum*, exquisite dicitur pro summa mala, summam miseriam. Sic apud Ciceronem et Livium, *summa rei*, *summa belli*, *summa imperii*, etc. v. Drakenb. ad Liv. VIII. 26.

Quid scribam etc. Constructio haec est: *P. C. Dii me Deaeque peius perdant, quam quotidie perire sentio, si scio hoc tempore, quid scribam vobis, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam.* Ex quo patet, hunc locum in omnibus Edd. male interpungi. Epistolae huius initium habet etiam Tacit. Ann. VI. 6.

Acerbitas, i. e. odium acerbum. Cic. de Offic. I. 25. *dissensio sine acerbitate.* pro Deiot. 11. *concedatur haec quoque acerbitatis et odii magnitudo.*

Vel elegantissime dicitur, ut non distinguat, sed praecipuum quiddam notet. Cic. ad Div. II. 13. *vel quas proxime acceperam.* ubi v. Manut. VII. 24. *Amoris tui, quoquo me verti, vestigia: vel proxime de Tigellio.*

Temeritas dicitur, quando aliquid fit sine ratione et consilio. Cic. de Off. II. 18. *temeritate remota, gratissima est liberalitas.*

68.

68. *Iusta statura* circiter senum pedum erat. v. Casaub. ad h. l.

Ab humeris, i. e. a parte humerorum. Stat. Theb. IV. 564. *Oppositis Semelen a ventre lacertis.* Frontin. I. 5. 20. *universi a limite obstiterunt.* Hunc praepositionis usum illustrant Gronov. et Drakenb. ad Liv. XXXI. 24.

Talitro, i. e. percussione, quae fit digito. Petron. 96. *caput stricto acutoque articulo percussi.* ubi v. Intt.

Facie honesta, i. e. pulcra; liberali. Terent. Andr. I. 1. 95. *erat forma praeter ceteras honesta et liberali.* Sic *honor* pro pulcritudine apud Virgil. Aen. I. 591. *et laetos oculis afflarat honores.* Contra *inhonestus* est deformis. Terent. Eun. II. 3. 64. *illumne, obsecro, inhonestum hominem.*

Obstipa, i. e. flexa versus humerum cum rigore quodam. Horat. II. Serm. 5. 92. *Stes capite obstipo.* v. Ernest. ad h. l.

Adducto vultu, i. e. in rugas contracto, severo. Seneca Ep. 58. *vultum adducet ad tristitiam.* Capitolin. in Vero 10. *fuit fronte in supercilia adductiore venerabilis.* v. Lips. ad Tacit. Hist. III. 7. et quae notavimus ad Rutil. Lup. I. p. 70.

Molle dicitur, quod facile movetur. Ovid. A. A. I. 595.

69. *Persuasionem* dicit, quam Theologi *fidem*. v. Erasm. ad Luc. Euang. I. 1.

Agi, i. e. regi.

Afflari, i. e. perstringi. Hoc verbum proprie de fulminibus dicitur, quod fulmina non iaciuntur, nisi cum flatu ventorum. Virgil. Aen. II. 649. *Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.* ubi v. Serv.

Plin. Paneg. 90. *utrumque nostrum in proximum iacto fulmine afflaverat.* ubi v. Swarz.

70. *Observare*, primum dicuntur, qui quem officii caussa salutant, deducunt, sectantur: Deinde qui quem quocunque modo colunt. Galba 5. *observavit ante omnes Liviam Augustam.* v. Manut. ad Cic. ad Div. VII. 27. et Ernest. ad h. l.

Morositate, i. e. nimia religione ac diligentia. v. Ernest. ad h. l. et notata ad Caes. 45.

A cura, i. e. adhibita cura. Praepositio *a* interdum caussam significat. Liv. XXX. 13. *ab iuventa incautiorem.* v. Drakenb. ad Liv. XXVI. 1.

Imagines. Veteres solebant doctorum hominum imagines in bibliothecis dedicare. v. Cal. 34. Lips. de Biblioth. 10. et Casaub. ad h. l.

Minois exemplo. Minos cum in ipso sacrificio certior esset factus, filium suum Androgeum caesum esse, tibia inhibita, et corona abiecta, sacrificium peregit. v. Apollodor. III. 14. et Plutarch. T. II. p. 132.

71. *Ἔμβλημα* est, quod alteri rei inseritur ornatus caussa, inprimis sigillum in argento caelato. v. Cic. Verr. IV. 17. Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 46. et Ernest. ad h. l.

72. *Naumachia*, hic ponitur pro loco, ubi pugna navalis ludicra editur. v. Ner. 27. Tit. 7. et Ernest. ad h. l.

Subvehi, est adverso flumine vehi. Virgil. Aen. VIII. 58. *Adversum remis superes subvectus ut amnem.* v. Calig. 15.

Prospectis, i. e. eminus et e longinquo visis. Virgil. Aen. VI. 385. *quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda.* Contra *conspicere* est ex propinquo videre. v. Drakenb. ad Liv. XXII. 6.

Rediens Campaniam. Saepe praepositio ante regio-

giorum nomina omittitur, et contra urbium nominibus additur. Sallust. Iug. 7. *quos Hispaniam mittebat.* Caesar de B. G. III. 7. *cum Illyricum profectus esset.* ubi v. Oudend. Mela III. 9. *Aegyptum tendit.* v. Sanct. Minerv. IV. 6. p. 670. et Gronov. ad Tacit. Ann. II. 59.

Castrensibus ludis, i. e. quos milites stationarii agebant delectationis caussa. v. Ernest. Exc. ad h. l.

Exaestuarat, i. e. ad sudorem usque incaluerat. Caesar de B. C. III. 92. *ut duplicato cursu Caesaris milites exaestuarent.*

Sustentare, absolute dicitur pro durare, perpeti. Liv. XXXIV. 18. *nec, nisi in tempore subventum foret, ultra sustentaturi fuerint.* ubi v. Drakenb. Aegroti vero, qui morbum sustinent, ne decumbant, eleganter *se sustentare* dicuntur. Plaut. Stich. III. 2. 14. *valuistine usque? sustentatum est sedulo.*

Commeatu afuturus, i. e. abeundi venia profecturus. Paullus L. 58. §. 9. D. ex quib. causs. mai. *miles, qui commeatu abest.*

Recumbere, i. e. accumbere. Phaedr. IV. 24. 19. *Rediit hora dicta, recubuit.* ubi v. Gudium.

Instans, pro simplici stans, ut apud Liv. II. 45. *instare instructos.* ubi v. Intt.

73. *Strictim*, i. e. breviter, paucis verbis. Cic. pro Cluent. 10. *cum ea, quae copiosissime dici possunt, breviter strictimque dicuntur.* Mela praef. *Dicam alias plura et exactius: nunc ut quaeque erunt clarissima, et strictim.*

Indice, i. e. delatore. Cic. pro Muren. 24. *Catilinam vallatum indicibus atque sicariis.* Tacit. Ann. IV. 28. *index idem et testis dicebat.* Gronov. ad Tacit. Ann. IV. 59. v. Intt. ad Phaedr. prol. l. III. 45. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Fre-

Fremens, i. e. ira et indignatione accensus: Ovid. Met. IX. 207. *Saepe illum gemitus edentem, saepe frementem.* ubi v. Heins. Claud. 9. *indignante ac fremente Caio.*

Ex tuto, i. e. tuto. Liv. XXVI. 38. *quantum ex tuto poterat, rem Romanam fovebat.* Ovid. A. A. III. 603. *Quae venit ex tuto, minus est accepta voluptas.*

Decimo septimo. Scribendum potius *septimo decimo.* Nam sic veteres malebant, quamvis Livius, teste Prisciano, XVIII. p. 1170. promiscue scripserit *septem decem* et *decem septem.* v. Drakenb. ad Liv. X. 21. et Intt. ad h. l.

Remissione febris. *Remissio* proprie dicitur apud Medicos, cum morbus levior fit, sedatur. Celsus de Medic. III. 3. *saepe febres vix quicquam, vel nihil remittunt.* v. Drakenb. ad Liv. II. 34.

Exemtum annulum. Morientes annulum proximo heredi tradere solebant. v. Nepot. Eum. 2. et Brisson. de Form. VII. p. 592.

74. *Apollinem Temenitem*, i. e. statuam Apollinis positam in Temeno, loco prope Syracusas. v. Cic. Verr. IV. 53. et Intt. ad h. l.

Phari, dicuntur omnes speculae, ad dirigendum cursum navium positae, ad exemplum Phari Alexandrinae. v. Calig. 46. Claud. 20.

75. *Morte laetatus.* Cod. optimus habet *mortem*, eleganti Graecismo pro ob mortem. Saepe *laetor*, *gaudeo*, *doleo*, *moereo* cum accus. construuntur. Apulei. Met. I. p. 65. *quod beneficium etiam illum credo laetari.* v. Intt. ad h. l.

Dii Manes, sunt Dii inferi, sive multitudo animarum vel Geniorum in inferis locis coniuncta. v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 16. p. 824.

In

In decimum diem. Cum Suetonio convenit Tacit. Ann. III. 51. ubi v. Intt. Sed alii scriptores dicunt, spatium temporis inter condemnationem et supplicium triginta dies fuisse: quae quomodo concilianda sint, docet Sirmondus ad Sidon. Apoll. I. 7.

Interpellari, i. e. implorari, appellari ad opem ferendam. v. Brisson. de V. S.

Moveri, i. e. transferri, transportari. Sup. 64. *Nepotes, obsuta lectica, loco movit.*

Atellam deferri volebant, quod nusquam propius esset theatrum, ubi, tanquam damnatus, comburi posset. v. Intt. ad h. l.

76. *Eodem exemplo*, i. e. eadem formula, iisdem verbis. v. Calig. 55. et Ernest. Clav. Cic. v. Exemplum.

Plerisque, i. e. multis. Nepos praef. *Non dubito fore plerosque.*

CALIGULA.

1. *Per leges*, scil. annales. Legitimus quaesturae annus, libera rep. erat XXVII. ex Augusti constitutione XXV. v. Dion. Cass. LII. p. 477. et Lips. ad Tacit. Ann. III. 29. Exc. D. Germanicus igitur quaesturam gessit anno aetatis XX, ut ex eius aetate demonstrat Oudend. ad h. l.

Statim, hic sumendum est ordinis, non temporis ratione. Nam statim consul factus est, aedilitate et praetura praetermissa. v. Intt. ad h. l.

Componendum, i. e. pacandum. v. notata ad Caes. 4.

Expulsus, i. e. extrusus, ut Cicero loquitur. Tacit.

cit. Hist. III. 36. *cum Fabium ad bellum expulisset.* ubi v. Ernest.

Devicisset. Legendum de Lipsii coniectura *dedisset.* Nam ex Tacito Ann. II. 53. patet, Germanicum Armeniis dedisse regem Zenonem.

Tinctum, i. e. infectum, imbutum. Plin. praef. l. XVIII. *tela sua venenis tingit.* v. Bentl. ad Horat. II. Carm. 1. 5.

3. *Virtus*, est omnis vis et praestantia sive animi, sive corporis. Sallust. Catil. 1. *vine corporis, an virtute animi.* v. Perizon. in Curt. vindic. p. 73.

Nemo quisquam, per pleonasmum dicitur, ut *nemo unus* et *quisquam unus.* Terent. Eun. V. 9. 2. *quis me vivit fortunatior? nemo quisquam.* v. Drakenb. ad Liv. III. 12.

Benivolentiam, i. e. benignam et humanam naturam erga omnes. Tit. 8. *Natura benevolentissimus.*

Repleta, i. e. pinguiora facta. Lucan. II. 604. *nisi cum cervice repleta Excussi placuere tori.* ubi v. Burm. Sic *plenus* dicitur pro pingui. Ovid. A. A. II. 661. *Dic habilem, quaecunque brevis; quae turgida, plenam.*

Oravit caussas, i. e. egit caussas in foro. Virgil. Aen. VI. 850. *Orabunt caussas melius.*

Sine lictoribus, ne potestatis insignibus terrorem amicis incuteret. v. Tacit. Ann. II. 53. et ibi Lips.

Cognosceret, i. e. inviseret. Propert. I. 6. 13. *An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas.* ubi v. Passerat.

Inferiae, sunt sacrificia, quae Diis Manibus inferebant. v. Fest. h. v. Constabant fere vino, lacte, unguento, floribus, coronis, etc. v. Kirchman. de Funer. IV. 2.

In-

Innoxius, active dicitur pro nihil nocens. Phaedr. II. 1. 4. *innoxius Viator est deductus in eundem locum.* ubi v. Intt.

Diu vexanti. Bene emendant viri docti *divexanti.* Ner. 34. *neque in divexanda matre quicquam pensi habuit.*

Devotionibus, i. e. carminibus magicis, quibus caput Germanici Diis inferis velut consecrabatur. v. Tacit. Ann. II. 69. Saepe vero *veneficia* et *devotiones* coniunguntur, quod qui carmina ac devotiones adhibebant, his fere venenum addere solebant. v. Duker. ad Liv. Epit. VIII.

More maiorum. Mos erat apud Romanos, quoties amicitia dirimeretur, sollemniter eam renuntiare. v. Tacit. Ann. II. 70. et ibi Lips. Exc. L.

Mandaret. Proprie dicit pro iuberet. Est enim proprium verbum de morientibus, cum dicunt, quid post mortem fieri velint. v. Brisson. de V. S.

4. *Fructum tulit*, i. e. praemium cepit. Nepos Attic. 5. *pietatis fructum tulit. Fructum percipere* est Aug. 28.

Favorabilis, i. e. cui favetur. Ner. 57. *favorabile nomen eius apud Parthos fuit.* Vell. Pat. II. 34. *favorabilem fecit triumphum invidia alterius.*

Pronuntiatum, i. e. publice mandatum. Tib. 58. *quamvis saepe pronuntiasset.*

Effudisse se. Liv. XXXVIII. 6.

5. *Lapidata* sunt templa, quasi Germanicus Deorum culpa periisset. v. Intt. ad h. l. *Lapidare* veteres dicunt pro lapidibus pluere. Suetonii aetate dici coepit pro lapidibus obruere. v. Flor. I. 22. 2. et ibi Duker.

Lares familiares, sunt manes maiorum, quorum ima-

imagines ad focum in atrio stabant. v. Virgil. Aen. IX. 255. et Ernest. Clav. Cic. v. Penates.

Partus coniugum expositi. Quasi propter temporum diritatem ali non possent. Contra rebus laetis liberos tollere cupiebant. v. Senecam de Clem. I. 13. Plin. Paneg. 26. et Intt. ad h. l.

Capita rasisse. In luctu radi et tonderi sollemne erat apud Orientis populos. v. Propert. III. 11. 18. et ibi Broukhus.

Regum regem, i. e. regem Parthorum.

Exercitatione venandi. Quae praecipuum studium erat regis, et procerum. v. Tacit. Ann. II. 2. et ibi Lips.

Megistanes, voce Macedonica, a μέγιστος formata, dicuntur satrapae et proceres Orientis. v. Intt. ad Frontin. II. 9. 5.

6. *Gestire*, est gestu corporis laetitiam vel desiderium significare: unde dicitur pro valde cupere, desiderare. Terent. Phorm. II. 1. 30. *Ipsum gestio dari mihi in conspectum.* v. Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. 11.

Palam factum. Haec locutio proprie pertinet ad funera. Nepos Dion. 10. *Huius de morte ut palam factum est.* Tiber. 22. *Excessum Augusti non prius palam fecit.* Ner. 8. Tit. 11.

Per festos Decembris dies, i. e. per Saturnalia.

7. *Rapi*, proprie dicuntur, qui ante tempus, acerba morte pereunt. Virgil. Aen. VI. 428. *Quos dulcis vitae exsortes, et ab ubere raptos, Abstulit atra dies.* Lactant. III. 17. *alios infantes rapi, alios iam robustos interire.* Eadem vis et proprietas est in verbo *adimi.* Ovid. Met. XI. 331. *Natam delamentatur ademtam.* v. Burm. ad Valer. Flacc. VI. 282.

Fe-

Festivitate, i. e. lepore, venustate. Sic *puer festivus* dicitur a Cicerone ad Att. I. 12. *puellarum omnium festivissima* a Seneca de Mort. Claud. p. 851.

Habitu Cupidinis. Apud veteres dilectorum et dilectarum effigies ad Deorum Dearumque formas pingi et fingi solebant: de quo more v. Gronov. Diatr. Stat. c. VI. et Interpp. ad h. l.

8. *Aras.* Veteres, memoriae conservandae caussa, aram vel templum rei, quam laudari cuperent, statuebant. v. Tacit. Ann. I. 14. et ibi Lips.

Puerperium. Burm. ad Anth. Lat. T. I. p. 78.

Apud hibernas legiones, duriuscule dicitur pro *apud hiberna legionum*, ut ipse loquitur Vesp. 6. Vide Gronov. ad h. l.

Procreatum, i. e. natum, editum.

Gloriosi, i. e. qui captabat gloriam ex inanibus rebus. Terent. Eun. prol. 31. *miles gloriosus.*

Ex urbe Herculi sacra, i. e. Tiburti.

Puellas pueras. Veteres, teste Prisciano VI. p. 696. etiam in feminino *puera* dicebant: unde et puerpera dicitur, quae puerum vel pueram parit. Hinc etiam *puerilis* pro puellaris occurrit ap. Ovid. Met. V. 400. *Tantaque simplicitas puerilibus affuit annis.* v. Intt. ad h. l.

Ducerent. Liv. XXX. 16. Phaedr. I. 19. 7.

Publici instrumenti, i. e. actorum publicorum. v. Intt. ad h. l.

9. *Cognomen traxit*, i. e. accepit. Phaedr. IV. 13. *Adfinitatem traxit inde obscaenitas.* Quinctil. IX. 4. p. 479. *qui nomen ab eo traxit.*

Manipulario habitu, i. e. qualis est militis gregarii in manipulis.

Ablegari, i. e. amandari, dimitti. Liv. I. 35. *sub*

tempus pueros venatum ablegavit. Iustin. I. 5. *ut ablegatus in Persas fuerit.* ubi v. Gronov.

Represso. Optimae notae Codd. habent *reprenso* vel *reprehenso*, i. e. ex itinere retracto. inf. 45. *veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit.* Phaedr. V. 8. 4. *elapsum semel Non ipse posset Iupiter reprehendere.* v. Oudend. ad h. l.

Invidiam deprecati sunt, i. e. odium publicum, quod sibi ex ea re concitaretur, precibus propulsarunt. Verbum *deprecari* illustravimus ad Rutil. Lup. I. p. 29.

10. *Praetextatus etiam. Etiam* est adhuc. Terent. Andr. III. 2. 23. *Non satis me pernosti etiam.* Sallust. Catil. 61. *paullulum etiam spirans.* ubi v. Cort.

Uno atque eodem die. Hoc contra morem Romanorum factum est. Nam toga sumi solebat anno 15, barba poni anno 20. v. Ner. 12. et Lips. ad Tacit. Ann. XIV. 15. Exc. B.

Sine ullo honore, nullum populo congiarium, nullum militi donativum propositum est. v. Ner. 7. et Lips. ad Tacit. Ann. III. 29.

Elicientium. Pro *elicere ad querelas* Cicero de Clar. Orat. cap. 80. dixit *elicere querelas.* v. Drakenb. ad Liv. VIII. 28.

Dissimulatione transmittens, i. e. praeteriens quasi non animadversa. *Transmittere* pro praeterire est etiam Claud. 11. Vesp. 15. Tacit. Ann. IV. 21. *quod, ut atrocius vero, tramissum.* Apud aureae aetatis scriptores non occurrit hoc sensu.

11. *Capillamento*, i. e. coma adscititia. v. Ner. 26. Oth. 10.

Obire, duplicem sensum habet, alterum circumeundi et lustrandi, qui ad ganeas pertinet, alterum per-

peragendi et exercendi, qui ad adulteria. v. Oudend. ad h. l.

Facile pati aliquid dicitur, qui rem non magnopere curat. Cic. pro Rosc. Am. 20. *facile omnes patimur, esse quam plurimos accusatores.* v. Manut. ad Cic. ad Div. I. 9. Similis formula est, *non aegre fero, nihil moror.* v. Casaub. ad Cic. ad Att. XIV. 8.

12. *Deserta*, i. e. orbata. Seneca ad Marc. 15. *Augustus adoptione desertam domum fulsit.*

Desolata, i. e. deserta, et quasi sola relicta. Sic Plin. X. Ep. 97. *templa desolata* vocat, quae nemo adit. v. Gronov. Obs. IV. 21. et Oudend. ad h. l.

Subsidia aulae, munimenta, vel *firmamenta regni* passim dicuntur heredes regni. Tacit. Ann. I. 3. *quo pluribus munimentis insisteret.* ubi v. Lips.

Qui praetorianis cohortibus praeerat, i. e. praefectus praetorii. v. Perizon. de Praetor. p. 237.

Insinuare, proprie est in sinum immittere. Metaphorice *insinuare aliquem* dicitur pro aditum alicui arte quadam aperire ad intimam familiaritatem. Cic. ad Div. IV. 13. *in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo.* ubi v. Manut.

Exequi, i. e. punire, ulcisci. v. notata ad Caes. 66.

13. *Vel dicam.* Eleganter *ut* abest a pluribus MSS. Cic. ad Att. IX. 7. *ne quid turpiter facerem, vel dicam, iam effecissem.* Similiter Liv. XXII. 23. *laeto verius dixerim, quam prospero eventu, pugnatum fuerat.* ubi v. Gronov.

Hominum genus. Sic Romani saepe loquuntur de populo Romano. Flor. IV. 3. 8. *cum Romanae dominationis, id est, humani generis, conversione.* ubi v. Freinshem.

Compotem, refertur ad remotius *populum*: de qua constructione v. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 8. p. 712.

Movit, absolute dicitur pro movit se: v. notata ad Caes. 60.

Inter altaria et victimas. Vetus adulatio est, reges aut principes aris et hostiis excipere. Quem morem illustravit Lips. ad Tacit. Hist. II. 70. sed multo luculentius Casaubon. ad h. l.

Super fausta nomina. *Omina* verissime emendat Gronov. ad Tacit. Ann. I. 35. Aug. 57. *revertentem non solum faustis ominibus, sed et modulatis carminibus prosequebantur.*

Sidus, propter festivitatem. Horat. III. Carm. 9. 21. *Quamvis sidere pulcrior ille est.*

Pullus, contractum ex *puellus*, notat puerum, qui amatur. v. Fest. h. v.

Pupus, est parvus puer, unde deminutivum *pupillus.* v. Varronem ap. Non. Marcell. p. 156. Haec nomina nutriculis usitata erant in demulcendis infantulis. v. Intt. ad h. l.

14. *Voluntate*, i. e. testamento. Phaedr. IV. 4. 31. *quod voluntatem suam Interpretari non potuissent Attici.* ubi v. Intt. Plin. IV. Ep. 10: *custodire defunctorum voluntatem.* v. Brisson. de V. S.

Ius arbitriumque, i. e. libera potestas. *Ius* idem est, quod *arbitrium.* Ovid. Amor. I. 2. 20. *Porrigimus victas ad tua iura manus.* ubi v. Heins.

Depugnaturos se armis, i. e. se pugnam gladiatoriam subituros. Nam stulta erat opinio, mortem morte redimi posse. Unde etiam fluxerunt devotiones Deciorum, Curtii, et aliorum. v. Casaub. ad h. l.

Quique capita voverent. De his votis foedae adulationis plenis vid. Broukhus. ad Tibull. I. 5. 10.

Titulo proposito, i. e. tabella cum inscriptione, quae

quae votum significaret, in publico loco posita. Inf. 32. *praecedente titulo, qui caussam poenae indicaret.* v. Intt. ad h. l.

Aquilas et signa. In qualibet legione erat una *aquila*, sed triginta *signa* manipulorum. v. Lips. de Mil. Rom. IV. 5.

15. *Incendebat*, i. e. incitabat. Tacit. Ann. II. 82. *vulgi sermones audita mors incendit.*

Funerare amplissime, est magnifico funere efferre. Sulpicius Ciceroni IV. 12. *funus ei satis amplum faciendum curavi.* Nepos Eum. 4. *Craterum amplo funere extulit.* ubi v. Bosium.

Scena, i. e. pompa et apparatu, qui incurrit in oculos. Tacit. Ann. XIV. 7. *scenam criminis parat.* Apulei. Met. IV. p. 77. *scenam, quam sponte sumserat, cum animo retinens.* v. Oudend. ad h. l.

Splendidi, proprie dicuntur equites. Nam ut senatui *auctoritas* tribuitur, et de plebe homines *honesti* dicuntur, sic *splendor* proprius est ordinis equestris. Cic. pro Sext. 65. *auctoritatem senatus splendore proximorum ordinum confirmari.* v. Manut. ac Cic. ad Div. I. 3.

Frequenti die, i. e. qui frequens esset hominum undique confluentium turba. v. Casaub. et Ernest. ad h. l. Sic Tacit. Ann. IV. 67. dicit *celeberrimo foro.*

Eo amplius, i. e. praeterea.

Aviae congessit. Usitatius est *in aviam.* Sed cum Dativo hoc verbum etiam struitur Aug. 98. Tit. 11. v. Gronov. ad Senec. ad Marc. 8. et Intt. ad h. l.

Equitem Rom. Equites erant et dicebantur omnes nobiles, antequam magistratus capesserent, aut locum in senatu tenerent. v. Dion. Cass. LIX. p. 907. et Ernest. ad h. l.

 Prin-

Principem iuventutis, i. e. equestris ordinis. Nam equites proprie *iuvenes* vocantur. v. Liv. III. 61. et Lips. Elect. II. 1. Hic autem titulus dabatur Imperatorum filiis et nepotibus, qui in spem successionis educarentur. v. Tacit. Ann. I. 3. et ibi Lips. et quos laudat Drakenb. ad Liv. II. 20.

Neque me liberosque meos etc. Milites sub Impp. ante omnia iurabant in Principis salutem. v. Tacit. Ann. XV. 67. et ibi Lips.

Restituit, nempe in integrum. v. Caes. 41. et 69.

Maneret, i. e. superesset. Cic. ad Div. IV. 6. *Mihi unum manebat illud solatium, quod ereptum est.* Liv. I. 58. *manere his bellum, quod positum simuletur.* ubi v. Intt.

16. *Profundo mergeret.* Cic. Verr. IV. 22.

Esse in manibus, i. e. extare, et legi ab omnibus. Cic. de Senect. 4. *est in manibus laudatio.* Horat. II. Epist. 1. 53. *Naevius in manibus non est.* ubi v. Bentlei.

Sine sui appellatione. v. notata ad Aug. 33.

Qui minore culpa tenerentur, i. e. qui minori culpae obnoxii essent. Ovid. Fast. VI. 455. *quarumque errore tenebar.*

Comitiorum more revocato. Iulius Caesar ius creandi magistratus cum populo diviserat. v. Sueton. Caes. 41. Quem morem per bella civilia et Triumviratum abolitum Augustus revocavit. v. Aug. 40. Tiberius primus omne ius sibi et senatui sumsit, ut nullae omnino populi partes essent. v. Tacit. Ann. I. 15. Augusti vero institutum revocare voluit Caligula, sed mox omisit. v. Lips. ad Tacit. I. 2. Exc. E.

Iuliae Aug., i. e. Liviae, quae Augusti testamento Iuliae nomen ferre iussa est. v. Aug. 101. et quae diximus ad Vell. Pat. II. 71.

Cum

Cum fide, i. e. fideliter. Liv. XXXIX. 7. *pecuniam cum fide et cura solverunt.*

Centesimam auctionum, i. e. numum centesimum, qui ex rebus auctione venalibus in fiscum redigebatur. De hoc vectigali v. Burm. de Vectig. c. V. p. 70. et Intt. ad h. l.

Fructus et *reditus* eandem rem significant. Cic. Parad. VI. 1. *qui exercitum alere posset suis fructibus.* Hic *fructus vectigaliorum* dicuntur, qui veniunt e portoriis, decumis, scriptura: *reditus*, qui veniunt e metallis, tributis, etc. v. Ernest. et Oudend., ad h. l.

Boni exempli, i. e. facti boni et egregii, e quo alii possent exemplum capere.

Clypeus aureus, qui imaginem eius et res gestas contineret. v. Domit. 23. Lips. ad Tacit. Ann. II. 83. Exc. N. et Casaub. ad h. l.

Palilia. Sic appellabatur dies Deae Pali festus, quo Roma condita credebatur. v. Ovid. Fast. IV. 721. et Bronkhus. ad Propert. IV. 4. 71.

Argumentum, i. e. indicium, signum. Cic. Phil. II. 16. *magno argumento est, me in utroque fuisse moderatum.* v. Drakenb. ad Liv. V. 54.

17. *Rescisse.* Proprie utitur hoc verbo. Nam *rescire* est noscere occulta. v. Donat. ad Terent. Hecyr. II. 1. 11. III. 1. 4.

Etiam, i. e. atque etiam, praeterea. Flor. IV. 7. p. 751. *inde pulvere et strepitu, etiam nocte vicina.* ubi v. Duker.

Forensia. scil. vestimenta, quae domesticis opponuntur. v. Aug. 73.

Fascias purpurae ac conchylii, i. e. fascias purpureas et conchyliatas. De quo genitivo v. notata ad Aug. 94. *Fasciarum* varius usus apud feminas

erat. Nam et crura illis vinciebant, quae *crurales* dicebantur, et virginalem papillarum tumorem cohibebant, quae *pectorales*. v. Catull. Carm. LXIII. 65. Ovid. A. A. III. 274. et ibi Heins. inprimis Salmas. ad Lamprid. Alex. Sev. 40.

18. *Catervas pugilum*, i. e. qui catervatim, non singuli cum singulis, pugnarent. *Catervarii* dicuntur Aug. 45. ubi v. notata.

Nocturnos ludos. Lips. ad Tacit. Ann. XIV. 15.

Panaria, i. e. vasa viminea, in quibus panis reponebatur. v. Domit. 4.

Contra se. Supplendum, *accumbenti*, ut inf. 25. *mandasse ad Pisonem contra accumbentem*.

Hilarius avidiusque vescenti, i. e. libentius edenti, ut loquitur Cato de R. R. 157. et Plin. III. Ep. 16.

Partes suas, i. e. portionem sibi appositam. Nam apud veteres sua cuique convivae portio dabatur. Petron. 34. *Ego quidem pene proieci partem meam* ubi v. Intt.

Africanarum, scil. bestiarum. Intellige pantheras, tigres, leones, quibus Africa abundabat. v. Coel. ad Cic. 9. Claud. 21. et Intt. ad h. l.

Chrysocolla, est metallum viridis coloris, quod ad aurum glutinandum adhibebatur. v. Plin. H. N. XXXIII. 5.

Maeniana, sunt tabulata ex aedificiis proiecta, e quibus ludi spectabantur. Festus, aliique grammatici sic dicta tradunt a Maenio quodam, qui, cum domum prope forum venderet basilicam ibi aedificaturis, in lege venditionis columnam excepit, in qua proiiceret tectum, unde ipse cum suis ludos spectaret. At Salmas. ad Spartian. Pesc. Nigr. c. ult. *Maenia-*

miana a moenibus ducit: quod probare non potuit Gesnero in Thes. L. L.

Postulassent. Intellige *ludos*, quos subitos commisit. v. Perizon. ad Sanct. Min. II. 5. p. 190.

19. *Moles* proprie dicuntur opera structa ad vim maris frangendam. Cic. de Offic. II. 4. *moles oppositas fluctibus*. Curt. IV. 8. *vix leni mari moles agi possunt*. v. Lips. ad Tacit. Ann. XIV. 8.

Ultro citro. In hac locutione copula modo additur, modo omittitur. Liv. IX. 45. *oratione ultro citroque habita*. ubi v. Drakenb.

Biduo continenti, i. e. ut nullus dies intercederet. Caesar de B. C. III. 84. *continentibus diebus*. *Continens* saepe dicitur pro continuus. v. Oudend. ad Caes. de B. G. VII. 28. et Drakenb. ad Liv. XXXVII. 40.

Caetra, ut Servius ait ad Aen. VII. 732. est scutum loreum, quo utuntur Afri et Hispani. v. Drakenb. ad Sil. Ital. III. 278.

Quadrigario habitu, i. e. vestitu aurigae quadrigarum. Sic *habitu mendico* pro mendici dixit Apulei. Met. I. p. 16. v. Oudend. ad h. l.

Curriculo, i. e. parvo curru. v. Fest. v. October, et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Famosorum, i. e. nobilium. Nam haec aetas *famosus* in utramque partem dicit, veteres semper in malam. v. Muncker. ad Hygin. Fab. 25. et Duker. ad Flor. III. 7. p. 508.

Prae se ferens, i. e. ante se tenens. Liv. XXXVII. 11. *ignem prae se portabant*.

Ab interioribus aulicis, i. e. qui omnium arcanorum participes essent. Terent. Andr. III. 3. 44. *intimus est consiliis eorum*. Nepos Hannib. 2. *se ab interioribus consiliis segregari*.

Verum nepotem, i. e. naturalem, qui opponitur adoptivo.

20. *Asticos ludos*, Scaliger de Emend. Temp. V. 479. putat similes fuisse Dionysiis urbanis Atheniensium, de quibus copiose diximus in Auctario Emendat. Hesychii v. Διονύσια. Sed praestat de felici Graevii coniectura legere, *iselasticos ludos*, qui sic dicuntur, quod eorum victores εἰσελαύνουσιν, i. e. per partem murorum dirutam, velut in triumpho, in urbem vehuntur. v. Ernest. Exc. ad h. l.

Miscellorum ludorum ratio non satis constat. Forte sic dicti sunt, quod non unius generis erant, sed e variis mixti.

Laudes componere. Sic Phaedrus IV. 24. 5. *laudem scribere*, in quibus *laus* ponitur pro laudatione. v. Duker. ad Liv. VIII. 40.

Obiurgamus non solum voce et verbis, sed etiam ferulis et flagris. Othon. 2. *ut saepe flagris obiurgaretur a patre*. Sic *increpare boves stimulo* dixit Tib. I. 1. 10. *admonere flagello* Columella de R. R. II. 2. *verbere monere* Tacit. Ann. V. 9. vid. Graev. ad Flor. I. 1. p. 19.

21. *Tiburti*. Graev. ad Cic. ad Attic. VIII. 14.

Peractum, i. e. absolutum. Ovid. Ep. V. 41. *classe peracta*. Othon. 6. *peragere domum auream*.

Didymeum, i. e. templum Apollinis Διδυμέως, sic appellati a nomine loci Δίδυμα. v. Strabon. XIV. p. 634. et splendidissimum opus Antiq. Ionicar. nuper in Anglia editum p. 27. seqq.

22. *Cognomen*, non solum significat tertium nomen familiae, a maioribus acceptum, sed etiam nomen, quod quis a fortuna, habitu corporis, vel aliunde accepit. v. Perizon. Anim. Hist. cap. II. p. 67.

Speciem, i. e. externum apparatum, pompam.

Mox

Mox *formam* dicit. Cic. Agrar. II. 13. *habetis speciem ipsam tyrannorum.* ubi v. Graev. et Casaub. ad h. l.

Adeuntibus, i. e. precantibus. *Adire Deos* proprie dicuntur, qui Deos precibus rogant. Albinov. ad Liv. 290. *cur adeo fratres, heu sine fratre, Deos?* ubi v. Heins. Ovid. Fast. II. 191. *canamque adiit Saturnia Tethyn.* ubi v. Burm.

Excogitatissimas, i. e. electissimas, quas nemo invenire poterat, nisi multum cogitando. Gell. V. 10. *captionis versutae et excogitatae frustratus est.*

Iconicum, i. e. quod referret magnitudinem corporis, et lineamenta vultus.

Magisterium sacerdotum, i. e. primum locum inter sacerdotes, quem qui tenerent, *magistri* dicebantur. v. Domit. 4. Lips. ad Tacit. Ann. VI. 12. et Casaub. ad Capitol. M. Anton. 4.

Vicibus, i. e. per vices. Manil. II. 155. *Alternant genus et vicibus variantur in orbem.* v. Drakenb. ad Liv. XLV. 10. et Intt. ad h. l. Ceterum, errat magnus Casaubonus, hinc efficiens, sacerdotia illa non fuisse perpetua, ut fere erant Romae. Sacerdotia perpetua erant, sed non magisteria.

Generatim, i. e. per singula genera.

Praebens aures. Scrib. *praebens aurem*, ut plures MSS. habent. Nam *praebet aures*, qui attente audit: *praebet aurem*, qui illam admovet, ut aliquid insusurretur. Terent. Phorm. V. 6. 29. *aurem admovi, hoc modo sermonem captans.* Hoc discrimen egregie constituit Oudend. ad h. l.

Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ, i. e. *aut me tolle, aut ego te.* Est hemistichium Homeri Il. Ψ. 724. ubi v. Ernest.

23. *Feriis.* Liv. III. 5.

Uly-

Ulyxem stolatum, quae astutia similis sit Ulyxi, sed in matronali habitu.

Indignitas dicitur, cum quis indignis modis tractatur, iniuria, contumelia. Cic. ad Div. VI. 14. *cum omnem illius conveniendi indignitatem sustinuissemus.* v. Drakenb. ad Liv. II. 12.

Honorem habere, perhibere, praestare, frequentes sunt huic aetati locutiones. v. Ner. 9. Stat. praef. l. II. Silv. et ibi Markland.

Immitti, saepe dicuntur, qui mittuntur ad faciendam caedem. Iustin. XXVI. 6. *cui percussores immittuntur.* c. Cort. ad Plin. VI. Ep. 31.

Caussatus, i. e. caussam praetexens. Liv. III. 64. *consensum patrum caussabantur.* v. Drakenb. ad II. 32.

24. *Consuetudinem stupri.* Sic Sallust. Catil. 23. *erat ei cum Fulvia stupri vetus consuetudo.* ubi v. Cort. Saepe *consuetudo* simpliciter sic dicitur.

Infra se, ex more accumbendi apud Romanos, est in sinu suo, *supra se*, a tergo, Cic. ad Div. IX. 26. *accumbebat supra me Atticus, infra me Verrius.* v. Sallust. ap. Serv. ad Aen. I. 698. Lips. ad Tacit. Ann. XI. 2. et Torrent. ad Horat. II. Serm. 8. 18.

Vicissim, i. e. per vices.

In modum, idem est quod ad modum. Liv. XXXVII. 46. *in modum fugientium.* ubi v. Drakenb. Tacit. Annal. XII. 39. *crebra proelia, et in modum latrocinii.*

Capital, est crimen, cui capitis poena est proposita. Liv. XXIV. 37. *praesidio accedere, apud Romanos capital est.* v. quos laudant Ernest. Clav. Cic. h. v. et Oudend. ad h. l. Antiquitus *capitale* scri-

scribebant, postea *capital*, ut *volup* pro *volupe*, *puteal* pro *puteale*.

Profugisset, i. e. repente abisset.

Transcurrisset, i. e. peragrasset.

Deierare, est sancte iurare. Nam *de* in hoc verbo significationem auget. Inf. 27. *quod nunquam per genium deierassent*. Ner. 28. *qui regio genere ortam deierarent*. v. Broukh. ad Propert. IV. 3. 42.

Stupro. Lipsius de conjectura scribit *stupra*, quod praeferendum.

Requisita, sexto casu sumendum. v. Intt. ad h. l.

Elogio, i. e. titulo, sive inscriptione, quae consecrationis caussam declararet. v. inf. 27. et Casaub. ad h. l.

25. *Discernere*. Gronov. Obs. III. 13. verissime emendat *decernere*. Nam *discernere* est distinguere, dirimere: *decernere*, certi quid statuere, iudicare. De horum verborum discrimine v. Gronov. et Drakenb. ad Liv. VII. 9.

Coenae nuptiali. P. Faber Semestr. I. 6.

Usum, i. e. coitum, ut ipse paullo post scribit.

Mandare ad aliquem, saepe est vel literis, vel nuntio misso significare. Flor. III. 3. p. 446. *consulentes, si quid ad uxores suas mandarent*. ubi v. Duker. similiter *mittere ad aliquem* est mittere, qui nunciet. Liv. VI. 10. *Mitti tamen ad principes eorum placuit, ut secernerent se ab Etruscis*. v. Drakenb. ad VII. 31. et Ernest. ad h. l. et ad Tacit. Ann. XIV. 38.

Premere, i. e. tangere manu vel pede. Ovid. A. A. I. 606. *velle latus digitis, et pede tange pedem*.

Matrimonium repertum. *Reperire* et *invenire* nanciscendi notione signata hac in re verba sunt. Terent. Andr. III. 3. 39. *filiae invenies virum*.

Ju-

Iustin. XXVIII. 2. *qui uxores eum non invenirent.* v. Gronov. ad Senec. Contr. III. p. 269.

Consulari, nempe legato.

Lasciviae perditae, i. e. quae emendari non posset. Plaut. Menaech. II. 1. 44. *homo iracundus, animi perditi.* Nepos Dion. 6. *cum filium vellet revocare ad virtutem a perdita luxuria.*

Incesseret, i. e. invaderet, appeteret. Terent. Eun. IV. 3. 6. *ut ego unguibus illi in oculos involem venefico.*

26. *Frigidum*, in oratione dicitur, quod ineptum est, non commovet animum legentium. Cic. Orat. 36. *vitabit ridicula quaesita, quae plerumque sunt frigida.* v. Schulting. ad Senec. Contr. I. p. 114. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Adiutores imperii, qui eum adiuverant in imperio consequendo. Cic. pro Flacc. 1. *socio atque adiutore consiliorum meorum.*

Persoluta est, tanquam praemium.

Pluteus, est tabula, vel fulcrum a tergo eius, qui infimus accubabat. v. Martial. VIII. 33. et Gesner. Thes. L. L. h. v.

Ad pedes, i. e. ad imam partem lectuli, ubi servi ministrantes stabant. Galba 22. *ut reliquias iuberet spargi ad pedes stantibus.* v. Intt. ad h. l.

Succinctos linteo. Hic erat habitus ministrantium ad mensam. Phaedr. II. 1. 11. *Ex alticinctis unus atriensibus.* ubi v. Burm.

Summa potestate, i. e. *consulibus.* Hoc decus consulum nomini mansit usque ad ultimos fere Imperatores, ut Casaubon. ad h. l. docet.

Gratuita in circo loca. Erant in spectaculis loca quaedam, quae sine mercede occupari licebat: pro aliis dabatur merces, quam veteres *locar* dicebant.

In-

Inde *locarii* ap. Martial. V. 25. qui loca spectatoribus dissignabant. v. Lips. de Amphith. 15. et Graev. ad Cic. pro Muren. 32.

De media nocte, i. e. post mediam noctem. Cic. pro Sext. 35. *de multa nocte vigilare.* Horat. I. Ep. 2. 32. *ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones.* v. Gronov. Diatr. Stat. cap. 48. p. 319. Intt. ad Liv. IX. 44. et ad Phaedr. III. 10. 20.

Caussam discordiarum serens, i. e. occasionem discordiis praebens. Liv. IV. 2. *ut discordias serentes concitent finitima bella.* ubi v. Drakenb.

Decimas. Haec vox nullum sensum habet, et varie tentatur ad Interpretibus, quos videte.

Equestria, scil. loca. Sic. Domit. 4. *popularia* absolute dicuntur. v. Lips. de Amphith. 14.

Reductis velis. Vela in amphitheatro super spectantium capita tendebantur, ut sol et pluvia arceretur. v. Plin. H. N. XIX. 1. et Ernest. ad h. l.

Pegmares. Pegma in ludis est lignea quaedam moles, quae machinis attollebatur et deprimebatur. In hoc pegmate producebantur gladiatores, ut pugnam inter se committerent, et spectati a populo, solutis pegmatis compagibus, in foveam deciderent. Ita hunc locum interpretatur Casaubonus. Sed res non satis certa. v. Lips. Saturn. II. 14. de Amphith. 22.

Indixit, i. e. imposuit, induxit. v. Ernest. ad cap. 41.

27. *Ex noxiis annotavit*, i. e. adscripsit nominibus noxiorum.

Elogio, i. e. annotatione criminis. v. sup. 24. Casaub. ad h. l. et Perizon. ad Aelian. V. H. XIV. 43.

A calvo ad calvum duci. Cum forte in turba noxiorum duos extremos calvos esse videret, omnes, qui starent inter duos calvos, duci iussit. *Duci* sim-

simpliciter dicitur pro ad supplicium duci. Seneca Ep. 4. *victor te duci iubebit.* Flor. III. 21. 28. *morte damnati duci iubentur.* ubi v. Duker.

Verbenatum infulatumque, i. e. ornatum verbena et infulis, tanquam victimam piacularem. v. Serv. ad Aen. III. 57. *verbena* est herba sacra: *infulae*, fasciae, quae circum caput ligabantur.

Quadrupedes, i. e. ut quadrupedis instar manibus pedibusque consistere cogerentur. Terent. Andr. V. 2. 24. *quadrupedem constringito.* Ner. 48. *quadrupes, per angustias effossae cavernae, receptus.*

Serra dissecuit. Familiare orientalibus populis supplicium. v. Casaub. ad h. l. et Gataker. Advers. Post. 45.

Quod nunquam per genium suum deierassent. Probabile est, illos Christianos fuisse. Nam, ut Tertullian. Apol. 32. ait, non per genios Caesarum, sed per salutem eorum, iurabant. Sunt tamen numi Imperatorum Christianorum cum inscriptione GENIO AVG. ut Torrent. ad h. l. ostendit.

Excusanti valetudinem, i. e. pro caussa afferenti valetudinem. Claud. 6. *excusante Tiberio imbecillitatem eius.* v. Perizon. ad Sanct. Min. III. 2. 11. et Intt. ad Iustin. XVIII. 7.

Curatorem munerum. v. Lips. Saturn. I. 14. de Amphith. 15.

Catenis. Catomis erudita coniectura legit Gronov. Obs. IV. 3. *Catoma* proprie sunt verbera humeris sive scapulis imposita: unde verbum *catomidiare* pro catomis caedere, ap. Petron. 132. ubi v. Intt. Sed melius est, vulgatam lectionem tenere.

Inducere, proprium verbum de his, qui exhibentur in scena vel arena. v. Claud. 48. Domit. 4.

28.

28. *Artus*, i. e. iuncturas membrorum. Plin. H. N. XXXI. 6. *luxata corpora in artus redeunt.*

29. Ἀδιατρεψίαν, i. e. animum rigidum, qui neminem revereatur. v. Casaubon. ad h. l.

Parum esset, i. e. non sufficeret. Liv. XXXVIII. 54. *parum fuisse, non laudari Africanum, nisi etiam accusaretur.* Sic etiam dicitur *parum habere.* Sallust. Iug. 31. *haec facinora impune suscepisse, parum habuere.* ubi v. Cort.

Rationem se purgare, i. e. se noxiis commeritas poenas tribuere. *Purgare rationes* proprie est expedire, explicare. Cic. ad Att. XII. 12. *de dote tanto magis perpurga.* v. Cuiac. Obs. XI. 9. Graeci similiter dicunt ἐκκαθαίρειν λογισμόν. v. Casaubon. ad h. l. et Cel. Hemsterhus. apud Arnald. in add. ad Var. Coniectur.

30. *Tragicum.* Accii est, non Ennii, ut putat Pearc. ad Cic. de Offic. I. 28. v. Cicer. Phil. I. 14. et ibi Intt.

Devotum, i. e. nimis deditum. Phaedr. IV. 4. 6. *Devotam vino tertiam, et turpissimam.*

Faventi adversus studium suum, i. e. applaudenti alii factioni, quam cui ipse studeret. In circo quatuor aurigarum factiones erant, a coloribus vestium appellatae, alba, prasina, veneta, rubea, vel russata. *Prasinae* favebat Caligula. v. inf. 55. Ner. 22. et ibi Torrent.

Postularetur, scil. ad pugnam gladiatoriam. Principes ipsi proprios gladiatores alebant, qui saepe a populo, tanquam muneris auctarium et ornamentum, postulabantur. v. Domit. 4. et Lips. Saturn. II. 16.

Retiarii, sunt gladiatores, qui adversarium reti implicabant, et implicitum fuscina confodiebant. v. Claud. 34. et Lips. Saturn. II. 8.

Secutores, sunt gladiatores, qui retiarium insequebantur, gladium et clypeum habentes. v. Lips. Saturn. II. 7.

Deflevit, i. e. deploravit, miseratus est. Senec. ad Marc. 26. *illo ingenio, quo civilia bella deflevit.* v. Freinshem. Ind. Curt. v. Deflere.

31. *Insignirentur*, i. e. insignia fierent. Tacit. Ann. XVI. 13. *facinoribus foedum annum etiam Dii morbis insignivere.*

Spectaculorum, i. e. locorum, e quibus ludi spectantur, sive sedilium. Frequens vox hoc sensu apud Suetonium, ut inf. 35. 36. Claud. 6. ubi vid. Oudendorp.

32. Ante *miles* excidit *et.*

Decollandi. Hoc supplicii genus ignotum priscis Romanis, demum sub Imperatoribus natum est cum ipso verbo *decollare.* Lucan. VIII. 673. *nondum artis erat caput ense rotare.* v. Lips. ad Tacit. Ann. XV. 66.

Mirmillo, est gladiator, Gallica armatura instructus, et piscis insigne in galea gerens, unde et nomen accepit. v. Fest. h. v. Lips. Saturn. II. 10. et Vales. ad Amm. Marcell. XXIII. 6. p. 417.

Rudibus, i. e. gladio ligneo. v. Liv. XXVI. 51. et ibi Gronov.

Batuere, proprie dicuntur, qui rudibus se ad pugnam exercent. Ipsa exercitatio vocatur *batualia*, unde Gallica vox *bataille.* v. inf. 54. Lips. Saturn. I. 15. et Salmas. ad Spartian. Hadrian. 26.

Admota victima. Victima proprie dicitur *aris admoveri.* Virgil. Aen. XII. 170. *Admovitque pecus flagrantibus aris.* Ovid. Met. XIII. 753. *postquam crudelibus aris Admota est.* v. Lips. ad Tacit. Ann. II. 69. et Drakenb. ad Liv. XLV. 27.

Suc-

Succinctus. Ministri in sacris *succincti* erant i. e. ut Servius exponit ad Aen. XII. 120. alio corpore nudo, ab umbilico ad pedes involuti veste, quae *limbus* dicebatur. Propert. IV. 3. 62. *Succinctique calent ad nova lucra popae.* v. Brisson. de Form. I. p. 11.

Cultrarius est, qui victimae collum cultro secat. v. Serv. ad Aen. IV. 248. et Lutat. ad Stat. Theb. II. 463.

33. *Etiam in gemitu*, i. e. licet gemat. Haec vis est in particula *etiam.* Quinctilian. Decl. III. p. 70. *mores etiam Germanis feri.* ubi v. Burm.

Demetur. Viri docti eleganter legunt *demetetur*, quod proprium hac in re verbum est. Ovid. Met. IV. 105. *Demetit ense caput.* ubi v. Heins. Plura Oudend. ad h. l.

34. *Dicens*, poterat abesse.

Ne qui respondere possint praeter eum. Sic potius legendum, quam *ne quid.* Sensus est: se effecturum, ut sua responsa, non ICtorum, sint certa iuris regula. Sed locus nondum persanatus videtur. v. Intt. ad h. l.

35. *Torquato torquem.* Spanhem. de U. et P. N. VI. p. 525.

Percussit. Scribendum, *perculit*, i. e. evertit. v. Intt. ad h. l.

Convertere in se aliquem dicuntur, in quibus insigne et singulare aliquid est, quo aliorum oculi et animi in eos convertantur. Vesp. 4. *proximas quoque provincias convertit in se, correcta castrorum disciplina.* Tit. 5. *missus ad gratulandum, quaqua iret, convertit homines.* v. Duker. ad Liv. XXIV. 4.

Abolla, formatum e Graeco ἀναβολὴ, est genus vestimenti militaris. v. Non. Marcell. p. 538. Philo-

losophis etiam hanc vestem tribuit Iuvenalis III. 115. v. Perizon. ad Aelian. V. H. VII. 9.

Threx dicitur gladiator, armis Thracicis instructus. v. Fest. h. v. et Lips. Saturn. II. 9. Hoc gladiatorum genus veteres potius *Threces*, quam *Thraces* dicebant. v. Oudend. ad h. l.

Hoplomachus est gladiator graviori armatura instructus. v. Martial. VIII. Ep. 74. et Lips. Saturn. II. 11.

Comparavit. *Comparari* proprie dicuntur gladiatores, cum paria illorum deliguntur, sive cum constituitur, quis cum quoque contendat. v. Cic. ad Div. II. 8. et ibi Manut. Quae ratio etiam ad aliorum comparationem venuste transfertur. Cic. pro Quinct. 1. *ut ego cum patrono disertissimo comparer.* Liv. XXX. 28. *Scipio et Hannibal, velut ad supremum certamen comparati duces.*

Pannis obsitum, i. e. indutum veste consuta e pannis. Est locutio Terentiana ex Eun. II. 2. 5.

Nemorensis rex, dicebatur sacerdos Dianae in nemore Aricino cultae. Is erat servus fugitivus, neque hoc sacerdotium obtinebat, nisi priorem sacerdotem, ad pugnam provocatum occidisset: quod quotannis fieri licebat. v. Strabon. V. p. 366. Ovid. Met. XIV. 331. et ibi Heins. item Gorium ad Mus. Guarnacc. p. 61.

Essedarius est gladiator, qui ex essedo pugnat. v. Claud. 21. et Lips. Saturn. II. 12.

Praeceps iret. Non opus est corrigere *rueret*, ut placet viris eruditis. Catull. Carm. 17. *Ire praecipitem in lutum per caputque pedesque.* v. Duker. ad Div. II. 46.

Tribuentem, pro tribuere, participium pro infinitivo. Cic. pro Coel. 11. *aliquot in caussis eum vi-*

videram frustra litigantem. Nepos Datam. 9. *ut concurrentes insidiatores animadvertit.*

36. *Contubernium*, proprie est convictus in eodem domo. Sed aliquando obscoeno sensu sumitur, ut h. l. Caes. 49. *pudicitiae famam nihil, praeter Nicomedis contubernium, laesit.*

Placitam, i. e. gratam, placentem. Iustin. XVIII. 3. *regem placitissimum Diis.* Stat. Theb. XII. 302. *cultrix placitissima nostri.* ubi v. Gronov.

37. *Nepotinis sumtibus*, i. e. effusis, immodicis. *Nepos* dicitur prodigus, quod nepotes ab avis educati, indulgentius habentur, et dissolutius vivunt, ut Festus in h. v. putat. Quanquam Casaubon. ad Pers. Sat. VI. 198. aliam huius nominis rationem affert, quem videte. In nonnullis MSS. legitur *nepotatus sumtibus*, sensu non diverso. Voce *nepotatus* utitur Plin. H. N. IX. 55.

Ingenium, proprie dicitur de illis, qui nova et inaudita excogitant, inprimis in luxuria. Petron. cap. 119. *Ingeniosa gula est.* ubi v. Burm.

Hominem frugi, i. e. moderatum, temperantem. v. Cic. Tusc. Disp. III. 8. et ibi Davis.

Deceres, i. e. decemremes. Sic *trieres*, *hexeres*, *septeres* dicuntur. v. Intt. ad h. l.

Gemmatis puppibus. Puppes pingi solebant, quia Dei tutelaris imaginem exhibebant. v. Virgil. Aen. V. 663. et ibi Heins.

Versicoloribus, i. e. tinctis, quae nativum colorem amiserant. Barbari vulgo dicunt *diversicoloribus*, quae vox non est Latina. v. Heins. ad Ovid. Met. XI. 610.

De die, i. e. medio die, ante legitimam horam coenae, quae erat hora nona. Terent. Adelph. V. 9. 7. *apparare de die convivium.* Liv. XXV. 23. *tem-*

 pus,

pus, *quo de die epulatis iam vini satias esset.* ubi v. Intt. Tale convivium veteres *tempestivum* dicebant, non *intempestivum*, ut non pauci putarunt. v. Salmas. ad Vopisc. Florian. 6. et Graev. ad Cic. de Senect. 14.

Infesto mari, i. e. ubi aestus maris vehementissimus.

Vertente anno, i. e. finito, integro, cuius scil. cursus natura vertitur eodem, ubi incepit.. Nepos Agesil. 4. *quod iter anno vertente confecerat.* Cic. pro Quinct. 12. *petisses anno vertente sine controversia.* ubi v. Intt.

38. *Auctionum.* Boni principes aliquando rerum supervacuarum auctionem faciebant, ut publicae necessitati succurrerent: Caligula ex huiusmodi nundinatione lucrum captabat. v. Plin. Paneg. 50. et ibi Swarz.

Deflebat. Hanc lectionem explicare conantur Intt. ad h. l. et Gesner. ad Claudian. II. in Eutrop. 191. Sed vera videtur Lipsii ad Tacit. Hist. II. 54. coniectura *difflabat.* Quo gestu exprimitur habitus contemnentis et respuentis. Lipsianam lectionem Casaubonus Graecorum scriptorum exemplis confirmat.

Mactea, est cibus delicatus, a Graeco *ματτύα*, quod a *μάττειν*, *subigere.* v. Athenaeum XIV. p. 663.

Conficiendum. *Conficere summam* dicuntur, qui ex multis parvis summis unam magnam faciunt. Nepos Epam. 3. *eamque summam cum faceret.*

Consideret, tanquam iudex. Nam iudices proprie dicuntur *sedere.*

Excitabatur, i. e. surgebat.

Subiicere, absolute dicitur pro *praeconis voci* privatim, vel *hastae* publice *subiicere.* Tit. 8. *subiici*

iici ac venire imperavit. v. Duker. ad Flor. II. 6. p. 322. et Ernest. ad h. l.

Liceri dicitur emtor, qui pro re, quae venditur, pretium promittit. v. Caes. 20. Unde *polliceri*, quasi *proliceri*, in genere est promittere. Sed aliquando etiam venditor dicitur *liceri*, ut h. l. Plin. H. N. XXXV. 10. *quanti licitaretur opera effecta.* ubi v. Gronov.

39. *Damnatarum sororum ornamenta.* Palmaria est emendatio Cl. Oudendorpii: *damnatorum sociorum ornamenta.* Nam Dio Cass. LIX. p. 925. scribit, Caligulam bona provincialium, quos damnasset, vendidisse. *Ornamenta* sunt pretiosi apparatus militares. Tit. 9. *ornamenta pugnantium.*

Occurrere, exquisite dicitur pro in tempore venire, die dicto praesto esse. Ovid. IV. ex P. 9. 3. *Missaque Di faciant Auroram occurrat ad illam.* Liv. XXI. 61. *ad primum adventum Romanorum occursurus.* v. Gronov. ad Senecae II. Controv. 11. Graev. ad Coelii Ep. 8. et Intt. ad Liv. XXXVI. 24.

Occurrere ad vadimonium. Qui se sistit vadimonio promisso, proprie dicitur *ad vadimonium occurrere, vadimonium sistere, obire:* qui se non sistit, *vadimonium deserere.* v. Sigon. de Iudic. I. 20.

Caussa caderent. Caussa est quaecunque controversia forensis: quam qui perdit, *caussa cadere* dicitur. Cic. ad Div. VII. 14. *minus multi iam, te advocato, caussa cadent.* Othon. 5. *an in foro sub creditoribus caderet.* v. Brisson. de Form. V. p. 366.

Distrahendo, i. e. vendendo. Vesp. 16. *coëmendo quaedam, ut pluris postea distraheret.* v. Brisson. de V. S.

Lenocinii, i. e. falsae commendationis. Claud. 7. *secundam existimationem omnibus lenociniis colligente.*

 Co-

Copiam faceret, i. e. daret potestatem habendi. Virgil. Aen. I. 520. *coram data copia fandi.*

Vocatoribus, i. e. servis, qui convivas ad coenam invitabant. v. Torrent. ad h. l.

Frivoli, i. e. vilissimae rei. Seneca de Tranqu. animi, 1. *nec inter illa frivola mea tam altus incedo.* ubi v. Lips.

40. *Exuberabat*, i. e. uberius erat. Virgil. Georg. II. 516. *pomis exuberat annus.*

Statumque. MSS. plures habent *statutumque*, quod melius est vulgato. Nam *statum* dicitur, quod ab antiquo tempore definitum et sollemne est; *statutum*, quod nuper decretum et constitutum. De horum verborum discrimine adeundus Oudend. ad h. l.

Concipere est certa ac sollemni verborum formula aliquid comprehendere.

Donasse negotium, i. e. a lite, quam intentaverat, sponte destitisse.

Captura, proprie est merces artium sordidarum et obscoenarum. Seneca I. Contr. 2. *pretia stupri accepisti, et manus capturas tulit.* ubi vid. Schulting. inprimis Casaubon. ad h. l.

Tenerentur publico. Publicum est aerarium, non vectigal, ut accipiunt Lips. ad Tacit. Ann. XIII. 51. et Brisson. de V. S. Liv. V. 50. *cum in publico deesset aurum.* ubi v. Duker. *Publico teneri* dicuntur, quibus lege necessitas imposita est vectigalis aerario solvendi. v. Ernest. ad h. l.

Meretricium, nove dicitur pro meretricum arte et vita. Sic in glossis veteribus *meretricium* exponitur ἑταίρησις. v. Oudendorp. ad h. l.

41. *Scripturae.* Atqui nulladum erat scriptura, sed postea demum lex proposita est minutissimis li-

literis. Locus igitur videtur in mendo cubare.

Commissa, i. e. delicta contra legem. Sic *committere* simpliciter est peccare. Cic. Div. in Caecil. 5. *quae tu sine Verre commisisti.* Eodem modo *admissa* dicuntur.

Instructis. Instruere domum est supellectile ornare. Nepos Ages. 10. *Sic domus erat instructa.* Inde *instrumentum* dicitur pro supellectile. Iustin. XV. 1. *Demetrii privatum omne instrumentum ac familiam reddidit.* v. Aug. 73. et Heins. ad Ovid. Fast. II. 316.

Cellae, proprie dicuntur meretricum mansiunculae. Martial. XI. Ep. 46. *Intrasti quoties inscriptae limina cellae.* v. Torrent. ad h. l.

Adiuvantium. Iuvare et *adiuvare* saepe est lucra et reditus alicuius augere. Terent. Hecyr. III. 5. 10. *qui sic sunt, haud multo heredem iuvant.* Vesp. 19. *ut macellarios adiuvaret.* v. Gronov. ad Liv. IV. 50. et de P. V. IV. 3.

Onera, i. e. sumtus. Vesp. 12. *cum in explicandis oneribus haereret.*

42. *Collationes*, i. e. munera gratuita et voluntaria. v. Aug. 57.

In alimoniam, i. e. unde aleretur. Terent. Adelph. III. 3. 17. *dedit in sumtum dimidium minae*, i. e. unde sumtum faceremus. De hoc usu praepositionis *in* est egregia annotatio Gronovii ad Senec. de Benef. II. 10.

Captandas, i. e. accipiendas.

43. *Numero Batavorum.* Hi custodes sine discrimine modo Batavi, modo Germani appellantur. v. Lips. ad Tacit. Ann. XIII. 18.

Excitis, i. e. evocatis. Liv. IV. 9. *plebs ad expugnandam Ardeam Volscos excivere*, ubi v. Dra-

 kenb.

kenb. Lucan. VII. 361. *quantas in proelia nunquam Excivere manus.* ubi plura Oudend.

Acerbissime actis, i. e. ut nulli militiae gratia fieret. Claud. 35. *scrutatores apposuit acerbissimos*, i. e. qui nihil intactum relinquerent. Cic. Verr. II. 19. *quam impudenter, quam acerbe illa bona direpta sunt.* ubi v. Graev.

Quanto nunquam. Sic potius leg. quam *quantum.* Nam saepe relativum, Graecorum more, eodem casu ponitur, quo praecedens substantivum. Terent. Heaut. I. 1. 35. *hac caussa, qua dixi.* Liv. I. 29. *raptim, quibus quisque poterat, elatis.* v. Burm. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. XXII. 10.

Octophoro, i. e. lectica, quae ab octo lecticariis gestabatur. v. Lips. Elect. I. 19.

44. *Maturis*, i. e. senioribus, et mox missionem adepturis. Ovid. Met. X. 36. *cum iustos matura peregerit annos.* v. Bentl. ad Horat. A. P. 157. et Davis. ad Cic. de Divin. I. 18.

Consummaturi, nempe militiam. Sic *consummati milites* dicuntur emeriti ap. Frontin. IV. 3. 12. et *consummatio gladiatorum*, cum iis missio datur, apud Plin. H. N. VII. 7. v. Gronov. ad h. l.

Cupiditate, pecuniae, ut saepe. Galb. 14. *Vinius cupiditatis immensae.* Flor. III. 11. §. 2. *cupiditas Crassi, dum Parthico inhiat auro.* ubi v. Duker.

Magnificas literas, i. e. iactantiae plenas. Terent. Eun. IV. 6. 3. *usque adeo illius ferre possum magnifica verba.* Liv. XXXVII. 10. *ut verba magnifica rebus confutaret.*

Speculatores. De *speculatoribus* diximus ad Aug. 74. Per hos literae mitti solebant. v. Tacit. Ann. IV. 41. et ibi Lips.

De

45. *De custodia*, i. e. qui habebantur in custodia.

Equitum praetorianorum. P. Faber Semestr. I. 1.

E literario ludo. Perizon. ad Aelian. V. H. III. 21. credebat, hunc ludum in castris fuisse. Sed verisimilius est, in loco aliquo castris vicino fuisse, ut placet Dukero in Misc. Obs. III. p. 89.

In catenis, i. e. catenatos. de Rhet. 3. *dicitur ostiarius in catena fuisse*.

Sicut erant, i. e. eo habitu, quo erant induti. Claud. 9. *sicut vestitus advenerat*. Othon. 8. *sicut erant cruenti*. v. Intt. ad Flor. III. 10. p. 531. et Markland. ad Stat. Sylv. II. 3. 33.

46. *Perpetrare* vel *patrare bellum* est perficere, ad finem perducere. Sallust. Iug. 19. *uno die coeptum atque patratum bellum*. v. Drakenb. ad Liv. XLII. 30.

Altissimam turrim. Haec turris excitata creditur apud Catvicum non longe ab arce Britanica, et piscatoribus adhuc dicitur Kalstoren, i. e. turris Caligulae. v. Cannegieter. Diss. de Britenburgo cap. VIII.

47. *Galliarum procerissimum*, i. e. Gallorum. Nam saepe regio pro incolis ponitur. Tacit. Ann. VI. 19. *Marius, Hispaniarum ditissimus*. v. Gronov. ad Liv. VIII. 11. IX. 41.

Seposuit, i. e. reservavit. Phaedr. IV. 4. 21. *Seposuit moechae vestem*.

Procuratoribus. Sub Imperatoribus duplicis generis procuratores erant, alii qui rem privatam, rationesque pecuniae principalis curarent; quales hic intelligendi: alii qui in provincias minores, vice praesidum, mitterentur. v. Lips. ad Tacit. XII. 60. Exc. B. et Brisson. Select. Antiqu. III. 18.

In omnium bona ius haberent, i. e. liberam potes-

estatem. Ovid. Ep. IV. 12. *in dominos ius habet ille Deos.* v. Heins. ad Ovid. Amor. I. 1. 5.

48. *Obsidere aliquem*, est sic clausum tenere, ut exire non possit. Cic. Phil. VII. 5. *armis aut obsedit, aut exclusit Senatum.* Unde *obsidio* dicitur pro captivitate. Iustin. II. 12. *Quin vos in nostra castra ex ista obsidione transitis?* ubi v. Vorst.

Praecipiti cogitatione, i. e. temerario consilio.

Vocatas inermes. Minus recte cepit P. Faber Semestr. I. 18.

Profugit concionem, pro, e concione. Quae constructio saepe occurrit. Columella I. 3. *sedes suas profugiunt.* Curt. X. 2. *servi dominos profugere.* v. Gronov. ad Senec. Agam. 121: et Intt. ad h. l.

Deflexa, i. e. translata, conversa.

Ad avertendos, scil. a se. Liv. III. 1. *Invidiam rei a tribunis in consulem averterant.* ubi v. Drakenb. Tacit. Ann. IV. 55. *Caesar, quo famam averteret, adesse frequens Senatui.* ubi v. Intt.

49. *Verberans*, manu pulsans. Horat. Epod. XVI. 12. *urbem Eques sonante verberavit ungula.*

Civis, nomen quam honorificum sit, docet Broukhus. ad Propert. III. 9. 55.

Electissimo, i. e. praecipuo. Supr. 18. *pugilum electissimorum.*

Index, i. e. titulus, inscriptio, ut de Gramm. 6.

Notae, non sunt discrimen, quod inter duos eiusdem nominis intercederet, ut exponit Burm. ad Virgil. Aen. III. 444: sed crimina eorum nominibus apposita: quales notas censores eorum nominibus, quos notarent, apponere solebant. v. Claud. 16. Vitell. 8. et Oudend. ad h. l.

Destinare, proprie dicitur de damnatis. Virgil. Aen. II. 129. *et me destinat arae.* Iustin. VIII. 3.

fra-

fratres olim destinatos supplicio tradit. v. Schulting. ad Quinctil. Decl. XVI. 4.

Eiecit. Hoc verbum proprie dicitur de iis, quae fluctibus in litus expelluntur, inprimis de naufragis. Terent. Andr. V. 4. 20. *navi fracta ad Andrum eiectus est.* Virgil. Aen. IV. 374. *Eiectum litore, egentem Excepi.* v. Gronov. ad Senec. III. Contr. 16.

50. *Corpore enormi*, i. e. quod iustam normam, vel proportionem non haberet. Vitell. 17. *erat in eo enormis proceritas.*

Hirsutus cetera. Cetera absolute dicitur pro quod ad cetera membra attinet. Horat. I. Ep. 10. 3. *cetera paene gemelli.* ubi plura exempla habet Bentlei.

Criminosum habebatur, i. e. crimen erat. Cic. pro Ligar. 2. *quod si est criminosum, necessitatis crimen est.*

Vultum efferabat, i. e. ad feritatem et terrorem componebat. Liv. II. 23. *capilli efferaverant speciem oris.* v. Drakenb. ad v. 33. et Oudend. ad h. l.

Valetudo ei non constitit, i. e. non integra, non illibata fuit. Tib. 2. *si sibi pudicitia constaret.*

Colligere se, i. e. animi corporisque vires quasi contrahere, ut se sustineret. Cic. Tusc. Disp. IV. 36. *quid est se ipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursus in suum locum cogere.* Iustin. XXXIII. 2. *at ille citius corpore collecto, magnas strages edidit.* v. Intt. ad Frontin. IV. 5. 17.

Sufferre, i. e. suis viribus, sine adminiculo, stare. Virgil. Aen. II. 492. *neque ipsi custodes sufferre valent.* ubi v. Burm. Idem est *sustentare* Tib. 72. ubi v. notata.

De secessu, nempe ad Anticyram.

Potionatus, i. e. potione venenata corruptus. Sed cum *potionari* barbarum sit vocabulum, Oudendorpius legendum coniicit: *potione tentatus.* Sic Ner. 34. *cum matrem veneno ter tentasset.*

Verterit, pro se verterit. Hoc verbum saepe passive dicitur. v. notata ad Rutil. Lup. II. p. 73.

Insomnia, est, cum dormire non possumus. Terent. Eun. II. 1. 13. *noctu te adiget horsum insomnia.* ubi v. Bentlei. *Insomnium* etiam hoc sensu dici contendit Burmann. ad Ovid. Inst. III. 8. 27. Sed locorum, quibus id confirmat, non satis certa scriptura est. v. Oudend. ad h. l.

Invocare, i. e. optare, ut veniret, ut Casaubonus bene exponit.

Exspectare lucem, i. e. desiderare, et identidem prospicere, an veniat. Caesar de B. G. VII. 79. *intenti animi pugnae eventum exspectabant.* Ovid. Met. VII. 811. *Auram exspectabam, requies erat illa labori.* Videte quae notavimus ad Rutil. Lup. I. p. 20.

51. *A Messana. A* poterat abesse.

Aetnaei verticis. Praeferenda est lectio veteris Codicis, *Aetnaei crateris.* Nam *crater* proprie dicitur hiatus ille in Aetna, per quem ignis evomitur. Ovid. Met. VI. 424. *Et pronos currus media cratere recepit.* v. Gronov. ad h. l.

Consternationem, i. e. cum ob multitudinem, vel aliam rationem homines inter se confusi sunt et non ordine positi.

Versus ad pontes. Terent. Adelph: II. 4. 22. *convertam me domum.*

Impedimentis, i. e. iumentis, vehiculis. Tacit. Ann.

Ann. I. 47. *conquisivit impedimenta, adornavit naves.* v. Graev. ad h. l. et notata ad Tib. 38.

Stipatos, i. e. obsessos, ut transiri non posset. Liv. XXVI. 39. *ita in arto stipatae erant naves, ut vix ullum telum in mari vanum incideret. Stipare* proprie est densare, a Graeco στείβειν.

Acquiescens, i. e. confirmans animum, metum omnem deponens. Cic. ad Div. IV. 3. *habemus aliud nihil in quo acquiescamus.*

52. *Depictas*, i. e. valde, omni ex parte pictas. Nam *de* auget significationem. Valer. Flacc. VI. 226. *Non auro depicta chlamys.* v. Oudend. ad h. l.

Manuleatus, i. e. tunica indutus manicata. Plaut. Pseud. II. 4. 48. *manuleatam tunicam habere hominem decet.* v. Intt. ad h. l.

Cycladatus, i. e. cyclade indutus. *Cyclas* erat vestis undique clausa, quam melius describit Salmas. ad Tertullian. Pall. p. 110. et Lamprid. Alex. Sever. 41. quam Torrentius ad h. l.

In crepidis, i. e. indutus crepidis.

Speculatoria caliga, i. e. calceamento ad mediam tibiam adscendenti, quo utebantur speculatores.

53. *Eruditioni*, i. e. philologiae.

Quantumvis, i. e. valde.

Perorare, h. l. ponitur pro orare, orationem habere in aliquem. Flor. IV. 1. p. 648. *consul in praesentem reum peroravit.*

Commissiones, sunt certamina oratoria, quae ingenii ostentandi caussa instituuntur. v. Casaub. ad h. l. et notata ad Aug. 89.

Arenam sine calce, i. e. orationem in minuta membra concisam, sine vinculis et ambitu. v. Intt. ad h. l.

54. *Cantor*, i. e. tragoedus. Nam tragoedus fabu-

bulam cantabat. Ner. 21. *tragoedias quoque cantavit personatus*, et paulo post: *inter cetera cantavit Canacen parturientem.* v. Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 7.

Saltator, i. e. histrio. Nam histrio fabulas agebat saltando. Inf. 57. *pantomimus tragoediam saltavit.* Ner. 54. *saltaturum se Virgilii Turnum.* v. Salmas. l. c. et Gronov. ad Liv. VII. 2.

Pugnatoriis armis, i. e. veris et acutis, quae Seneca Ep. 117. *decretoria* vocat. His opponuntur *lusoria* et *exercitoria.* v. Lips. Saturn. II. 19.

Voluptate efferebatur, i. e. tenebatur, afficiebatur. Ner. 53. *maxima popularitate efferebatur.* ubi v. Ernest.

Pervigilium, i. e. sacrum nocturnum, celebratum in honorem alicuius Dei vel Deae. v. Lips. Elect. I. 5.

In scenam prodire, proprie dicuntur, qui artis ludicrae caussa in eam prodeunt. Ner. 54. *proditurum se partae victoriae ludis.* Nepos praef. *in scenam prodire, et populo esse spectaculo.*

Secunda vigilia. Apud Romanos nox duodecim horarum in quatuor vigilias divisa erat, quaelibet vigilia tribus horis constabat. v. Veget. de R. M. III. 8. et Drakenb. ad Sil. Ital. IV. 89.

Extrema, i. e. mortem. Virgil. Aen. I. 219. *seu vivere credant, Sive extrema pati.* v. Duker. ad Flor. IV. 2. p. 708.

Pulpitum, est locus editior ante scenam, e quo omnis fabula recitabatur. v. Ner. 13.

Scabilla, sunt crepitacula e ferro vel ligno, quae pedibus alligata concutiebantur, ut strepitum ederent. Cic. pro Coel. 27. *scabilla concrepant, aulaeum tollitur.* v. Is. Voss. ad Catull. p. 291. Rubenius de Re Vestiar. II. 17. musicum exhibet ex anti-

tiquo marmore, cymbala manibus pulsantem, et scabilla pedibus concutientem. Hinc artifices dicuntur *scabellarii* in Donian. Inscript. p. 325. v. Ernest. Clav. Cic. v. Scabillum.

Cum palla, tunicaque talari. Hic proprius habitus erat citharoedorum, et cantorum. Tibull. III. 4. 35. *Ima videbatur talis illudere palla.* ubi v. Broukhus. Ovid. Fast. II. 107. *Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam.* ubi v. Intt. *Palla* est genus pallii: *talaris tunica*, quae ad talos dependet. v. Ernest. Clav. Cic. v. Palla et Talaris.

Desaltato cantico, i. e. cantico ad finem usque perducto. v. Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 7.

55. *Ad insaniam*, i. e. sine consilio ac ratione; vel supra modum.

Detrahi, scil. e spectaculis.

Incitato. Hoc nomine appellabatur ille equus.

Acciperentur, scil. convivio. *Accipere* et *excipere* sunt verba convivalia. Terent. Eun. V. 7. 52. *accipit homines nemo melius, neque prolixius.* Horat. II. Serm. 8. 67. *ut ego accipiar laute.* Petron. 42. *quid, si non illam optime accepisset?* ubi v. Intt.

56. *Conscientia*, i. e. societate consiliorum. Cic. Phil. II. 11. *quis meum in istius gloriosissimi facti conscientia nomen audivit.* v. Schulting. ad Quinctil. Decl. I. 7.

Potentissimorum, i. e. qui plurimum poterant gratia apud principem. Rutil. Lup. II. p. 73. *Haec mulier fuit locuples et potens.* ubi videte quae notavimus.

Criminari alterum alteri. Sic Terent. Eun. V. 2. 18.

Inter se committere, i. e. inter eos concitare privatas discordias.

Palatinis ludis, i. e. qui in Palatio agebantur, instituti a Livia in honorem Augusti. v. Ioseph. Ant. Iud. XIX. 1. et Casaub. ad h. l.

Mollem, i. e. impudicum. Tacit. Ann. XI. 2. *postremum mollitiam corporis obiectante*, ubi v. Ernest.

Signum petenti, i. e. tesseram militarem. Solebant vero plerumque dare Deum, aut heroem. Valer. Max. I. 5. 7. *Apollo Philippensi acie, a Caesare et Antonio signo datus.* v. Lips. ad Tacit. Ann. XIII. 2. Exc. A.

57. *Fortunae Antiatinae.* Erant geminae et sorores, de quibus omnia dixit Philipp. a Turre Monum. veteris Antii cap. I.

Actor, per eminentiam dicitur, qui agit primas partes in scena. *Primae partes* tribuuntur illis personis, quae plurima agerent, et saepe reverterentur in scenam; *secundae tertiaeque*, quae minus. Quas autem quisque partes agebat, inde appellabatur: ille *primarum*, ille *secundarum*, ille *tertiarum*, subintellecta voce *partium.* Cic. Bruto 69. *fuit Crasso quasi secundarum.* Hanc rationem egregie illustravit, exemplisque confirmavit Gronov. Obs. in Script. Eccl. 25.

Proripiens se ruina. Locus corruptus.

58. *Quasi*, i. e. fere, circiter. Terent. Heaut. I. 1. 93. *quasi talenta ad quindecim coëgi.* Sallust. Iug. 50. *praesidio quasi duum millium montem occupat.* v. Intt. ad Liv. XXVII. 12. Sic Graeci ὡσεὶ dicunt in numero vel spatio contrahendo.

Marcente, i. e. languescente. Liv. XXIII. 45. *marcentes luxuria, vino, et scortis.* Videte quae notavimus ad Rutil. Lup. II. p. 101.

Cry-

Crypta, est occultus et angustus transitus, a qua *grottae* vox deflexa. v. Intt. ad h l.

Hortareturque. Hoc verbum alienum est ab hoc loco; sed commodissimum, *sortireturque*, quod Oudendorpius affert de viri docti coniectura. *sortiri* est sorte disponere et ordinare. v. Ner. 21.

Princeps gregis. *Grex* proprie dicitur de histrionum turba. Terent. Phorm. prol. 33. *cum per tumultum noster grex motus loco est*. Petron. cap. 80. *grex agit in scena mimum*. ubi v. Intt. *Princeps gregis* est, qui gregem praeparat et docet, χοροῦ διδάσκαλος. v. Casaub. ad Athen. VI. 7.

Hoc age. Haec formula proprie pertinet ad sacra. Nam popa victimam caesurus, pontificem vel sacrificantem rogabat: *Agon'?* cui ille respondebat: *Hoc age*. Galb. 20. *Ut hoc agerent et ferirent*. v. Casaub. ad h. l.

Accipe ratum. Verissime Lipsius ad Tacit. Ann. XIII. 2. Exc. A. legendum vidit: *accipe iratum*, scil. Iovem: cuius coniecturam probat Gronov. ad h. l.

Repete, scil. ictum. Propria est formula gladiatorum. Lucan. IV. 565. *pietas ferientibus una, Non repetisse, fuit*. ubi Burm. hunc Suetonii locum male accepit. Lactant. VI. 20. *percussos iacentesque repeti iubent, et cadavera ictibus dissipari*. v. Lips. Saturn. II. 20.

Cum asseribus, i. e. cum vectibus in circulos lecticae insertis. v. Fest. v. Teres, et Lips. Elect. I. 19.

59. *Umbris*, i. e. manibus. Ovid. Met. IV. 443. *Errant exsangues sine corpore et ossibus umbrae*. v. Othon. 7. et Broukhus. ad Tibull. I. 6. 15.

60. *Existimare*, i. e. iudicare, intelligere. Hoc

verbum passim in MSS. confunditur cum *aestimare*, quod non iudicare significat, sed cogitare, reputare. De hoc discrimine videte Intt. ad Liv. XXXIV. 2. et Ernest. ad Tacit. Ann. XIII. 17.

CLAUDIUS.

1. *In aestivis castris.* Romanorum castra duplicis generis erant, *aestiva* et *hiberna*. *Aestiva* mobilia erant, et saepe in unam noctem struebantur, in quibus si unam alteramve noctem manerent, simpliciter *castra* dicebantur: sin diutius manerent, a re ipsa *stativa*. v. Lips. de Mil. Rom. V. 1.

Scelerata, i. e. calamitosa, et morte Drusi infamia. Nam *sceleratus* interdum habet calamitatis significationem. Sic apud Liv. I. 48. *porta scelerata* dicitur ab infelici exitu Fabiorum. Sic apud Virgil. Georg. II. 256. *sceleratum frigus* Servius recte exponit nocens. v. Duker. ad Flor. I. 12. p. 96.

Scribarum decuriis. *Scribae* magistratuum erant homines liberi, sed plebeii ordinis, inprimisque libertini, et in decurias descripti; qui mercedem ex aerario accipiebant. v. Cic. Verr. III. 79. Liv. IX. 46. et quos laudat Ernest. Clav. Cic. v. Scriba.

Ad urbem, i. e. usque ad urbem, non in urbem, ut accipit Casaubonus, quem refellit Perizon. ad Sanct. Min. IV. 6. p. 668.

Honorarium tumulum, i. e. cenotaphium. v. Virgil. Aen. III. 304. et Lips. ad Tacit. Ann. II. 7.

Decurreret. Iam antiquissimis temporibus hic honos

hos habitus est clarorum virorum funeri, ut milites armis instructi, gradu militari et ludicra quadam exercitatione circa rogum decurrerent. Virgil. Aen. XI. 188. *Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis, Decurrere rogos.* v. Stat. Theb. VI. 213. qui hunc morem accuratissime descripsit, et Lips. ad Tacit. Ann. II. 7.

Supplicarent, i. e. sacra facerent. v. notata ad Aug. 35.

Gloriosus, est gloriae cupidus, appetens. *Gloria* vero proprie dicitur de laude, quae bello comparatur. v. Intt. ad Phaedr. I. 11. 1.

Opima spolia, quae quis hostium duci caeso detraheret. v. Perizon. Anim. Hist. cap. VII.

Omnino, i. e. tantum.

2. *Morbis tenacibus*, i. e. contumacibus, qui non cederent remediis ullis. Sic *tenax fortuna* dicitur ab Ovid. IV. ex P. 6. 7. *tenax equus* ab eodem Amor. III. 4. 13. et Livio XXXIX. 25.

Post tutelam receptam, i. e. postquam desiit esse sub tutore, postquam tutelam sui recepit. Nepos Eum. 2. *quoad liberi eius in suam tutelam pervenissent.* v. Ernest. ad h. l.

Iumentarius dicitur, qui praeest iumentis. *Superiumentarius*, qui praefectus est iumentariis. v. Casaub. ad h. l.

Palliolatus, i. e. pallio caput tegens, ut aegroti facere solebant. Rutil. Lup. II. p. 104. *palliolo frigus a capite defendens.* ubi v. quae notavimus.

3. *Experimenta*, i. e. specimina.

Spem commodiorem, i. e. meliorem. Caesar de B. G. VII. 6. *urbanas res commodiorem in statum*

pervenisse. Cic. Verr. I. 18. *Potestne tibi ulla spes salutis commoda ostendi?*

Detestari, est Deum testem invocare in partem deteriorem; *obtestari*, in partem meliorem. v. Festum v. Obtestatio.

Capita, i. e. partes quasdam excerptas. Cic. ad Div. III. 8. *Prima duo capita epistolae tuae.* ubi v. Graev.

4. *Quid nepoti faciendum esset.* Poterat etiam scripsisse: *quid nepote fac. ess.* Nam in hac formula modo tertius, modo sextus casus ponitur. Nepos Agesil. 4. *cum quaereretur, quid his fieri vellet?* Ovid. Ep. XIV. 120. *Quid fiet sonti, si rea laudis agar?* v. Gronov. ad Liv. XXVII. 16. et Drakenb. ad XLV. 39.

Semel est quod Belgae dicunt *eens voor al.* Cic. de Offic. III. 15. *ut sibi fundus semel indicaretur.* Ovid. Ep. XII. 112. *At semel aeterna nocte premenda fui.* Quinctilian. X. 1. *ut semel dicam.* v. Bentlei. ad Horat. II. Serm. 8. 24.

Produci, proprie dicuntur, qui ad honores evehuntur. Cic. pro Dom. 9. *quem tu non pro illius dignitate produxeras.* ubi v. Graev. *Provehere* eodem sensu dixit Iustin. I. 1. Sed *producere* dicitur de honoribus civilibus. *promovere*, de militaribus.

Aestuabimus, i. e. dubii et incerti erimus. Cic. Verr. II. 30. *aestuabat dubitatione.* Iustin. I. 10. *aestuante rege.* v. Cort. ad Sallust. Catil. 23.

Quibus de rebus me consulis, i. e. quod attinet ad eas res, de quibus me consulis. v. Perizon. ad Sanct. Min. II. 9. p. 210.

Triclinium sacerdotum, i. e. epulas Saliares. Nam Salii Martis sacerdotes erant. v. Fest. v. Salios.

Fluctuemus, i. e. aestuemus, ut paullo ante. Liv.

XXXVI.

XXXVI. 10. *ut incerti fluctuarentur animi inter metum et verecundiam.* ubi v. Drakenb.

Praeter, i. e. praeterquam. Cic. ad Att. V. 3. *nullas acceperam, praeter quae mihi in Trebulano redditae sunt.* Nepos Milit. 5. *nulla civitas praeter Plataeensium.* v. Gronov. ad Gell. I. 23. de P. V. IV. 4. et Oudend. ad Caesar. de B. G. I. 5.

5. *Legitimi honores*, sunt veri, et opponuntur ornamentis honorum. Ovid. Amor. III. 6. 89. *Quid? si legitimum flueres, si nobile flumen.* Sic *legitimi gladiatores* dicuntur Aug. 45.

Sigillaria, sunt dies Saturnalibus adiecti, qui nomen habent in *sigillis*, i. e. imagunculis fictis, quae pueris donabantur. v. Macrob. I. 10. et Lips. Saturn. I. 4.

Ad otium concedere dicuntur, qui publicis muneribus abstinent. Nepos Pelop. 2. *non quo otium sequerentur.* v. Burm. ad Phaedr. V. 1. 7.

6. *Perferendae*, i. e. obeundae, exequendae. Plin. Paneg. 90. *publica gratiarum actione perlata.* ubi v. Swarz.

Sodalium Augustalium, i. e. sacerdotum, qui Augusto, in Deos relato, sacra facerent. Hoc novum sacerdotium Tiberius instituit ad exemplum Sodalium Tatiensium, qui instituti erant memoriae T. Tatii conservandae. v. Tacit. Ann. I. 54. et ibi Lips. Deinceps omnes Imperatores, qui Divi facti essent, tales Sodales habuerunt.

7. *Lenociniis*, i. e. rationibus, quae aptae erant ad populum sibi conciliandum. v. Calig. 15.

Feliciter, scil. *eveniat.* Phaedr. V. 1. 3. *Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt: Feliciter succlamant.* Domit. 13. *Domino et dominae feliciter.* v. Duker. ad Flor. III. 3. p. 457.

8. *Fere*, i. e. plerumque. Aug. 45. *Circenses ex amicorum fere coenaculis spectabat.*

9. *Inquietatus*, i. e. molestiis affectus. Ner. 34. *qui eam litibus inquietarent.*

Patruum. Patruus proverbio dicitur censor asper et severus, quod patrui fratris filios severius castigare solent, quam ipsi patres. Cic. pro Coel. 11. *qui in reliqua vita mitis esset, fuit in hac caussa pertristis quidam patruus, censor, magister.* v. Lambin. ad Horat. III. 12. 3. et Ernest. Clav. Cic. v. Patruus.

Recepta est, i. e. admissa est, ut ipse, qui signaverat, falsarii crimen subiret. Tiber. 61. *crimen receptum.* v. Sigon. de Iud. I. 10. et Ernest. ad h. l.

Pro introitu novi sacerdotii. Non modo pecuniam dedit pro sacerdotio, sed etiam aditus caussa v. c. in coenam aditialem impendit. De coena aditiali v. Gronov. ad Tacit. Ann. II. 65.

Decidere dicitur, qui deteriorem sortem accipit, velut ex altiore loco lapsus. Plin. IV. Ep. 2. *nunc eo decidit, ut rhetor de oratore fieret.* v. Oudend. ad h. l. Sic *delabi* est apud Tacit. Ann. II. 38. *quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur.* ubi v. Ernest.

Fidem liberare, i. e. debitum solvere. Cic. pro Flacc. 20. *ipse Fufiis satisfacit, et fidem suam liberat.* v. Gronov. ad Senec. de Benef. IV. 35.

In vacuum, i. e. incassum, frustra, nemine se emtorem profitente. v. Intt. ad h. l.

Lege praediatoria, i. e. lege de praediis aerario obligatis, ut ei caveretur. v. Intt. ad h. l.

Venalis pendere dicitur, cuius bona in tabella proscripta publice pendent. Sic *pignoratur*, cuius bo-

bona pignori capiuntur. Sic *confiscatur*, cuius bona confiscantur. Sed forte locus vitiosus est.

10. *Diaetam*, i. e. conclave, coenaculum. Pro *diaeta* etiam dicitur *reta*. Nempe *di* et *r* permutantur in Graecis, ut *diabolus*, *rabolus*. v. Intt. ad h. l.

Solarium, est locus soli expositus, et ante aedes proiectus, in quo apricari solebant. v. Ulpian. L. 17. D. de serv. urb. praed. et Ernest. Exc. ad h. l.

Praetenta foribus vela. Haec vela cubicularia describit Pollux X. 32. v. Lips. ad Tacit. Ann. XIII. 5.

Succollare, est collo vel cervicibus gestare. Othon. 6. *succollatus ad principia devenit.*

Pigneratus, i. e. obligans sibi, quasi quodam pignore. Liv. XXIV. 1. *cum, velut obsidibus datis, pigneratos haberent animos.* v. Heins. ad Ovid. Met. VII. 621.

11. *Antiquius*, i. e. potius. Vitell. 15. *nihil sibi antiquius quiete publica fore.* Vesp. 8. *per totum imperii tempus nihil habuit antiquius.* v. Gronov. ad Liv. I. 32. *Antiquus* idem est, quod *anticus* sive prior: unde *antiqui*, quos eosdem et *priores* vocant. Cum igitur *nihil antiquius esse* dicitur, nihil anteponi significatur. Sic Heusing. ad Cic. de Off. I. 43.

Simul, ponitur pro *et*. Liv. XXVIII. 32. *in provincia simul virtute et felicitate perdomita.* v. Intt. ad Liv. XXVI. 43. Interdum iunctim dicitur *simul et*, ut Caes. 67. *simul et ad speciem, et quo tenaciores eorum in proelio essent.* ubi v. notata.

Ab avia. Atqui historia docet, Augustae cognomen non recusatum esse a Livia. Legendum igitur de verissima coniectura Lipsii ad Tacit. Ann. I. 8.

ab viva. Nam Antonia Augustae cognomen, quod Caligula ei obtulerat, viva sprevit, et mortua nunc demum per Claudium recepit.

Comoediam docere, proprie dicitur, qui comoediam a se compositam profert spectandam. Cic. Tusc. Disp. IV. 29. *Cum Orestem fabulam Euripides doceret.* Contra actor dicitur *fabulam discere.* v. Casaub. ad Athen. VI. 7. Iam cum Claudius comoediam tantum suo sumtu ediderit, non ipse fecerit, probabile est, h. l. scribendum esse *edidit* vel *dedit*; quae Cl. Ernesti est coniectura.

Coronavit, scil. comoediam, i. e. comoediae illi victoriam atque adeo coronam per iudices dandam curavit. v. Intt. ad h. l.

12. *In se augendo*, i. e. in recipiendis honoribus. *Augere aliquem* significat ad potentiam, opes, dignitatem evehere. Sallust. Iug. 86. *quod ab eo genere celebratus auctusque erat.* ubi v. Cort. ad Div. VII. 17. *semper te augendum atque ornandum putavi.*

Precario, i. e. precibus. Terent. Eun. II. 3. 27. *hanc mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas.*

Ius nundinarum, i. e. mercatuum hebdomalium. v. L. 1. D. de Nundin. et Brisson. Select. Antiqu. I. 15.

Voce ac manu veneratus est, i. e. acclamando, et basia iactando. Phaedr. V. 7. 28. *In plausus consurrectum est: iactant basia.* ubi v. Burm. Martial. VIII. 65. *Roma salutavit voce manuque ducem.* v. Lips. Elect. II. 6.

In rostra producti. *Produci* proprie dicuntur, quibus potestas datur dicendi in concione. Cic. ad Div. XII. 3. *productus in concionem a Canutio, turpissime discessit.* v. Intt. ad Liv. XXVII. 51.

13. *Dolo*, ut Varro ait ap. Serv. ad Aen. VII. 664. est contus cum ferro brevissimo.

Casu, an divinitus. Saepe *sors* et *Deus*, ut diversa, ponuntur. Virgil. Aen. IX. 211. *Si quis in adversum rapiat, casusve, Deusve.* Plin. Paneg. 1. *forte casuque, an aliquo numine.* v. Intt. ad h. l.

Aquila ornari dicitur, cum ungitur et coronatur. v. Lips. de Milit. Rom. IV. 5.

Signa convelli dicuntur, cum fixa in solo moveri incipiunt. Liv. III. 54. *convellunt inde signa.* ubi v. Gronov. Quae si difficulter moverentur, pro infausto omine accipiebatur. v. Serv. ad Aen. XI. 19. et Intt. ad Flor. II. 6. p. 279.

14. *Circa principem*, i. e. quod ad principem. Quinctilian. Decl. I. p. 37. *quid enim circa te pecunia potest?* ubi v. Burm.

Ex bono et aequo. *Bonum* et *aequum* a ICtis opponitur summo, vel stricto, iuri. v. Cicer. pro Caecin. 23. et Duker. ad Flor. I. 22. p. 196.

Formula excidissent, i. e. caussa cecidissent, ut loquitur Calig. 39. *Formula* est actio, quoniam omnes actiones certis verbis et formis concipiebantur. v. Ernest. Clav. Cic. v. Formula.

In maiore fraude convictos, pro, maioris fraudis convictos. Eadem constructione Tit. 9. *convictos in affectatione imperii.* Cic. pro Sull. 30. *quoties quisquam est in hoc scelere convictus.* Tacit. Ann. XV. 44. *in crimine incendii convicti sunt.* ubi v. Ernest.

Ad bestias, i. e. ad pugnam cum bestiis. v. P. Fabrum Semestr. II. 7.

15. *Expungeret*, i. e. ex albo deleret. Sic *expungi* dicuntur milites, quorum nomina ex albo militum eraduntur. v. L. 15. D. de re milit. et Brisson. de V. S.

Va-

Vacatione, scil. a iudicando, quam lex Papia Poppaea illis, qui certum liberorum numerum haberent, tribuebat. v. Heinecc. Comment. ad h. l. II. 8.

Cognitio h. l. est iurisdictio extraordinaria apud principem: cui opponitur *ius ordinarium*, i. e. iurisdictio ordinaria apud Praetorem. Aliis tamen locis *cognitio* etiam dicitur de iurisdictione ordinaria. v. Ernest. sup. ad cap. 12.

Absentibus, i. e. cum actores, vel rei, abessent. De hoc ablativo absoluto supra diximus.

Dare, absolute dicitur pro sententiam pronunciare. Plin. VII. Ep. 6. *quaestio secundum reos dedit.* Tacit. Ann. IV. 43. *Ita secundum Messenios datum.* v. Torrent. ad h. l. et Cuiac. Observ. VI. 27. Plena locutio est: *secundum aliquem litem dare.* Liv. XXIII. 14. *ei semper parti adesse, secundum eam litem iudices dare.* ubi v. Drakenb.

Acciri flagitavit. Flagitare, quod plerumque aut sine verbo ponitur, aut cum verbo iungitur per *ut*, h. l. infinitivum iunctum habet. Plin. H. N. XXXIV. 8. *ut magnis theatri clamoribus reponi Apoxyomenum flagitavit.* v. Oudend. ad h. l.

Peregrinitatis reum, i. e. qui accusabatur, quod se pre cive Romano gessisset, cum peregrinus esset. v. Brisson. Select. Antiqu. 3.

Ex tabella, i. e. de scripto, ne sententiam memoriter recitare necesse haberet. v. Intt. ad h. l.

Tenebat in manu. Poterat abesse praepositio *in*, sed saepe additur. Terent. Adelph. IV. 2. 24. *quem puerulum tantillum in manibus gestavi.* Flor. IV. 12. p. 808. *linguam in manu tenens barbarus.* ubi v. Duker.

16. *Aetatulae indulgeret*, i. e. voluptatibus iuve-

venilis aetatis. Galb. 20. *cupide fruaris aetate tua.* v. Cort. ad Declam. in Sallust. p. 1060.

In peregrinitatem redegit, i. e. ademit ius civitatis.

Rabirio Postumo. Pro quo extat Ciceronis oratio.

Sibi vim intulisse, i. e. se interfecisse. Nepos Dione 10. *rumore dilato, Dioni vim allatam.*

Sigillaria, i. e. vicum urbis, ubi sigilla vendebantur. v. Gall. II. 3. Ner. 28.

Facere ad viperae morsum, i. e. prodesse, utile esse. Quo sensu etiam construitur cum Dativo.

17. *Velletque iusti* etc. Egregie Gronov. emendat: *velletque iusti triumphi decus unde unde acquirere*, i. e. undecunque. Catull. LXVIII. 27. *et quaerendum, unde unde foret.* Haec repetitio saepe a librariis neglecta est. Videte quos laudat Oudend. ad h. l.

Tentare, est aggredi. Ovid. Ep. VII. 121. *bellis femina tentor.* Vell. Pat. II. 113. *ut partem digredientium universi tentare non possent.*

Circio, i. e. vento septentrionali. v. Plin. H. N. II. 47.

Pedestre iter, est h. l. terrestre, nec equestri opponitur, sed maritimo. Hirt. de B. Alex. 33. *Aegyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio, velut claustris, munita.* Sic *pedestres copiae* opponuntur *navalibus* ap. Nepot. Alcib. 8. *pugna pedestris navali* ap. Cicer. de Senect. 5. v. Intt. ad Liv. XXXVII. 53. et Graev. ad h. l.

18. *Curam egit*, i. e. gessit. Ita dicitur *bellum, proelium, rem agere.* v. Gronov. Obs. II. 3. et Drakenb. ad Liv. Epit. 49.

Diribitorium, est domus ampla in campo Martio, in qua tabellae suffragiorum diribebantur, i. e. distri-

tribuebantur. v. Dion. Cass. LV. p. 553.

Familiarum, i. e. servorum tum publicorum, tum privatorum. In edd. recentioribus legitur *familiarium*, turpi typographorum errore. v. Oudend. ad h. l.

Magistratus. P. Faber Semestr. I. 5. legit *magistros*, scil. vicorum. Quae lectio praeferenda videtur.

Pro opera. Pro significat ratione operae, quam quis praestitisset. v. Oudend. ad h. l.

In tempore hiberno. Quo tempore annona navibus non subvehebatur, quod mare clausum erat hieme anni. v. Tacit. Ann. XII. 43. et ibi Lips.

19. *Latino*, i. e. libertinis, qui Latini Iuniani vocabantur: de quibus v. Spanhem. de Orb. Rom. cap. VIII.

Ius quatuor liberorum. v. Lips. ad Tacit. Ann. III. 25. Exc. C.

20. *Operari*, est opus manibus facere. Veget. de R. M. II. 22. *si ad opus aliquod exeunt milites, tubioine vocante, operantur.* v. Gronov. ad Tacit. Ann. I. 18.

Brachio, i. e. muro, sive munimento, extra lineam rectam excurrente. Lucan. III. 387. *crudaque extruxit brachia terra.* v. Intt. ad Frontin. III. 17. 5.

Pilis, i. e. columnis lapideis, quibus quid sustinetur. v. Fest. h. v. et Perizon. ad Sanct. Min. IV. 14. p. 752.

21. *Superiores aedes*, nempe Veneris et Victoriae. v. Intt. h. l.

Subducere rationes, proprie dicuntur, qui rationes computant, et summa facta vident, quomodo id, quod habent, conveniat cum expensis. Nam veteres computabant calculis additis vel subductis. Te-

rent.

rent. Adelph. V. 4. 1. *Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit.* Cic. ad Div. I. 9. *rationibus subductis, summam feci cogitationum mearum.* v. Wouwer. de Polymath. 7.

In Vaticano, scil. circo. v. Tacit. Ann. XIV. 14.

Carceribus, i. e. locis clausis in circo, e quibus emittebantur quadrigae.

Promiscue, i. e. modo hoc, modo alio loco. v. Lips. ad Tacit. Ann. XV. 32. et Ernest. ad h. l.

Thessalos equites. Haec taurorum venatio, Thessalis usitata, eleganter expressa est in Marmore Oxoniensi 37. v. Prideausium ad illud marmor p. 485. et Is. Voss. ad Catull. p. 194.

Communior, i. e. familiarior omnibus, humanior. Cic. ad Div. IV. 9. *eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse.* ubi v. Graev. Lactant. Epit. 34. *cum simus animal sociale et commune.* ubi v. Davis. Sic *communitas* dicitur pro humanitate. Nepos Milt. 8. *in Miltiade erat mira communitas*, v. Graev. ad Cic. de Offic. III. 5.

Victoribus aureos. Gladiatori, qui vicisset, non tantum palma, sed etiam pecunia dabatur. v. Iuvenal. VII. 243. et Lips. Saturn. II. 23. Minus recte Casaubonus hunc locum de ludis circensibus accipit, cum de subito gladiatorio munere agatur.

Sinistra prolata. Wouwer. de Polymath. 7.

Arcessitis, i. e. longe petitis, nihil ad rem pertinentibus. Petron. cap. 37. *longe arcessere fabulas coepi.* ubi v. Burm.

Illud quoque. Melius est *quidem.*

Misit, nempe per totam caveam, ut omnes legere possent. Gell. V. 14. *eaque omnia scripta circumlataque tabella populo declarata.* ubi v. Gronov.

Gladiatori gratiae esse, i. e. gladiatori gratiam conciliare.

22. *Terra movisset*, scil. *se*. Propria est locutio. Liv. XXXV. 40. *terra dies duodequadraginta movit*.

Obsecratio. *Supplicatio* et *obsecratio* differt, ut genus et species. Nam *supplicatio* erat vel *obsecratio*, qua ira Deorum avertebatur, eorumque favor conciliabatur, vel *gratulatio*, qua Diis pro beneficiis gratiae agebantur. v. Liv. XXXI. 9. et ibi Drakenb.

Praeiret, i. e. primus recitaret obsecrationis formulam, ut populus eam iisdem verbis repeteret. Liv. VIII. 9. *Pontifex*, *praei verba*, *quibus me devoveam*. ubi v. Drakenb.

Operae dicuntur, qui opus manibus faciunt, opificium quoddam tractant. Vesp. 1. *mancipem operarum*, *quae ad culturam agrorum commeare solerent*. v. Gronov. Obs. III. 2.

23. *Urbe et Italia submoverentur*. Ad hanc constitutionem respicit Ulpian. L. 7. §. 15. D. de interd. v. Brisson. Select. Antiq. III. 6.

Beneficii sui fecit, i. e. fecit, ut commeatus a se peteretur, tanquam beneficium aliquod. v. Casaub. ad h. l. et quae notavimus ad Tiber. 12.

24. *Procuratores ducenarii* dicuntur a salario annuo, quod erat ducena sestertia. Videte Dion. Cass. L. III. p. 506. et quos laudat Oudendorp. ad h. l.

Libertinos dictos. Suetonii auctoritatem elevare conatur Sigon. de A. I. C. R. I. 6. Sed frustra eum oppugnat testimoniis Ciceronis et Livii, qui *libertinos* vocant ipsos, qui manumissi sunt. Nam eorum aetate, id est, ducentis annis post Appium, dudum obso-

obsoleverat ea vocis *libertinus* potestas, quae Appii tempore viguerat. v. Duker. ad Liv. IX. 46.

Gladiatorium munus. v. Tacit. Ann. XI. 22. et ibi Lips.

Ostiensi et Gallica. Olim Quaestores aerarium, quod erat in templo Saturni, curabant. Sed sub Augusto cum aerario Praetores praeficerentur, Quaestoribus demandata est cura duarum provinciarum, quae hic commemorantur. Gallica autem provincia intelligenda, quae est circa Padum. v. Lips. ad Tacit. Ann. IV. 27. et Ernest. ad h. l.

Latus texit, i. e. incessit ad eius sinistram, tanquam inferior. Horat. II. Sat. 5. 18. *Utne tegam spurco Damae latus?* Iuvenal. III. 131. *Divitis hic servi claudit latus.* v. Lips. Elect. II. 2.

Chaucius cognomen, ponitur per ellipsin pro cognomen quod erat Chaucius. Cic. Verr. IV. 53. *Fons, cui nomen Arethusa est.* Liv. I. 1. *Troia et huic loco nomen est.* ubi v. Intt.

25. *Equestres militias*, i. e. gradus militiae, qui equitum et Senatorum filiis dabantur. v. Schel. ad Hygin. p. 69.

Se agerent. Agere se pro gerere se, non optimae aetatis locutio videtur Cl. Ernesto ad h. l. Sed idoneos quoque scriptores sic locutos esse, ad Rutil. Lup. II. p. 86. docuimus.

Revocavit in servitutem. Exemplo Solonis, qui lege caverat, ut convictus a patrono libertus ingratus, iure libertatis exueretur. v. Valer. Max. II. 6. Nec tamen, quod Claudius constituit, pro constitutione publica, sed pro decreto in caussis quibusdam interposito habendum videtur. v. Lips. ad Tacit. Ann. XIII. 26. et Ernest. ad h. l.

Usurpare, est sibi aliquid sumere, nullo iure.

Plin. Paneg. 81. *usurpabant gloriam istam illi quoque principes.* ubi v. Swarz.

In campo Esquilino. Ibi de nocentibus supplicium sumi solebat. v. Tacit. Ann. II. 32. et ibi Lips. Exc. H.

Iliensibus. v. Tacit. Ann. XII. 58. et ibi Lips.

Impulsore Chresto. Ratio temporis non sinit intelligere Servatorem nostrum, Christum. Itaque intelligendus est Graeculus libertinus, Iudaica sacra amplexus, quo impulsore, Iudaei inter se discordes tumultum excitarunt. v. Intt. ad h. l.

Popularia, i. e. loca, ubi populus sedebat. v. Domit. 4. et Lips. de Amphith. 14.

In Senatu, i. e. in locis Senatoriis. Iustin. XLIII. 5. *locus spectaculorum in Senatu datus.* v. Lips. ad Tacit. Ann. XIII. 54. Sic Domit. 8. *spectare in equite*, pro, sedere in equestribus. v. Casaub. ad h. l.

Porca caesa. Ex hoc ritu porcae caedendae fluxerunt locutiones *icere, ferire, percutere foedus.*

Praefatio, proprie dicitur carmen, quod feciales in foedere recitabant. v. Liv. XXXIX. 15. et ibi Drakenb.

26. *Auspices*, petebant auspicia, ut nuptiae auctoritatem haberent. v. Valer. Max. II. 1. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Durare. Terent. Adelph. IV. 2. 15. *Non hic durare quisquam, si sic fit, potest.*

Incesta. Lips. ad Tacit. Ann. XII. 6. Schulting. ad Ulpian. Fr. V. 6.

27. *Recusavit*, i. e. reiecit, repudiavit.

28. *Hasta pura*, i. e. hasta sine ferro, qua viri fortes donabantur. v. Virgil. Aen. VI. 760. et Lips. de Mil. Rom. V. 17. Sic *argentum purum* dicitur, cui

cui nihil insculptum: *vestis pura*, cui nihil e purpura adtextum.

Reginarum, i. e. regio genere ortarum. Sic filii regum *reges* vocantur. Iustin. VI. 1. *militibus Cyri quondam regis instructior.* Loquitur de Cyro minore, qui nunquam rex fuit, sed regis filius. Sic regum filiae, *reginae.* Curt. III. 11. *reginas, dominasque, veris quondam, tunc alienis nominibus, invocantes.* v. Drakenb. ad Liv. II. 2.

Edendi ius. Id non cuivis licebat, sed ratio census et honoris habebatur. v. Casaub. ad h. l. et Lips. ad Tacit. Ann. IV. 62.

29. *Supplicia largitus.* Graev. ad Flor. III. 21. p. 629.

Revocatas, i. e. rescissas. Vespas. 8. *literas revocavit.* v. Brisson. de V. S.

Codicillos Vesp. 8. vocat *literas*, Cassiodorus non semel *chartas*. De his erudite disputat Casaub. ad h. l.

Tabellas dotis. Ad legitimum matrimonii actum tabulae et signatores adhibebantur. Tabulis tum dos continebatur, tum sollemnis coniugii caussa, liberum quaerendorum. Iuvenal. II. 119. *Signatae tabulae, dictum Feliciter.* v. Lips. ad Tacit. Ann. XI. 30.

30. *Dignitas*, dicitur de pulcritudine digna viro, *pulcritudo* de femina. Cic. de Off. I. 30. *in forma dignitas et venustas.* Nepos Dion. 1. *habuit magnam corporis dignitatem.* v. Casaub. ad h. l. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Cervicibus, pro cervice, ut Galb. 11. et Vitell. 17. Sic semper veteres. Primus Hortensius *cervix* in singul. dixit. Vide Quinctilian. VIII. 3. et ibi Gesner.

Humentibus naribus. Coniecimus olim, *tumentibus*: quam coniecturam probat Cl. Oudendorp.

32. *Ad fulcra lectorum*, i. e. in ima parte lectorum. De more sedendi diximus ad Aug. 64.

Ex continentia, scil. *ventris*. v. Intt. ad Petron. 47.

33. *Ictus*, i. e. tactus, percussus. Horat. IV. Carm. 5. 15. *desiderio icta*. v. Oudend. ad h. l.

Distentus, scil. cibo. Plin. Paneg. 48. *distentus solitaria coena.*

Madens, scil. vino, i. e. ebrius. Tibull. II. 1. 29. *non festa luce madere est rubor*. v. Broukhus. ad I. 2. 3. et Drakenb. ad Sil. Ital. XII. 18.

In gestatione, dum gestabatur. v. Galb. 8. Domit. 11. et Lips. Epist. Miscell. Cent. III. 11.

34. *Repraesentabat*, i. e. sine dilatione exigebat. Valer. Max. VI. 5. *poenam repraesentare maluit*. v. Casaub. ad h. l.

Exigebat, ut custos et arbiter, ne carnifices languidius agerent. Caes. 65. *exactor gravissimus disciplinae*. v. Burm. ad h. l.

Antiqui moris supplicium. Quale fuerit, ipse auctor explicat Ner. 49.

Forte, i. e. casu. Est sextus casus a *fors*. v. Sallust. Iug. 1. et ibi Cort.

Ut expirantium etc. Nempe eorum facies nuda erat, caput tantum galero tectum. v. Lips. Saturn. II. 8.

Cultellos parvulos. Poterat abesse *parvulos*.

Bestiarii sunt, qui cum bestiis pugnant. Quod spectaculum mane edebatur. Bestiariorum qui superfuerant, post meridiem inter se pugnabant, et *meridiani* vocabantur. v. Senecam Ep. 7. et Lips. Saturn. II. 15.

Ut etiam prima luce. Burmann. legere malit: *ut et cum prima luce*. Terent. Adelph. V. 3. 55. *cum prima luce ibo hinc*. Sed nihil mutandum. Liv. II.

25.

25. *Postero die prima luce Volsci vallum invadunt.*

Destinati. Bene exponit P. Faber Semestr. II. 12.

Id genus, Graeco more dicitur pro eius generis. Tit. 7. *millia omne genus ferarum.* Domit. 4. *omne genus missilia.* ubi v. Oudendorp.

Αὐτόματον, est machina ita structa, ut sponte moveri videatur: cuius artifices *automatarii* dicuntur apud Gruter. Inscr. p. 636. 7. et Don. Inscr. p. 317. 9.

Pegma, est machina quaedam lignea, quae sponte statim cresceret, statim subsideret. Eius usus erat in theatris et arenis. v. Lips. de Amphith. 22. et Intt. ad Phaedr. V. 7. 7.

35. *Scrutatores*, i. e. qui venentium ad principem vestes excuterent. v. Vesp. 12. et Lips. ad Tacit. Ann. XI. 22.

Dubitavit, i. e. deliberavit. Cic. pro Rosc. Am. 31. *Restat, ut hoc dubitemus, uter Roscium occiderit.* v. Gronov. ad Sen. Suas. VII. p. 44.

Adhibere aliquem, est uti consilio alicuius, consulere aliquem. Cic. ad Div. XI. 7. *Cum adhibuisset domi meae Lupus me.* v. Graev. ad Cic. ad Att. X. 12.

36. *Requirens*, pro quaerens, compositum pro simplici.

37. *Pro deprehenso*, i. e. tanquam deprehensus. v. notata ad Aug. 24.

In admirationem formata, i. e. vultu composito et formato in admirationem. Burmannus *formata* minus bene exponit *ante instructa.*

Arcessi. Lipsius ad Tacit. Ann. XI. 29. verissime legit *arceri.* Nempe milites eum adire Claudium prohibuerunt.

38. *Utrumque.* Sic recte libri veteres. Nam saepe femininis subiicitur neutrum genus. Liv. XLIV. 36. *Lassitudo et sitis iam sentiebatur, et meridie instante magis accessurum utrumque apparebat.* ubi v. Drakenb. add. Intt. h. l.

Subeunti Tiberim, i. e. e mari ingredienti ostium Tiberis. Virgil. Aen. III. 292. *portuque subimus Chaonio.* Perperam Burmannus ad Vell. Paterc. II. 45. *subire Tiberim* explicat adverso Tiberi navigare: quod h. l. alienum esse, contextus docet.

In ordinem se coactum, i. e. se contemtum, despicatui habitum esse. Liv. XXV. 4. *tribunos in ordinem coëgisse.* ubi v. Intt. Vesp. 15. *altercationibus insolentissimis paene in ordinem redactus.* Haec loquendi formula ducta est a militia, ubi milites extra ordinem suum in agmine egressi, a ducibus *in ordinem cogi* dicuntur.

Intemperantius, i. e. ut uteretur intemperantia linguae.

Affuisset, tanquam patronus, vel advocatus, qui proprie dicitur *adesse.*

Villicus, etsi proprie dicitur, qui curat villas vel praedia rustica, saepe tamen est quilibet dispensator et oeconomus, etiam in urbe. v. Catull. Carm. LX. 136. et ibi Is. Vossium, item Salmas. ad Lamprid. Alex. Sever. 15.

Ad susceptam stationem, i. e. ad susceptum munus imperii. *Statio* proprie est militum: inde universe sumitur pro munere, quod alicui demandatum est. v. Plin. Paneg. 7. et ibi Swarz. Negat Cl. Ernestus, antiquiores scriptores *stationem* pro imperio dixisse. Cui satis fecit Oudendorp. ex ipso Augusto ap. Gell. XV. 7. et Vell. Pat. II. 124.

Μωρῶν ἀνάστασις, i. e. stultorum exaltatio. v. Casaub.

saub. ad h. l. et Toupium Ep. Crit. p. 21.

39 *Decumbere*, idem quod *discumbere*, i. e. assidere ad mensam. Terent. Phorm. II. 2. 28. *prior bibas, prior decumbas.* v. Oudendorp. sup. ad 33.

Domina, per blanditias uxor vocabatur, *dominus*, maritus. v. Catull. LX. 31. et ibi Passerat. item Lips. ad Tacit. Ann. II. 87. Exc. P.

Admoneri, omnino legendum, non *admoveri*. *Admoneri* eos iussit a servo, qui inde *monitor* proprie dicitur. Solebant enim veteres, etiam ante vocatos, instante coenae hora iterum admonere. v. Apuleii M. VIII. p. 54. et H. Grotium ad Matth. XXII. 4.

Adsciturus. Proprium est adoptionis verbum, ut mox *inserere*, Galba 17. *testamento in bona et nomen adscitum*. Tacit. Ann. III. 30. *Crispum, sororis nepotem in nomen adscivit.* v. Gronov. Diatr. Stat. cap. V. p. 26.

Quasi parum reprehenderetur, i. e. quasi vulgo non satis reprehenderetur ab omnibus.

40. *Ornatrix*, est ancilla, quae dominae capillos curat. v. Ovid. Amor. II. 7. 17. et ibi Heins.

Nihil habere se. scil. caussae.

Et se liberum esse. Stultitia est in eo, quod tanquam privatus loquitur pro tribunali, et se liberum esse dicit in negando ulciscendoque. v. Ernest. ad h. l.

Ne dum, i. e. ne dicam.

41. *Refrigeratus a semetipso*, i. e. parum secundis acclamationibus exceptus sua culpa. Sueton. vita Lucani: *refrigerandi sui caussa Neronem recessisse*. Hanc vim verbi pulcre declarat Casaub. ad h. l. Videte, quae notavimus ad Vellei. Paterc. II. 85.

Revocaret, i. e. repeteret.

A pace civili, devicto Antonio ad Actium.

Literas tres. Scilicet Digamma Aeolicum, vel inversum F, et antisigma, quod habet figuram Latini X, et vim Graeci Ξ. v. Tacit. Ann. XI. 14. et ibi Lips. Tertiam literam Cl. Taylorus ad Marmor Sandvic. p. 48. putat esse Tau obliquum ⊢, quod exprimat mediam potestatem I et V.

Ac diurnis. Bene viri docti corrigunt, *actis diurnis*. v. Caes. 20.

42. *Cum utroque sermone sis paratus*, i. e. eum utroque sermone pompte uteris. Gratius Cyneg. 158. *Perses in utroque paratus*. ubi v. Burm. Nonnullae Edd. habent *peritus*, quod aliquando cum sexto casu struitur. Paulus L. 19. D. de instructo vel instr. leg. *servum arte fabrica peritum*. Eutrop. VIII. 17. *iure peritissimus*. v. Gronov. ad Gell. IV. 8.

Excubitor tribunus, est qui praeest excubiis ante palatium. v. Ner. 8. et Torrent. ad h. l.

Museum vel *Musium* Alexandriae appellabatur collegium doctorum virorum, qui publico sumtu ibi alebantur, ut literarum studiis vacarent. v. Strabon. XVII. p. 794. Id instituit Ptolemaeus Philadelphus, ut Casaubono placet, sed Ptolemaeus primus, vel Soter, ut docet Perizon. ad Aelian. V. H. III. 17. Alterum museum addidit Claudius, quod ex eius nomine Claudium vocatum. v. Athenaeum VI. 9.

43. *Sub exitu*, i. e. circa exitum. Liv. XLV. 10. *sub adventu Romanorum*. Ner. 5. *sub excessu* Tiberii. v. Duker. ad Flor. II. 9. p. 361.

Prosecutus, i. e. affatus. Phaedr. III. 5. 4. *assem deinde illi dedit, Sic prosecutus*.

Impubi, pro impuberi. Liv. II. 13. *elegisse impubes dicitur*. ubi v. Intt.

Quun-

Quando, i. e. quoniam, quandoquidem. Liv. XXXIII. 2. *quando tuta illa pacataque ab tergo relinquebantur*. ubi v. Drakenb.

Verum Caesarem, i. e. naturalem ipsius Caesaris filium.

44. *Discrepat*, impersonaliter dicitur pro dissentiunt, incertum est. Liv. III. 31. *Cum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet*. ubi v. Drakenb.

Praegustator est, qui cibos potusque principi dandos explorat. Eius mentio frequens in Inscriptionibus antiquis, ubi etiam *servus a potione* dicitur. v. Lips. ad Tacit. Ann. XII. 66.

Medicatum, i. e. veneno infectum. Sic *ficus medicatae* ap. Plin. H. N. XXXIII. 7. Sic *medicamen* et *medicamentum* pro veneno. Proprie *medicatum* dicitur, cui additum est aliquid extranei saporis.

NERO.

1. *Magna pars rutila barba fuerunt*. Saepe nomina diversi numeri in eodem casu per appositionem iunguntur. Liv. VI. 25. *Volsci magna pars in fuga caesi*. ubi v. Drakenb. inpr. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 8. p. 708.

Personas, hic ponitur pro homines: quod observandum potius, quam imitandum. v. Perizon. ad Sanct. Min. I. 12. 4.

Retulerit, i. e. denuo exhibuerit, instaurarit. Cic. pro Flacc. 1. *Cum veterem Valeriae gentis laudem*

dem reip. retulisset. Sic filius dicitur parentem *ore referre* ap. Virgil. Aen. IV. 329.

2. *Offensior*, i. e. iratus.

Ius sacerdotum subrogandorum. v. Sigon. de I. A. C. R. I. 19.

Os ferreum, i. e. durum et impudens. v. de Gramm. 22. et Intt. ad h. l.

Cor plumbeum, i. e. ingenium hebes et obtusum. Cic. Tusc. Disp. I. 29. *plumbeus in physicis.*

Obsidione laborantes. Laborare est labore, molestia, ac malo in aliqua re premi. Liv. V. 10. *Romae simul delectu, simul tributo conferendo, laboratum est.* ubi v. Duker.

In desperatione rerum, ex formula dicitur pro nulla spe salutis reliqua. Cic. ad Div. II. 16. *nisi diuturna desperatione rerum obduruisset animus ad dolorem novum.* v. Burm. ad h. l.

3. *Adspersus infamia*, i. e. maculatus. Nepos Alcib. 3. *adspergebatur etiam infamia.*

4. *Emtorem familiae pecuniaeque.* Torrentius male expungit vocem *pecuniae.* Nam *familia* et *pecunia* per synonymiam de universis bonis dicuntur. Sic in Lege XII. Tabb. ap. auctorem ad Herenn. I. 13. *Paterfamilias uti super familia pecuniaque legaverit, ita ius esto.* v. Ernest. ad h. l.

Saevitia. Nam gladiatores edebat sine missione. v. Lips. Saturn. II. 21.

5. *Argentarii*, praeerant auctionibus privatis. v. Ciceron. pro Caecin. 4. Sigon. de I. A. C. R. II. 11. et Torrent. ad h. l.

Sororis ioco. E vestigiis MSStorum legendum docet Oudendorp. *Neronis Caesaris ioco.* Intelligitur Nero, Germanici filius.

6. *Die lustrico*, i. e. quo infantes lustrabantur, et

et nomen accipiebant, qui feminis octavus erat, nonus maribus. v. Macrob. Saturn. I. 16. P. Fabrum Semestr. I. 6. et Torrent. ad h. l.

Id ipse. Melius *id ipsum.*

Corripere, saepe dicuntur, qui aliena invadunt nullo iure. Nepos Eum. 2. *omnium partes corripere atque complecti.* Tacit. Ann. XI. 8. *neque cunctatur, quin proximas praefecturas corripiat.*

Exuviae, proprie dicuntur pellis, quam serpens quotannis exuit et ponit. v. Virgil. Georg. III. 437.

Extremis rebus, i. e. desperatis rebus. Sallust. Iug. 23. *suas fortunas in extremo sitas.* ubi v. Cort. Cic. Fragm. or. Cornelianae p. 967. *extremo ac difficillimo tempore.* v. quae notavimus ad Rutil. Lup. I. p 28.

7. *Favorabiliter*, i. e. magno cum favore spectantium.

Praecipere, i. e. praeceptorem esse. de. Gramm. 16. *ut paucis et tantum adolescentibus praeciperet.* Seneca de Brev. vitae 7. *pauci ita percepisse visi sunt, ut praecipere possent.* v. Intt. ad h. l.

Subditivum, i. e. suppositum, non verum illius filium. Liv. XL. 9. *me subditum et pellice genitum appellant.* v. Gronov. ad Liv. Epit. 49. et Duker. ad Flor. III. 16. p. 566.

Premi, proprie et exquisite dicuntur rei, qui a potentiore vexantur et opprimuntur. Ovid. A. A. III. 12. *Helenesque sororem Quo premat Atrides crimine maior habet.* Liv. III. 13. *premebat reum, praeter vulgatam invidiam, crimen unum.* v. Gronov. et Drakenb. ad XXXIV. 31.

Auspicari, saepe dicitur pro initium facere honorum et reip. administrandae. Tacit. Ann. IV. 36. *prae-*

praefectum urbis, auspicandi gratia tribunal ingressum. ubi v. Lips. et Ernest.

9. *Adscribi*, proprie dicuntur, qui nomen dant in coloniam. Cic. Phil. II. 40. *colonos novos adscribi posse rescripsi.* Liv. IV. 10. *vexationes coloni adscripti remanendo in colonia vitavere.* ubi v. Drakenb.

Per domicilii translationem. Haec ita intelligenda, ut iis datum sit Antii domicilium, servato etiam pristino Romae, vel alibi. Sic municipes duo habere domicilia solebant. v. Ernest. ad h. l.

Praetorio, i. e. cohortibus praetorianis. v. inf. 46. et Perizon. de Praetor. p. 71.

10. *Delatores Papiae legis*, i. e. qui deferebant coelibes, aut eos, qui quid contra illam legem e testamentis cepissent. v. Tacit. Ann. III. 28. et ibi Lips.

Gratuitum. Tacit. Ann. XV. 72. dicit: *addidit sine pretio frumentum.* ubi v. Lips.

Ex more subscriberet. v. Perizon. de Praetor. p. 175.

Omnes ordines, i. e. praecipuos omnium ordinum, nisi cum Lipsio legere malis: *omnes Senatores ordine.*

Subinde, i. e. frequenter, identidem. Tib. 57. *subinde in obiurgando appellans eum.* v. Duker. ad Flor. II. 10. p. 366.

11. *Iuvenales ludi*, scenici erant, sed privati, et per domum celebrati, aut in hortis. Eos Nero instituit, cum barbam primam poneret. Iuvenalia autem dicta sunt, quia ut tirocinii die pueros exuebant, sic barba rasa iuventutem. v. Tacit. Ann. XIV. 15. et ibi Lips.

Loca equiti secreta. Equitibus nunc secreta loca tri-

tribuit Nero, ut ante Senatoribus Claudius. v. Claud. 21. Tacit. Ann. XV. 33. et ibi Lips.

Catadromum, i. e. funem, qui a superiore parte theatri ad inferiorem demissus erat. v. L. penult. D. de actionib. emti. De elephantis funambulis res mira est, sed tamen verissima. Exempla sunt in Galb. 6. et apud Lips. Cent. I. Miscell. Ep. 50.

12 *Proscenium*, est locus ante scenam, in quem scenici prodeuntes fabulam agebant. v. Virgil. Georg. II. 381. et ibi Serv.

Noxii, proprie dicuntur, qui ob crimen damnati sunt ad bestias, vel in ludum venatorium. Seneca Ep. 70. *quod perditi noxiosique habebunt*. v. Gronov. Obs. I. 8.

Exhibuit ad ferrum, i. e. induxit in arenam, qui pugnarent ferro. Sic *ad ferrum damnati* dicuntur in L. 8. D. qui testam. fac. poss. v. Brisson. de V. S. v. Ferrum.

Ministeria, pro ministris, ut *servitia* pro servis.

Cubiculum, i. e. suggestum, in formam parvi cubiculi extructum. v. Plin. Paneg. 51. Lips. de Amphith. 11. et Casaub. ad h. l.

Podium, est proiectura quaedam in theatris, instar pedis, unde et nomen habet. Ex hoc loco, tanquam spectaculis proximo, spectabant primi e Senatu. v. Vitruv. V. 7. et Lips. de Amphit. 11.

Honestissimus, i. e. honoratissimus.

Buthysia, vox Graeca, primum dicitur de sacrificio, quo bos mactatur, deinde de magno et sollemni sacrificio. v. Schol. Aristoph. ad Plut. 820. et Intt. ad h. l.

13. *Templa*, non modo sunt aedes Deorum in foro positae, sed etiam curia, basilicae, comitium. v. Cic. pro Dom. 51. in Vatin. 10. et Ernest. ad h. l.

De-

Devexum, scil. ratione Neronis, non Tiridatis, cuius ratione pulpitum erat molliter acclive. Sed bene Ernestus observat, talia verba de situ aliquando permutari a scriptoribus. Sic Lucan. IX. 502. *convexum* dicit, quod vulgo dicitur *concavum*, ubi v. Oudend.

Interpretata, passive sumitur. v. Gell. XV. 13. et ibi Gronov.

15. *Iurisdictio*, statim subiungitur Neronis consulatui, quia non ut Caesar, sed ut Consul, ius dixit. v. Perizon. de Praetor. p. 773.

Secederet, nempe cum consiliariis, quos, qui iudicium exercebat, in cognoscendo assumebat. v. Duker. ad Liv. XLV. 37.

Sed et. Delendum *et.*

16. *Adhibitus sumtibus modus.* Hoc saepe factum ab Imperatoribus. v. Capitolin. in M. Antonin. 12. et ibi Casaub.

Quadrigarii, sunt aurigae, qui quadrigis in circo agitandis certant. His post praestitam operam licebat per urbem vagari, praemiola petere, atque per iocum furari, si quid possent. Qualis olim, teste Livio IX. 30. tibicinum licentia fuit. v. Ernest. ad h. l.

Ius erat, exquisite dicitur pro mos, consuetudo erat. Petron. 78. *tumultuari suo iure coeperunt.* v. Intt. ad Flor. I. 17. p. 155. et Gronov. ad Senec. de Tranq. an. 3.

17. *Nisi pertusae* etc., i. e. ut perforatis in summo margine tabulis triplici per foramen lino traiecto obligarentur. v. Intt. ad h. l. et Schulting. ad Pauli Sent. Rec. V. Tit. 25. §. 6.

Primae duae cereae, sunt duae primae paginae ceratarum tabularum, quae vacuae relinquendae

erant

erant nominibus heredum, ut post testator nomina heredum addere posset. Neque enim necesse aut utile erat, signaturos testes scire nomina heredum. v. Salmas. de modo Usurar. cap. 11. et de subscr. et signandis testam. c. 16.

Appellationes ad Senatum. v. Lips. ad Tacit. Ann. XIV. 28. Exc. C. et Perizon. de Praetor. p. 765.

19. *Caligo*, i. e. vertigo capitis et oculorum. Liv. XXVI. 45. *cum altitudo caliginem oculis offudisset.*

Dispicere et *despicere* differunt. *Despicere* est desuper videre, deorsum spectare, unde ipsa contemnendi vis ducitur. *Dispicere* est intendere aciem oculorum ad videndum, et proprie dicitur de illis, qui ex tenebris attollunt oculos, et lumen requirunt. Cic. Tusc. Disp. I. 19. *qui, cum circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant.* v. Heins. ad Virgil. Aen. VI. 734. et Ernest. Clav. Cic. v. Despicio, et Dispicio.

Corbulae congesta, pro, in corbulam. Calig. 15. *Antoniae aviae honores congessit.* ubi v. Burm.

Haec partim etc. Similis locus in Floro II. 19. p. 419.

20. *Vigentem*, i. e. placentem, probatum. Cic. de Orat. III. 28. *Philonem in Academia maxime vigere audio.* Quinctilian. X. 1. *oratores, qui nunc vigent.* v. Ernest. ad h. l. et ad Tacit. Ann. IV. 61.

Chartam, vocat laminam propter figurae similitudinem. v. Casaub. ad h. l.

Blandiente profectu, exquisite dicitur pro *hortante successu*, ut loquitur Iustin. XXIV. 4. v. Casaub. ad h. l.

Fuscae, i. e. non satis clarae, cui *candida* opponitur. Cicero de N. D. II. 58. *Vocis genera permulta, canorum, fuscum, leve, asperum.* Sic etiam

Grae-

Graeci dicunt φωνὴν μέλαιναν et λευκήν. v. Intt. ad h. l.

Nullum esse respectum, i. e. nullam rationem haberi, non magni fieri. Sic Suetonii aetate loquebantur. Nam veteres *respectum* dicebant rem, ad quam respicimus, in qua fiduciam et spem collocamus, si res exigat: de qua vocis potestate v. Gronov. ad Liv. XXI. 44. et Intt ad h. l.

Νόμον, i. e. carmen, ad modos citharae cantatum. v. Salmas. ad Capitolin. M. Antonin. 7.

Subbibisset, i. e. liquorem aliquem sumsisset. v. Casaub. ad Athen. I. 22.

Suffertum, est plenum, densum, quod aures impleat, Graece ὑπόπυκνον. v. Casaub. ad h. l.

Tinniturum, i. e. sonaturum, vel cantaturum.

Commeatu, i. e. classe. v. Casaub. ad Aug. 98.

Robustissimae iuventutis. *Robustus* saepe dicitur, qui virilem aetatem attigit, nulla ratione roboris habita. Nepos Alcib. 2. *Postea quam robustior est factus*. v. Gronov. ad Iustin. III. 1. et Graev. ad Cic. ad Div. XIII. 10. Hic tamen respicitur ad robur et vigorem corporis.

Bombus, plausus genus, dicitur ad similitudinem sonitus, quem apes edunt: *imbrices*, ad similitudinem crepitantis super tegulas pluviae: *testae*, ad similitudinem crepitus, qui editur testis collisis. v. Casaub. ad h. l. et Passerat. ad Catull. p. 58.

Pinguissima, i. e. densissima, vel unguentis madida. Prior explicatio Torrentio placet, posterior Casaubono. v. Burm. ad Petron. 109.

Pueri, nec sine annulo laevis. Desperatus locus.

21. *In hortis*, quos Iul. Caesar populo reliquerat. v. Plin. H. N. XVII. 11. et Casaub. ad h. l.

In albo profitentium etc. v. P. Faber Agon. I. 25.

Per-

Peracto principio. More citharoedorum, favoris conciliandi caussa, his verbis allocutus est populum: *Domini mei, audite me libenter.* Hoc *principium* vocat Suetonius. v. Tacit. Ann. XVI. 4. et ibi Lips.

Se publicare, i. e. se publice in theatro exhibere, publice cantare. Tacit. Ann. XVI. 4. *flagitante vulgo, ut omnia studia sua publicaret.*

Privata spectacula, etiam a magistratibus edita dicuntur. Nam ratione principis etiam magistratus privatorum numero habentur. v. Intt. ad h. l.

Ornari, i. e. indui vestibus, quibus scenici utuntur, et quas persona illa postulabat. Terent. Hecyr. Prol. 11. *Orator ad vos venio ornatu prologi*, i. e. habitu. v. Fest. v. Ornatus.

22. *Ab ineunte aetate*, i. e. ab adolescentia. Nam *aetas inire* dicitur ab iis annis, quibus pueritia finitur. v. Heusing. ad Cic. de Off. I. 34.

Greges non sunt aurigarum, ut vulgo exponunt, sed *equorum*, ut satis patet e verbo *ducere.* v. Ernest. ad h. l.

Mappa, est pannus cretatus, quo, qui ludis praesideret, signum dabat procurrendi, et certamen inchoandi. v. Martial. XII. 29. Iuvenal. Sat. XI. 191. et Torrent. ad h. l.

Exceptus effusius, i. e. summis laudibus acclamantium. Gell. V. 1. *otium prolixe profuseque laudandi non habet.* ubi v. Gronov.

23. *Observare*, i. e. infenso animo attendere, ut aliquid vitii animadverteret. v. notata ad Caes. 65.

Captare, i. e. conari fallere. Plaut. Menaech. IV. 2. 83. *viden' ut scelestus captat?* Liv. XXXII. 33. *In colloquiis insidiari et captare.*

Iudices prius. v. P. Fabrum Semestr. III. 23.

Aequiore animo, i. e. tranquilliore.

Tristitia, i. e. morosa severitate in iudicando. Sic *tristis iudex* dicitur a Cicer. Act. I. in Verr. 10. v. Ernest. ad h. l.

24. *Baculum*, est sceptrum, quod histriones, qui regis personam agerent, in manu habebant. Ovid. Amor. III. 1. 13. de tragoedia: *Laeva manus sceptrum late regale tenebat. Baculum* pro sceptro etiam est apud Flor. III. 19. 10. v. Lips. Elect. I. 28. et Intt. ad h. l.

Hypocrita, i. e. histrione, qui, Nerone tragoedo cantante, saltabat, sive gesticulabatur. Hunc locum primus omnium recte explicuit Gronov. ad Liv. VII. 2.

Praeconio contendit, i. e. certavit cum aliis de arte praeconii. Nam praecones quoque, qui optime praeconium fecissent, ante ludorum missionem corona donabantur. v. Cic. ad Div. V. 12. et ibi Manut.

Hieronicae, dicuntur victores in Graecis certaminibus, quae *sacra* dicebantur. Horum autem omnium, maxime victorum Olympiae, statuas dicari, mos erat. v. Plin. H. N. XXXIV. 4.

Provinciam, i. e. Achaiam. v. P. Fabrum Semestr. I. 7.

25. *Disiecta parte muri.* Quo veteres significare volebant, non opus esse muro, si viros haberent, qui pugnare et vincere possent. v. Plutarch. Sympos. II. 5.

Aves. Inepta lectio. Sensus postulat *flores*, vel simile quid. v. Intt. ad h. l.

Lemnisci, sunt fasciolae dependentes ex coronis. Liv. XXXIII. 33. *populus coronas lemniscosque iacit.* v. Casaub. ad h. l. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Laxare, idem quod *remittere*.

26.

26. *Iuvenili errore.* Veteres saepe peccatum *errorem* vocant, cum illud elevare et excusare volunt. Cic. pro Marcell. 13. *etsi aliqua culpa tenemur erroris humani.* Liv. II. 3. *periculosum esse, in tot humanis erroribus sola innocentia vivere.*

Naturae, i. e. pravae indolis. Claud. 24.

Galero, i. e. coma adscititia. Belg. een Pruyk. Othon. 15. *galericulo propter raritatem capillorum adnexo.* v. Salmas. ad Tertull. Pall. p. 352.

Quintana, proprie erat via in castris, ubi praeda, aliaeque res venales exponebantur. v. Fest. h. v. et Lips. de Mil. Rom. V. 3.

Attrectare, est per libidinem contingere partes, quibus libido incitatur. Cic. pro Coel. 8. *uxores a coena redeuntes attrectatas esse.* Domit. 1. *contrectatis multorum uxoribus.* v. Schulting. ad Senec. Contr. II. p. 197.

Illud horae, i. e. circa illud horae. Galb. 14. *principi electo, atque illud aetatis.* De hac ellipsi v. Periz. ad Sanct. Min. IV. 6. p. 687.

Decerneretur, i. e. pugnaretur. Frequentes apud historiae scriptores locutiones sunt, *acie*, *armis*, *ferro*, *certamine decernere.* v. Drakenb. ad Liv. XL. 8.

27. *Piscina*, est conceptaculum aquarum, in quo veteres lavabant et natabant. v. Martial. III. Ep. 44. et Salmas. ad Vopisc. Carin. 17.

Ambubaiae, dicuntur tibicinae lingua Syrorum, quibus *ambub* est tibia. Hae mulieres tum cantando, tum corpore vulgando quaestum faciebant. v. Horat. I. Serm. 2. 1. et Casaub. ad h. l.

Insignes genere etc. Locus corruptus, qui rectius sic legitur in libris MSS. *insignes genere et matronarum, institorum loco, passim invitantium.*

Mitellita, scil. coena, cuius obsonia in formam mitellarum vel parvarum mitarum fuerint apposita et distributa. Sic Oudendorpius hunc locum exponit. Sed scriptura incerta.

28. *Paedagogia.* Hic sumuntur pro coetu formosorum puerorum, qui turpissimae rei caussa educabantur. v. Senecam Ep. 96. et Lips. ad Tacit. Ann. XV. 69. Exc. B.

Per sollemnia nuptiarum. Sic Oudendorp. e libris MSS. restituit. *Per sollemnia* dicitur pro, quando sollemnia celebrabantur. Sic Claud. 26. *per spectacula.*

Libidinari, est quod Graeci χειρουργεῖν dicunt. v. Burm. ad h. l.

29. *Neminem hominem.* Poterat *hominem* abesse. Sed saepe hae voces iunguntur. Terent. Phorm. V. 3. 25. *Propior illi homo nemo est.* Cic. ad Div. V. 17. *neminem prudentem hominem.* v. Intt. ad h. l.

Concessisse, i. e. condonasse, gratiam fecisse. Cic. pro Rosc. Amer. I. *neque temere dicto concedi potest.* ubi v. Graev. Ovid. Trist. II. 31. *sed, nisi peccassem, quid tu concedere posses?* v. Oudend. ad h. l.

30. *Ratio constare* dicitur, cum expensa congruunt cum acceptis. Tacit. Ann. I. 6. *non aliter ratio constat, quam si uni reddatur.* ubi v. Lips.

Perderent, i. e. inutiles sumtus facerent. Terent. Adelph. I. 2. 54. *tibi si istuc placet, profundat, perdat.* v. Broukhus. ad Propert. II. 6. 8.

Canusinatis, i. e. indutis veste ex lana Canusina, quae rutila erat. v. Plin. H. N. VIII. 48. et Intt. ad h. l.

Mazages, vel, ut alii volunt, *Mazuges*, genus equi-

equitum, in comitatu nobilium virorum. v. Intt. ad h. l. et Oudend. ad Lucan. IV. 681.

31. *Damnosus* est, qui suis facultatibus damnum affert, prodigus. Plaut. Pseud. I. 5. 1. *si de damnosis aut de amatoribus dictator fiat.* Sic *damnum* pro iactura rei familiaris. Cic. Verr. I. 12. *damna, quae res patris eius pertulit.* v. Graev. ad h. l. et Burm. ad Quinctil. Decl. 377.

Vestibulum, est area vacua inter viam et domum, Gall. bassecour. v. Gell. XVI. 5. et Swarz. ad Plin. Paneg. 52.

Laquearia, vel *laqueata tecta* sunt, quae nunc *lambrissata* vocant. Nam ex tabulis ligneis fiebant, in varias figuras sectis et caelatis. v. Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 46. et Ernest. Clav. Cic. v. Lacunar.

Fistulatis. Lips. de Magn. Rom. III. 14.

Vice mundi, i. e. modo et more mundi. Sallust. Fragm. p. 961. *ceteri vice pecorum obtruncabantur.* ubi v. Cort. Cic. ad Att. X. 8. *Sardanapali vice in suo lectulo mori.*

Dedicaret, i. e. domo uti inciperet. v. notata ad Aug. 43.

Quod ubique esset custodiae, i. e. quantum ubique esset captivorum. Caesar de B. G. III. 16. *navium quod ubique fuerat.* v. Perizon. ad Sanct. Min. III. 6. p. 425.

Ad impendiorum furorem, i. e. ad faciendas nimias et insanas impensas. Sic Cic. Verr. III. 48. *insanire* dicit eum, qui quid nimis cupide et nimio pretio emit.

Scelere convictos. Frequentior est Genitivus. Claud. 14.

Pro comperto, i. e. pro certo. Liv. XXXIX. *vix pro comperto tantam rem habiturus.*

32. *Destitutus*, proprie dicitur, qui deceptus est ab eo, qui quid promisit. Cic. de Offic. I. 10. *cui promissum sit, si se destitutum queratur*. v. Ernest. Clav. Cic. h. v.

Studiosi iuris, sunt ICti, a quibus formulae syngrapharum. contractuum, testamentorum petebantur. Postea *tabelliones* has sibi partes sumserunt. v. Brisson. de V. S. v. Studiosus, et Intt. ad h. l.

Lege facta teneretur. Non tantum homines, sed etiam facta *lege teneri* dicuntur. Virgil. Aen. XII. 819. *Nulla fati quod lege tenetur*. v. Oudendorp. ad. h. l.

Praeclusit cunctos negotiatores, i. e. iussit claudi tabernas omnium negotiatorum. Sic conductores, qui pensionem non solverant, *percludi* dicuntur in L. 9. D. in quib. causs. pign. vel hypoth. tacite contrah. Frustra in hoc loco aestuant viri eruditi.

Ultimo, i. e. ad postremum.

Detraxit, i. e. abstulit. Donaria in templis cum consecrantur, proprie dicuntur *reponi*, cum auferuntur, *detrahi*. Vitell. 8. *gladius delubri detractus* v. Ernest. ad Tacit. Ann. XV. 53.

33. *Acceperat*, i. e. hauserat. Ovid. Remed. Amor. 740. *Et vomit acceptas ore Charybdis aquas*. Iustin. XII. 10. *herba in potu accepta*. v. Burm. ad Quinctil. Decl. XV. p. 312. et V. D. Misc. Obs. Nov. T. II. p. 87.

Materia. Omnino legendum *maceria*, ut etiam placet Perizonio ad Aelian. V. H. VIII. 16.

Venenariorum indice. Viri docti bene legunt, *venenariorum inclyta*. *Venenarii* sunt, qui venena miscent. v. L. 28. §. 9. D. de Poen. et Brisson. de V. S. h. v.

Sa-

Sane, ironiae servit. Terent. Eun. I. 2. 9. *Sane, quia hae mihi patent semper fores.*

Legem Iuliam, sive Corneliam, a Iulio Caesare repetitam, de Sicariis, cuius pars fuit de veneficiis. v. Ernest. ad h. l.

34. *Militum*, scil. Praetorianorum. Nam duplex Principi custodia erat, Praetoriani milites, et Germani, vel potius Batavi. v. Tacit. Annal. XIII. 18. et ibi Lips.

Neque quicquam pensi habuit, i. e. nihil perpendit, nihil curavit. Sallust. Catil. 5. *dum sibi regnum pararet, nihil pensi habebat*, ubi v. Cort. Domit. 2. *nihil pensi habuit, quin praedaretur omni modo.*

Confirmaretur, i. e. animus ei adderetur.

Exagitari, i. e. inquietari, terreri. Cic. pro Rosc. Amer. 24. *videtisne, ut eos agitent Furiae?* Propert. II. 7. 81. *Exagitet nostros manes, sectetur ad umbras.* v. Markl. ad Stat. Silv. III. 3. 15.

Evocare manes. Veteres certis carminibus manes ab inferis ciebant, atque ex illis futura exquirebant. Ovid. Amor. I. 8. 17. *Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris.* Tibull. I. 2. 45. *manesque sepulcris Elicit, et tepido devocat ossa rogo.* ubi v. Broukhus.

Ut assolet, scil. *fieri.* Liv. VI. 34. *parva, ut plerumque solet, rem ingentem moliundi caussa intervenit.* ubi v. Drakenh.

35 *Sub crimine adulteriorum.* Praepositio *sub* significat praetextum et speciem, quam rei obtendimus. Ovid. Fast VI. 643. *Haec aequata solo est, nullo sub crimine regni.* Petron. 93. *nos omnes sub eadem caussa obruet.* ubi v. Burm. Poterat etiam h. l. abesse praepositio, ut ap. Quinctilian. Decl. 379.

p. 776. *occisum adulterii crimine in publicum abiecit.* ubi nihil mutandum.

Eat nunc. Elegans exprobrandi formula. Propert. III. 16. 17. *I nunc tolle animos.* Virgil. Aen. VII. 425. *I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis.* v. Heins. ad Ovid. Amor. III. 5. 1. et ad Claudian. de R. Proserp. I. 91.

Ducatus et imperia ludere, i. e. ludendo agere ducem exercitus et imperatorem.

36. *Foris*, i. e. eos, qui non erant inter necessitudines.

Ostenta expiare, i. e. Deos, qui ostenta immiserant, placare. Liv. XXIII. 33. *prodigia cum cura expiata.* Galb. 18. *ad expiandum somnium.*

Enimvero, i. e. tum vero. Quae particulae in initio orationis positae rem gravissime affirmant. Liv. I. 51. *enimvero manifesta res visa.* ubi v. Drakenb.

E vinculis dixere caussam. Liv. XXIX. 19.

Capsarii sunt, qui capsulas sive thecas librarias portant pueris, in ludum euntibus. Iuvenal. Sat. X. 117. *Quem sequitur custos angustae vernula capsae.* v. Brisson. de V. S. h. v.

37. *Stationem.* Legati municipiorum circa forum stationes habebant, in quibus consisterent, quoad in Senatum admitterentur, et ut inveniri a convenire volentibus possent. v. Plin. H. N. XVI. 44. Brisson. Select. Antiqu. II. 12. et Ernest. ad h. l.

Stemma, est series et ordo generis, a Graeco verbo *στέφω*, *corono*, quoniam nomina propinquorum in circulo, qui coronam referret, scribebantur. v. Seneca de Benef. III. 28. et ibi Lips.

Horarum. Supplendum *aliquot*, vel *paucarum*, quae ellipsis satis usitata est. Domit. 5. *secretum*

ho-

horarum sibi sumere solebat. v. Burm. ad Quinctil. XII. 3. p. 1066.

Significationes iecit, i. e. subobscure ostendit. Cic. pro Flacc. 3. *quae est usquam iacta suspicio?* ad Att. II. 7. *illud quid sit, scire cupio, quod iacis obscure.* v. Intt. ad h. l.

Optavit, i. e. precatus est Deos.

Moenia, intellige non muros urbis, sed tecta et aedificia intra urbem. v. Bentl. ad Horat. II. Epist. 1. 2.

38. *In sermone communi.* Ernestus e MSS. recepit, *in sermone convivii*, eamque lectionem adversus Oudendorp. bene defendit ad Tacit. Annal. XIII. 17.

Hostilibus spoliis adornatae. Spolia, quae quisque privatim in proelio cepisset, domi suae figere solebat. v. Liv. XXIII. 23. et Perizon. Anim. Hist. VII. p. 241.

Duraverat, supererat. Tib. 6. *munera durant, ostenduntur que adhuc.*

Collationibusque. *Que* apud Suetonium saepe est praeterea, deinde. Exempla habet Ernest. ad h. l. et ad Tacit. Ann. II. 37.

39. *In rationem Libitinae.* Instituit Servius Tullius, ut parentes, nata prole, numum in aerarium Iunonis Lucinae, mortua prole, in Veneris Libitinae inferrent. Haec est ratio Libitinae. v. Dionys. Hal. IV. p. 220. Casaub. ad h. l. et Kirchmann. de Funer. I. 9.

Dictis, i. e. dicteriis, salse et facete dictis. Cic. ad Div. XI. 20. *nihil de te questum, nisi dictum.* ubi v. Graev. *Bonum dictum* Ennius dicit ap. Cicer. de Orat. II. 54. ut Galli, un bon mot.

Cornua, i. e. arcus, quibus Parthi valebant. Ovid.

Ep. IV. 39. *cornu praesignis adunco Delia.* ubi v. Heins.

Nauplius, Palamedis pater. Nauplium, tragoediam, scripserat Sophocles. v. Casaub. ad h. l.

Orcus vobis ducit pedes. Locus deploratus.

40. *Ordinationem Orientis.* Nihili lectio, pro qua bene e MSS. reposuit Oudendorp. *dominationem Orientis.*

Cui spei pronior, i. e. ad quod sperandum proclivior. *Pronus* saepe cum Dativo iungitur. Ovid. Trist. I. 2. 88. *Pronaque sunt nostrae numina vestra rati.* Galb. 12. *quasi Dolabellae proniorem.* v. Oudendorp. ad h. l. et Ernest. ad Tacit. Ann. IV. 60.

Defunctum se malis, i. e. liberatum se malis. Liv. X. 29. *defunctos consulis fato.* ubi v. Drakenb. *Defungi* proprie est ita fungi, ut nihil supersit.

Concepit, nempe animo.

Pisces eas sibi relaturos. Ut Polycrati, Samiorum tyranno, cuius nota est historia ex Herodoto.

Lente ferre, est patienter ferre, nullam animi perturbationem, nullam iram ostendere. Cic. de Orat. II. 45. *si tu ipse id lente ferre videare.* Ovid. Amor. II. 19. 51. *Lentus es, et pateris nulli patienda marito.* v. Heins. ad Ovid. Ep. XV. 169. et Burm. ad Petron. 93.

Effusissimo, i. e. nimio, maximo. Sic *effusi honores* ap. Nepot. Milt. 6. *effusae largitiones*, in Attic. 6.

Malum, i. e. poenam. Liv. IV. 49. *malum militibus meis, nisi quieverint.* v. Gronov. ad Senec. de Ira I. 16.

41. *Malum*, i. e. imperitum artis suae. Serv. Sulpic. Ciceroni IV. 5. *neque imitare malos medicos.* Phaedr. I. 14. 1. *Malus sutor, inopia deperdi-*

ditus, ubi v. Burm. Contra *bonus* est artis suae peritus, ap. Horat. I. Serm. 3. 125.

Laboratae, i. e. elaboratae. Virgil. Aen. I. 639. *Arte laboratae vestes.* ubi v. Serv. Ovid. Ep. XIX. 183. *arte laboratas puppes.* v. Burm. ad h. l.

Aliis super alios nuntiis. Poterat etiam dixisse, *aliis atque aliis*, *aliis ex aliis*, *aliis post alios*, *aliis*, *deinde aliis.* Sic veteres hanc formulam variant. v. Swarz. ad Plin. Paneg. 14.

Organa hydraulica, sunt machinae musicae, quae aquarum agitatione impulsae sonum edunt. v. Vitruv. X. 13. et Ernest. Clav. Cic. v. Hydraulus.

42. *Male fracto*, i. e. valde.

Intermori, interdum est animo sensibusque deficere, ut, qui non moritur, mori tamen videatur. Cic. in Pison. 16. *eandem manum ex intermortuis Catilinae reliquiis concitastis.* v. Manut. ad Cicer. pro Mil. 5.

Lascive, i. e. cum exultatione in rebus secundis. Sic *lascivia* ap. Liv. XXIII. 11. *lasciviam a vobis prohibetote.* ubi v. Gronov.

Placenti, i. e. qui studiose a populo audiretur. *Placere* proprium in hac re verbum est. Galb. 12. *choraulae*, *mire placenti.* Vitell. 11. *citharoedum placentem admonuit.*

Abuti occupationibus suis, i. e. captare tempus, quo ipse occupatus esset, ut non posset cum eo certare. v. Ernest. ad h. l.

43. *Defenderetur.* Intellige *incendium.* *Defendere* est repellere, arcere. Caesar de B. C. II. 2. *ut ignis iactus et lapides defendi possent.* Rutil. Lup. II. p. 105. *palliolo frigus a capite defendens.* v. Heins. ad Ovid. Ep. V. 16. et Drakenb. ad Liv. XL. 43.

In-

Innixus humeris familiarium. Hic principum mos fuit. Iustin. XIV. 6. *veste regali, duabus ancillis innixa procedit.* Tib. 25. *dextram obambulantis velut incumbens continuit.*

Epinicia, i. e. carmina, quibus victoria celebratur.

44. *Numum asperum*, i. e. recentem, non detritum. Pers. Sat. III. 70. *quid asper utile numus habet?* Seneca Ep. 19. *nec voles, quod debes, nisi in aspero et probo accipere*, ubi v. Lips.

Argentum pustulatum est, quod multiplici coctione refusum, sordes per pustulas eiecit, atque adeo purum putum est. Martial. VII. Ep. 86. *argenti libra pustulati.* v. Cuiac. Observ. VII. 39. et Graev. Lect. Hesiod. cap. 18.

Obrussa, e Graeco ὄβρυζα, est auri experimentum, quod igne capitur, unde et aurum *obryzum* dictum est. Cic. Bruto 74. *adhibenda tanquam obrussa, ratio est.* v. Salmas. Exerc. Plin. p. 760. et quos laudat Ernest. Clav. Cic. h. v.

45. *Lucrantium.* Legendum e MSS. *lucranti.* Neroni lucrum ex annonae caritate captanti accrevit invidia ex pulveris advectione loco frumenti. v. Oudend. ad h. l.

Pulverem, quo luctantes se mutuo adspergebant. Ovid. Met. IX. 35. *Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis.* Graeci ἀφὴν dicunt. v. Perizon. ad Aelian. V. H. IX. 3.

Nihil contumeliarum defuit. Cl. Ernestus, Latinitate postulante, rectissime legit, *nihil contumeliarum fuit.*

Cirrum, Neronis statuae irrisor apposuit, ut ei exprobraret citharoedi et simulati Apollinis cultum. v. Intt. ad h. l.

Ascopera, est culleus, quem Graeci etiam ἀσκοθύλακον dicunt. v. Casaub. ad h. l.

46. *Artissimas tenebras*, nove dictum pro densissimas. Apulei. de Deo Socrat. p. 43. *in artissimis tenebris lumen candidum intermicare.* v. Ernest. ad h. l.

Simulacra gentium. Non singularum tantum personarum, sed et gentium imagines factas esse, constat. v. Plin. H. N. XXXVI. 5. et Casaub. ad h. l.

Asturco, proprie est equus ex Asturia. Sed postea aliarum quoque nationum equi dicti sunt Asturcones, ut *Asturco Macedonicus* ap. Petron. 87. ubi v. Intt.

Votorum nuncupatione, i. e. die, quo vota pro salute principis suscipiebantur. v. Lips. ad Tacit. Ann. XVI. 22. Exc. B.

Exitum facturos, i. e. finem habituros. Petron. 45. *putabat, Hermogenis filiam bonum exitum facturam.* v. Casaub. ad h. l.

47. *Mensam subvertit.* Seneca de Ira I. 16. *quid opus est mensam evertere? quid pocula affligere?* Exempla similis ἀσχημοσύνης ex impatientia habet Casaub. ad Aug. 23.

Usque adeone. Est hemistichum Virgilii Aen. XII. 646.

Quanta maxima, eleganti pleonasmo dicitur pro maxima. Cic. de Amic. 20. *Tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum distantia.* Plin. II. Ep. 13. *tribuas ei quantum amplissimum potest.* v. Davis. ad Caesar. de B. G. V. 28. et Intt. ad Liv. IX. 10.

Vel Aegypti praefecturam. Aegypti praeses potestate et dignitate inferior erat ceteris praesidibus, sine fascibus et lictoribus, et tantum praefecti nomi-

mi-

mine. v. Aug. 66. Vesp. 6. et Ernest. ad h. l.

Cogitatione, i. e. meditatione, quid facturus esset. Vellei. Pat. I. 10. *cogitationem regiam Rom. disiecit constantia*. ubi v. Heins.

Pyxis veneni, est pyxis plena veneni. Sic ap Cic. Parad. III. 1. *navis auri* et *navis paleae*. Apud alios *cadus vini*, *patera sanguinis*, etc.

48. *Tremore terrae*, i. e. motu. v. Galb. 18. Gell. II. 28. et ibi Gronov.

Missicio, i. e. qui honestam missionem impetravit. v. Don. Inscr. Cl. VI. n. 68. et Intt. ad h. l.

Ad adversum. Verissime emendatur, *ad aversum*. Aversam villam ingredi voluit, ut melius lateret.

Decocta, scil. aqua. v. Plin. H. N. XXXI. 3.

49. *Extulerat*. Sic bene MSS. non *tulerat*. *Efferre* proprie quis dicitur id, quod iter suscipiens secum portat. Sup. 31. *thesauros*, *quos Dido secum extulisset*. Galb. 8. *ut secum decies sestertium in auro efferret*.

Vivo deformiter ac turpiter. Cl. Herm. Cannegieterus ad Fragm. vett. IC. p. 183. ex Io. Sarisberiensi VIII. 19. legit: *vivo deformiter, ac turpiter pereo*. Quod melius est lectione vulgata.

A libellis, i. e. qui supplices libellos principi ministrabat. v. Domit. 14.

Prius, i. e. potius. Liv. XXIII. 28. *Italiae cura prior erat*. ubi v. Drakenb. Saepe iunguntur *prior* et *potior*.

50. *Stragulis*. Male Kirchm. de Funer. I. 10.

Solium, est loculus, in quo conduntur mortui. v. Plin. H. N. XXXV. 12. et Ernest. ad h. l.

Lunensi ara, i. e. ara e marmore Lunensi, quod candore Parium superabat. v. Plin. H. N. XXXVI. 5.

ait.

5. Veteres autem in sepulcralibus monumentis mensas et aras statuebant, ut manes sacrificiis placarent. v. Kirchm. de Funer. IV. 2.

51. *Sufflavo capillo*. *Flavos capillos* alii vocant *fulvos*, *aureos*, *rutilos*, non *rufos*, qui turpissimi sunt. v. Broukhus. ad Tibull. I. 6. 8.

Synthesina, est vestis talaris, floribus picta, qua his temporibus utebantur loco pallii accubitorii. v. Martial. V. Ep. 121. et Salmas. ad Vopisci Bonos. 16.

Sine cinctu, Bochart. Hieroz. II. 50. p. 599. hoc male refert ad Achaicam expeditionem.

52. *Translatos*, i. e. aliunde descriptos. Phaedr. prol. lib. V. 18. *Vestras in chartas verba transfertis mea*. v. Burm. ad h. l.

Generante, i. e. inveniente. Quinctilian. I. 1. *in iis aetatibus, quae nihil dum ipsae ex se generare queant*.

53. *Exire*, proprie dicuntur secreta, quae per famam in vulgus sparguntur. Nepos Hann. 9. *de qua sciebat exisse famam*. Valer. Flacc. IV. 170. *si nuncius exiit oris*. Galb. 20. *exierat in vulgus*. v. Swarz. ad Plin. Paneg. 75.

Opinio, i. e. fama. Caesar de B. C. III. 29. *quae opinio erat edita in vulgus*. Iustin. VIII. 3. *mittit, qui opinionem sererent*. v. Casaub. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. XLV. 38.

Nudus, i. e. sine armis. Liv. V. 45. *nuda corpora trucidantur*. ubi v. Drakenb.

54. *Hydraula* vel *hydraules*, qui hydraulo canit. v. notata ad cap. 41.

Choraula, qui cum choro canit tibiis. v. Galb. 12. Salmas. ad Vopisc. p. 491.

Utricularius, qui utriculo inflato canit. Glossae ve-

veteres: *Utricularius*. ἀσκαύλης. v. Swarz. Miscell. politior. humanit. p. 36.

Gravem adversarium, Burm. ad Calpurn. Decl. V. p. 98. explicat invisum, quem ferre non poterat. Minus recte. *Gravis adversarius* est, qui non facile vinci potest. Cic. ad Div. II. 4. *Est tibi gravis adversaria constituta et parata, incredibilis quaedam exspectatio.* v. Duker. ad Flor. I. 3. p. 38.

56. *Attendit*, scil. animum, i. e. operam dedit. Calig. 53. *eloquentiae plurimum attendit.* Galb. 5. *inter liberales disciplinas attendit et iuri.*

GALBA.

1. *Gallinam albam.* In quo faustum omen erat. Sic *gallinae filius albae* pro feliciter nato ap. Iuvenal. Sat. XIII. 141. de quo proverbio v. Gesner. Thes. L. L. v. Albus.

Pangi, proprie dicuntur plantae, cum in terram demittuntur. Propert. III. 15. 15. *Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles.* Columell. XI. 3. *lactuca mense Martio recte pangitur.* v. Fest. h. v.

Institutam, i. e. plantatam. Cic. Agrar. II. 25. *iugera, ubi institui vineae possunt.* de Gramm. 23. *vitem manu eius institutam.*

3. *Generis*, i. e. gentis. *Genus* appellat omnes Sulpicios, *familiam*, Sulpicios Galbas. Cic. de amicit. 19. *qui propter ignorantiam stirpis et generis in famulatu fuerunt.* v. Sigon. ad Liv. IV. 1.

Quam brevi corpore. Omnino scribendum: *quamquam brevi corpore*, intellecta mox particula *tamen*,

quae

quae saepe post *quamquam*, *quamvis*, *etsi*, omittitur. v. Oudendorp. ad h. l. et quae notavimus ad Aquil. Roman. p. 190.

4. *Adoptatus a noverca.* Intelligenda adoptio e testamento, qualis est ap. Cicer. ad Att. VII. 8.

Fulmen procuranti, i. e. fulminis caussa rem sacram facienti. Cic. de Divin. I. 2. *cum magna vis videretur esse in monstris procurandis in haruspicum disciplina.* v. Intt. ad Phaedr. III. 3. et Broukhus. ad Tibull. I. 5. 13.

Frugiferam. Icti veteres *frugum* nomine tantum complectuntur frumenta et legumina. v. Brisson. de V. S... Sed ex hoc loco et multis aliis patet, *fruges* etiam de arborum fructibus dici. Ovid. de Nuce 21. *Nos quoque frugiferae, si nux modo ponor in illis.* v. Broukhus. ad Tibull. I. 1. 5. et Graev. ad h. l.

Obscoenum, i. e. infaustum, dirum. Haec vox inprimis sedem habet in auguriis. Sic *omina obscoena* ap. Cic. pro Dom. 55. *obscoenae volucres* ap. Virgil. Aen. XII. 876. ubi v. Serv.

Aetate constanti, i. e. virili. Cic. de Senect. 20. *num ea constans requirit aetas, quae media dicitur?*

5. *Sollicitari*, i. e. impelli, induci: qua significatione hoc verbum Suetonii demum aetate dici coepit. v. Intt. ad h. l.

Observare, est colere, officiis prosequi. Cic. pro Muren. 34. *si ad forum deducimur, diligenter observari videmur.* v. P. Fabrum Semestr. I. 20. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Praecipuum habere, is dicitur a ICtis, qui quid legatum accipit praeter communionem aliorum legatariorum. v. Brisson. de V. S. h. v.

6. *Data tessera*, i. e. dato mandato. Intelliguntur eius generis tesserae, quibus imperator si-

gnificabat, quid fieri vellet. Liv. XXVII. 46. *Tessera per castra data est, ut tribunus tribunum acciperet.* v. Casaub. ad h. l. et Drakenb. ad Sil. Ital. VII. 347.

Manus paenulis continerent. Apud veteres modestiae signum erat, manum intra togam continere, contra immodestiae, manum exerere. Cic. pro Coel. 5. *Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus.* ubi v. Intt. Qui mos a Graecis ad Romanos venit. v. H. Vales. ad Exc. Peiresc. p. 34.

Campestrem decursionem. *Campicursionem* vocat Veget. de R. M. I. 27. v. Lips. ad Tacit. Ann. II. 55.

7. *Per hoc*, i. e. propter hoc.

Decernere, proprie dicuntur magistratus, cum sententiam ferunt. Cic. ad Div. XIII. 59. *in eius controversiis quid decernas, a te non peto.* v. Gronov. ad Liv. XXVII. 20.

8. *Ad gestandum*, i. e. ut gestaretur. Qua passiva Gerundii significatione frustra offenditur Torrentius. Cic. ad Div. IX. 25. *nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius.* Iustin. II. 6. *bella ultra spem gerendi peracta sunt.* XVII. 3. *Athenas quoque erudiendi gratia missus.* v. Freinshem. Ind. Iustin. v. Erudire, et quos laudat Oudendorp. ad h. l.

9. *Versanti pecunias*, i. e. tractanti. v. Graev. ad h. l.

Implorare leges, est auxilium legum cum miseratione deposcere. v. Serv. ad Aen. X. 19.

Dominum rerum, i. e. imperii. Liv. I. 45. *Ea erat confessio, caput rerum Romam esse.* Ovid. II.

ex P. 2. 12. *In rerum dominos movimus arma Deos.* v. Serv. ad Aen. III. 54.

10. *Velut instar*, i. e. velut similitudinem. Iustin. XVIII. 5. *ex frequentia hominum velut instar civitatis effectum est.* ubi Vorstius frustra delet *velut*, tanquam glossam marginalem, ut hic Suetonii locus ostendit. v. Casaubon. ad Apulei. Apol. p. 146.

Excubias agere, dicitur pro excubare, ut *agere iras* pro irasci ap. Senec. Thyeste 179. *agere motus* pro movere ap. eundem Herc. Oet. 737. vid. Markl. ad Stat. Silv. V. 1. 201.

Conspirandi, et ut iuvarent. De hac constructionis variatione v. Intt. ad h. l. et quae notavimus ad Caes. 88.

11. *Recuperavit*, i. e. recepit.

12. *Ordinarius* dispensator est primus, qui sub se habet vicarios. v. Senecam Ep. III. et Brisson. de V. S.

Paropsis vel *parapsis* est vas, in quo obsonia apponuntur. De duplici vocis scriptura v. Hesych. et ibi Intt.

Diligentia, est rei familiaris tuendae studium, cui opponitur *negligentia*. Rutil. Lup. I. p. 17. *non tam diligentiae fructus, quam inopiae miseria consequitur.* ubi videte quae notavimus.

Loculis, i. e. sacculo. v. Horat. II. Ep. 1. 145. et Brisson. de V. S.

13. *Egerunt*, i. e. gestibus, histrionis modo, expresserunt.

14. *Adhaerentes.* Liv. XXXIX. 25. *lateri adhaerere gravem dominum.*

Summi equestris gradus candidatus. Lips. ad Tacit. Hist. I. 12. intelligit candidatum procurationis. Sed Suetonius tantum dicere vult, hunc liber-

 tum

tum eo pervenisse, ut princeps propemodum equestris ordinis haberetur: quae Casauboni est explicatio.

Atque illius aetatis. Elegantius est, quod MSS. praebent: *atque illud aetatis.* Liv. X. 24. *quid se id aetatis sollicitassent?* ubi v. Drakenb. Addite notata ad Ner. 26. et Intt. ad h. l.

15. *Emissariis*, i. e. qui emittuntur ad hominum dicta et facta exploranda, et deferenda. v. Domit. 11.

16. *Offensus*, i. e. invisus. Cic. Catil. I. 7. *si me meis civibus offensum viderem.* v. Casaub. ad h. l.

Praepositi, i. e. praefecti militum.

Eo nomine, i. e. ea caussa. Cic. ad Div. XIV. 3. *ego eo nomine sum Dyrrachii.* Vellei. Paterc. I. 3. *Quo nomine mirari convenit.*

Adigi sacramento, i. e. praestare iusiurandum militare. Vesp. 6. *primus in verba Vespasiani legiones adegit.* Dicitur quoque *adigere sacramentum*, et *adigere ad sacramentum.* v. Liv. XLIII. 15. et ibi Drakenb.

18. *Excepit*, i. e. secutus est.

Coronam de capite excidisse. Hoc *caducum auspicium* vocabatur, ut Festus v. caduca auctor est, et infaustum habebatur. v. Casaub. ad h. l. et Drakenb. ad Sil. Ital. XVI. 269.

19. *Continere se*, i. e. domi manere. Nepos Epam. 10. *domo se tenuit.* ubi v. Bos. Sic *castris se tenere* frequens est ap. Livium. v. Drakenb. ad III. 2.

Loricam linteam, i. e. thoracem e lino contextum. v. Casaub. ad h. l. et quos laudat Drakenb. ad Liv. IV. 20.

20. *Vester sum*, i. e. vobis faveo, vobis amicus sum. Terent. Andr. V. 6. 12. *Tuus est nunc Chre-*

mes. Cic. ad Q. Fr. II. 1. *Plancius totus noster est.* v. Virg. Aen. II. 149. et ibi Serv.

Quando ita videretur, i. e. si ita decrevissent.

Vexillatio, est cohors militum vexillariorum. *Vexillarii* autem sunt genus militum, qui certo numero essent cuique legioni attributi, verum sub propriis vexillis. v. Ernesti Exc. I. ad Taciti Histor. p. 579.

Cupide fruaris aetate tua, i. e. cape voluptatem, quae convenit aetati tuae. *Frui* proprium verbum est in re amorum. v. Flor. IV. 11. p. 774. et ibi Duker.

21. *Morbo articulari*, i. e. arthritide.

22. *Spargi*, i. e. dividi, distribui. Plin. Paneg. 66. *eandem speciem laudis diducere et spargere.* ubi v. Swarz.

Libidinis pronior. *Pronus* cum genitivo etiam construitur a Claudiano II. in Ruf. 400. *pronior audendi.* Infinita adiectiva sunt, quae Graeco more cum genitivo construuntur. v. Burm. ad h. l.

O T H O.

1. *Incertum.* Hoc impersonale saepe ita ponitur. Liv. VIII. 17. *incertum, qua fide culturus pacem cum Romanis.* ubi v. Drak.

Ante principia. Saepe milites extra vallum plectebantur, ut patet ex Seneca de Ira I. 16. saepe ante principia. v. Lips. ad Tacit. Ann. XV. 16. et Perizon. de Praetor. p. 55.

Promotos. *Promoveri* proprie dicuntur milites,

 qui

qui ad altiorem gradum evehuntur. Lucan. VI. 146. *Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.* Curt. VI. 11. *vetus miles, ab humili ordine ad eum gradum promotus.*

2. *Procax*, i. e. petulans. Terent. Hecyr. 1. 2. 84. *magis procax facta ilico est.* v. Cort. ad Sallust. Catil. 25.

Potulentum, i. e. ebrium. Apulei. Metam. III. p. 46. *cum a coena serius me reciperem potulentus.* v. Oudend. ad h. l.

Colere, dicitur minor maiorem, iunior senem, homo Deum; atque adeo plus est, quam *observare*. v. Manut. ad Cic. ad Div. VII. 27. Cicero tamen saepe haec verba iungit tanquam synonyma, ut pro Rosc. Amer. 37. ad Attic. II. 19.

Decrepitam, i. e. valde vetulam, quae forte sic dicitur a lucerna, quae ultimum expirans crepitum edere solet. v. Fest. in v. et ibi Scaliger.

Damnatum repetundis. Plerumque *repetundarum*.

3. *Corrupisse*, i. e. stuprasse. Terent. Heaut. II. 2. 2. *vereor, ne mulier, me absente, corrupta sit.*

Mentito honore, i. e. simulato, ficto. Plin. VI. Ep. 20. *fictis mentitisque terroribus.* Valer. Flacc. III. 681. *vox mihi mentitas tulerit Parnasia sortes.* *Mentitus* saepe passive dicitur. v. Voss. de Analog. IV. 40.

4. *Successione*. Plures libri scripti habent *successionis*, quod librarii, qui *dignus* cum genitivo construi non putarent, mutarunt. Sed sic saepe struitur ab optimo quoque. v. Heins. ad Ovid. Trist. IV. 3. 57. et Heusinger. ad Mall. Theod. de Metr. p. 17.

5. *Stare non posse*, eleganter dicuntur, qui ob

aes alienum fugere, et cedere foro coguntur. Cic. in Pison. 6. *egere Gabinium, sine provincia stare non posse.*

Ab hoste caderet. Neutra passione significationis construuntur ut passiva. Ovid. Ep. IX. 192. *A tanto cecidisse viro.* Plin. H. N. XI. 37. *cum Marcellus periit ab Hannibale.* v. Intt. ad h. l. et Burm. ad Ovid. Met. V. 192.

Sub creditoribus, i. e. ad arbitrium creditorum. Flor. IV. 8.

Cadere, i. e. everti fortunis. Cic. ad Att. XVI. 15. *turpius est privatim cadere, quam publice.* v. Duker. de Latin. Vet. ICt. p. 434.

6. *Respectus cohortis*, i. e. consideratio, cogitatio. Flor. IV. 2. p. 705. *respectu fragilitatis humanae moestior*, ubi v. Duker. Haec ratio loquendi vix reperitur apud aureae aetatis scriptores. Apud Livium, Ciceronem, et optimos quosque *respectus* est perfugium, non cogitatio.

Exemit, i. e. inutile fecit. Cicero ad Qu. Fr. II. 1. *diem dicendo exemit*, pro quo *diem tollere* dicit de Legg. III. 19. v. Sigon. ad Liv. XXV. 3. et Ernest. Clav. Cic. v. Eximere.

Milliarium, est columna in foro posita, a qua omnes viae militares inchoabant. v. Dion. Cass. LIV. p. 737. et ibi Fabric.

Postica parte. Sic Liv. XL. 2. *in posticis partibus Cereris templi.* ubi v. Gronov.

7. *Positaque brevi ratione.* Legendum, *propositaque br. rat.* ut placet Oudendorpio ad h. l.

Prolapsum, ponitur pro *prolapsus.* Nam saepe post *dicitur*, *narratur*, *traditur*, *videtur*, accusativus cum infinitivo sequitur loco nominativi. Nepos Pausan. 5. *dicitur eo tempore matrem Pausa-*

niae vixisse. Sueton. inf. 12. *traditur faciem pane madido linere consuetum.* v. Intt. ad h. l. inprimis Duker. ad Flor. II. 6. p. 320.

Τί γάρ μοι etc. i. e. quid mihi cum longis tibiis? Quo proverbio utuntur, qui gravius onus, quam sustinere possint, susceperunt. v. Intt. ad h. l. et ad Longin. Π. Υ. sect. 3.

8. *Repulsis tribunorum. Tribunorum* est genitivus partitionis, ut grammatici loquuntur, de quo supra diximus. Claud. 28. *libertorum praecipue suspexit Posiden.* v. Sanct. Min. IV. 3. p. 544. et ibi Perizon.

Ancilia, sive brevia scuta, coelo, ut credebatur, delapsa, quotannis per triginta dies a Saliis per urbem circumferebantur, et tum dicebantur *moveri*, *condi* autem, cum in templum Martis reponerentur. Ovidius Fast. III. 393. *Arma movent pugnam. — Condita cum fuerint, aptius omen erit.* v. Lips. Ant. Lect. V. 16. et ad Tacit. Hist. I. 89.

9. *Profligari plurimum posse*, i. e. rem paene confici posse. *Profligare bellum* est prope ad exitum adducere, paene conficere. Cic. ad Div. XII. 30. *profligato bello, ac paene sublato.* Flor. II. 15. p. 385. *primo commissum bellum, profligatum secundo, tertio vero confectum est.* ubi v. Duker.

Integrae copiae, sunt non fatigatae, nullis laboribus exhaustae. Nepos Eum. 9. *quo integriore exercitu decerneret.* Liv. XXXIV. 15. *integri recentibus telis fatigatos adorti hostes.* v. Drakenb. ad VIII. 10.

10. *Ut sibi quisque consuleret*, i. e. ut quisque consilium caperet rebus suis profuturum. Nepos Themist. 8. *monuit, ut consuleret sibi.* Curt. V. 12.

ite,

ite, consulite vobis. Cicero dicit, *consulere rationibus suis.*

Ex copia praesenti, i. e. pro ea pecuniae summa, quae tum ad manus erat. v. Gronov. ad Plauti Aulul. III. 6. 5.

11. *Artissimo somno*, i. e. gravissimo. Cic. de Divin. I. 28. *ad lucem arte et graviter dormitare.* Aug. 16. *arto somno devinctus.*

12. *Scambus*, Graeca voce dicitur, qui pedes introrsum vertit, qualis etiam *valgus* vocatur. v. Casaub. ad h. l.

In lintea veste. Linteas vestes gestabant Isidis cultores et sacerdotes, sicut ipsa Isis. v. Ovid. I. ex P. 1. 51. Sueton. Domit. 1. et Broukhus. ad Tibull. I. 3. 30.

Vim suae vitae attulerunt. Heins. ad Ovid. Ep. XVII. 21.

VITELLIUS.

1. *Variatum esset.* Sic Liv. XXI. 28. *variata memoria actae rei.* ubi v. Gronov.

Subsedisse, i. e. sedem collocasse. Vespas. 1. *subsedisse in oppido Reatino.*

2. *Sutorem veteramentarium*, i. e. qui veteres calceos reficit.

Sectio, est redemtio universae praedae, aut bonorum, quae aerario inferenda sunt. v. Cic. Phil. II. 26. Eiusmodi bona qui redimerent, ut iis per partes vendendis lucrum facerent, *sectores* dicebantur. v. Ascon. ad Cic. Act. I. in Verr. 23. et Ernest. Clav.

Cic. h. v. Erat autem hoc genus lucri paene infame.

Cognituris. *Cognitor* est, qui praesentis caussam in controversia civili agit, ut procurator absentis. Inde honestiore vocabulo *cognitores* etiam vocantur delatores et quadruplatores, qui sub caussa aerarii augendi debitores aerarii sponte deferunt, et partem de proscriptorum bonis, tanquam praemium, accipiunt. Rem omnem accuratissime, ut solet, explicuit Gronov. de P. V. IV. 3.

Muliere vulgari, i. e. quae corpus vulgat. Ovid. Fast. IV. 865. *Numina vulgares Veneris celebrate puellae*. Domit. 22. *natavit inter vulgatissimas meretrices*. v. Intt. ad h. l.

Furnariam, scil. negotiationem; exercere dicitur, qui pane in furno coquendo quaestum facit. v. Casaub. ad h. l.

Domo, i. e. patria. Horat. I. Ep. 7. 53. *unde domo quis, cuius fortunae?* v. Intt. ad h. l. et Gronov. Observ. IV. 19.

Alioqui corruptum.

Caruit ordine, i. e. eiectus est ordine senatorio. *Carere* enim dicitur, qui ante possessa perdit. Nepos Pelop. 1. *pulsus patria caruit*. Epigr. vetus apud Maffeium Mus. Ver. p. 174. *Infelix aevo tam cito quae caruit*. v. Intt. ad h. l.

Obligari, scil. vulnus. Cic. de N. D. III. 22. *qui primus vulnus dicitur obligavisse*. Saepe etiam *alligare vulnus* dicitur. v. Gronov. ad Liv. VII. 24. et Davis. ad Cic. T. D. II. 16.

Instituit. Graevius male corrigit *institit*. Nam perpetuum discrimen est inter *insisto* et *instituo*. *Instituit*, qui quid incipit facere, *institit*, qui quid pergit facere. v. Intt. ad h. l. et ad Liv. XXVIII. 46.

Velato capite. Caput velare solebant, qui Deos adirent. Plaut. Curcul. III. 1. 19. *Quis hic est, qui operto capite Aesculapium salutat.* Multa de hoc ritu Torrent. ad h. l.

Circumvertens se. Hic quoque adorantium habitus est. Nam in laetis sacris se vertebant in orbem dextrum, in tristibus in sinistrum. Valer. Flacc. VIII. 247. *ut dextrum pariter vertantur in orbem.* ubi v. Burm. Stat. Theb. VI. 215. *lustrantque ex more sinistro Orbe rogum.* v. Torrent. et alios ad h. l.

4. *Promittere*, i. e. profiteri nomen in album citharoedorum.

Exorandumque praebuerat. Insolens oratio et haud dubie corrupta, de qua videte Interpretum coniecturas.

5. *Innocentia*, saepe est abstinentia, et avaritiae opponitur. Cic. pro Leg. Manil. 13. *quanta innocentia debent esse imperatores?* Sic sup. 2. *innocens* dicitur pro abstinente.

Aurichalcum, vel *orichalcum*, metalli genus, quod proxime accedebat ad colorem aureum. v. Fest. in h. v. et Spanhem. ad Callimach. H. in L. P. 19.

6. *Manu emisit*, i. e. emancipavit. Non solum servi, sed etiam liberi aliquando dicuntur *manumitti*. Plin. VIII. Ep. 18. *neptem effecerat heredem, si esset manu patris emissa.* ubi v. Cort.

7. *Nisi quod*, i. e. sed tamen. Cic. ad Att. II. 1. *Tusculanum me delectat: nisi quod* etc. Domit. 4. *nisi quod illorum coronis inerat ipsius imago.* v. Intt. ad h. l. Drakenb. ad Liv. XXIV. 20. et Swarz. ad Plin. Paneg. 86.

Profundam gulam, i. e. insatiabilem cupiditatem vorandi. Tacit. Hist. II. 62. de hoc ipso Vitellio:

Epu-

Epularum foeda et inexplebilis libido : irritamenta gulae gestabantur. Inf. 13. *non profundae modo, sed intempestivae quoque ac sordidae gulae.* ubi v. Casaub.

Contemtu. Contemnere aliquid exquisite dicuntur, qui se satis tutos ab eo putant, qui nullo modo illud metuunt. Cic. pro Milon. 6. *iudicia poenamque contemserat.* Horat. Epod. IV. 16. *Sedilibusque magnus in primis eques Othone contemto sedet.* ubi v. Bentlei.

Intervertere est id, quod alterius est, quocunque modo ad se trahere. Cic. Verr. IV. 30. *interverso regali dono.* Petron. 107. *si intervertissent pecuniam vestram.*

Formulam intendisset, i. e. actionem. Claud. 14.

Supinis manibus, i. e. laetissimo animo. v. Casaub. ad Aug. 16.

Stabulum, saepe idem est quod diversorium : sed hic dicitur locus ad iumentorum stationem paratus. v. Casaub. ad Theophrast. Char. 7.

8. *Nobis alluxit*, i. e. haec lux nobis est bonum omen. v. Flor. I. 6. et ibi Intt.

9. *Lustratis signis*, i. e. cum circum signa volitasset, signa circuisset. *Lustrare* proprie est sacro expiare. Quod quoniam circuitione fiebat, *lustrare* dici coepit pro circuire. Phaedr. III. 19. 3. *Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domos.*

10. *Egregie prorsus.* Sic Phaedr. II. 1. 11.

Magnifice, i. e. ita ut conveniebat magno animo. Flor. I. 16. p. 147. *Consules magnifice voluntaria deditione turpitudinem foederis dirimunt.* ubi v. Duker.

In iocum vertens. Vesp. 23. *ut invidiam transferret ad sales.*

Tabem, i. e. foetorem, qui oritur e cadaverum putredine. Tacit. Ann. II. 69. *semiusti cineres, ac tabe obliti.* ubi v. Ernest. Lactant. de P. M. 33. *in tabem sedes tota dilabitur.* ubi v. Graev.

11. *Arma*, per eminentiam quandam scuta dicuntur. Virgil. Aen. X. 506. *Ad Lausum Socii exanimem super arma ferebant.* v. Duker. ad Flor. I. 10. p. 78.

Publicorum sacerdotum. In quo neglectum est ius divinum. Nam augures, pontifices, et sacerdotes omnes a funestis arcebantur. v. Tacit. Ann. I. 62. et ibi Lips.

Dominicum, servi et liberti appellasse videntur canticum, quod dominus suus Nero scripsisset. Sic *vinum Dominicum* dicitur a Petron. 30. v. Intt. ad h. l.

Diceret, i. e. cantaret. Ovid. I. ex P. 2. 133. *Ille ego, qui dixi vestros Hymenaeon ad ignes.* Horat. I. Carm. 21. 1. *Dianam tenerae dicite virgines.*

12. *Posca*, est potus ex aceto et aqua confectus, quo milites, servi, et vilis plebecula utebantur. *Posca* autem dicitur ab antiquo *po*, cuius supinum *potum* usitatum est, ut *esca* ab *edo*. v. Lips. de Milit. Rom. V. 16. et Graev. ad h. l.

Circumforaneus lanista, est magister gladiatorum, qui circa fora et oppida vagatur, gladiatores vendens. v. Lips. Saturn. II. 3.

13. *Vomitandi consuetudine.* Haec consuetudo nihil turpitudinis habebat apud veteres. v. Casaub. ad h. l. et Manut. ad Cic. pro Deiot. 7.

Indicere, est denuntiare, se alicui convivam futurum. Ner. 27.

Minus. Ursinus male corrigit *minoris*. Vulgatam

le-

lectionem vindicat Perizon. ad Sanct. Min. IV. 2. p. 530.

Coena adventitia, i. e. quae datur amicis peregre redeuntibus. Plaut. Bacch. III. 6. 7. *Salvus cum peregre advenis, coena detur.* v. Torrent. ad h. l.

14. *Allicefactos.* Rarissimum verbum est, quod Gronovius restituit Senecae Ep. 118. *quod invitat ad se, et allicefacit, verisimile est.*

Flagitare, est acerbius et cum clamore poscere. v. Phaedr. I. 19. 8.

Pascere oculos, i. e. oculis ex adspectu voluptatem capere. Terent. Phorm. I. 2. 35. *restabat aliud nihil, nisi oculos pascere.* Ovid. Amor. III. 2. 6. *oculos pascat uterque suos.*

Vernaculi, sunt dicaces et scurriles, qui ridicula dicta in alios iaciunt. Sic *vernilitas* vocatur, quicquid magis dignum est verna sive servo, quam homine ingenuo. v. Gronov. de P. V. 4. 10.

Nova spe, i. e. spe principis novi.

Iubebat — excederent. Supplendum *ut.* De constructione verbi *iubere* cum *ut* et verbo finito v. Duker. ad Liv. XXIII. 21.

Chaldaeos, i. e. astrologos. Nam Chaldaei primi sidera observarunt, et astrologiam invenerunt.

Suspectus in mortem matris fuit. Legendum e MSS. *in morte*, i. e. de morte. de Gramm. 16. *Suspectus in ea.* v. Burm. ad h. l.

15. *Proditus*, i. e. destitutus, desertus. Liv. II. 54. *desertam ac proditam caussam publicam queri.* Ovid. Met. XIII. 67. *Proditus a socio est.* v. Drakenb. ad Sil. It. XVI. 621.

Deficeret, i. e. animum desponderet. Caesar de B. C. II. 31. *neque tanti timoris sum, ut ipse deficiam.* Flor. II. 2. p. 230. *qui ipso Punici maris nomine defice-*

ficerent. ubi v. Duker. saepe etiam dicitur *animo deficere.*

Antiquius, i. e. prius, potius. Cic. ad Div. X. 35. *nihil antiquius iudicare communi salute.* Liv. I. 32. *longe antiquissimum ratus, sacra publica facere.* ubi v. Intt.

16. *Zona.* Veteres zona argentum recondebant. Liv. XXXIII. 29. *negotiandi caussa argentum in zonis habentes.* ubi v. Drakenb.

17. *Ignorare aliquem*, est non nosse alicuius faciem. Nepos. Arist. 1. *respondit, se ignorare Aristidem.* Phaedr. V. 1. 10. *Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius.* v. Broukhus. ad Propert. II. 2. 56.

18. *Valet*, i. e. idem significat quod. Plin. H. N. XXXIII. 2. *Quia non intelligunt Trossulos nomen quid valeat.* v. Oudend. ad h. l.

VESPASIANUS.

1. *Rebellione principum*, i. e. defectione a principibus.

Reipublicae nequaquam poenitenda, i. e. ut rempublicam non poenitere debeat, imperium ad gentem Flaviam pervenisse. Liv. I. 36. *sub haud poenitendo magistro se iura didicisse.*

Cupiditatis, i. e. avaritiae. Galb. 14. *Vinius cupiditatis immensae.* Domit. 10. *celerius ad saevitiam descivit, quam ad cupiditatem.* v. Duker. ad Flor. III. 11. p. 537.

Co-

Coactiones argentarias factitavit, i. e. coegit pecuniam, quae debebatur argentariis ab his, qui quid in auctionibus emissent. Tales colligendae pecuniae ministri *coactores* dicebantur. v. Horat. I. Serm. 6. 86. et Intt. ad Cic. pro Cluent. 64.

Publicum egit, i. e. publicanus fuit. Seneca Ep. 119. *in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem.* v. Gronov. ad Tacit. Ann. IV. 6. *Publicum* saepe absolute dicitur pro vectigali, ut a Cicerone pro Balb. 15. unde *publicani* nomen habent. v. Brisson. de V. S. v. Publicus.

Quadragesimae. De quadragesima mercium, quae importabantur, v. Burm. de Vectig. V. p. 64.

Praefectus castrorum est, qui castrorum positionem, valli et fossae designationem, tabernacula militum cum impedimentis, etc. curabat. Eius munus, quod demum sub Caesaribus institutum est, describit Veget. II. 10. v. Lips. ad Tacit. Ann. I. 20. Exc. H.

Locus ad sextum milliarium euntibus etc. Sic Liv. I. 8. *locus, qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est.* ubi hanc loquendi rationem illustrat Gronov.

Manceps est, qui aliquid conducit, aut suo periculo faciendum redimit. v. Cic. ad Div. V. 20. et ibi Manut. Sic *manceps operarum* h. l. qui operarios conducit, ut eorum operis ad quaestum utatur: sic publicani *mancipes* dicuntur a Cicerone pro Dom. 10. quia publica vectigalia redimunt. v. Ernest. Clav. Cic. h. v.

2. *Incunabula*, saepe dicuntur de loco, ubi nati aut educati sumus. Cic. ad Att. II. 15. *ego vero in patrios montes et ad incunabula nostra pergam.*

Extudit, i. e. extorsit. Valer. Max. V. 2. 19. *per-*

se-

severanti postulatione extuderunt, *ut* etc. v. Bentl. ad Hor. II. Serm. 2. 14. Oudend. ad h. l.

Anteambulonem fratris. i. e. quasi tenuem clientem fratris. Nam clientes, honoris caussa, ante patronum ambulabant. Martial. II. Ep. 18. *tumidique anteambulo regis*.

Tribunatum militum. Scribendum, *tribunus militum*, ut bene docet Duker. ad h. l. In *meruit* intellige *stipendia*.

Sexto loco. Proprie. v. Gronov. ad Liv. IV. 16.

Ut insepulti proiicerentur. Hostes publici, aut perduellionis damnati sepulturae honore privari solebant. v. P. Fabrum Semestr. II. 9.

3. *Delicatam*, i. e. concubinam. Sic Tit. 7. *e gratissimis delicatorum*. v. Oudend. ad h. l.

Contubernium, i. e. concubinatum. Paullus Sent. Rec. II. 19. 6. *inter servos et liberos matrimonia contrahi non possunt*, *contubernium potest*. v. Torrent. ad h. l. et Brisson. de V. S. h. v.

4. *Rapa*, fimus, lutum, iactabantur contumeliae caussa, ut flores honoris caussa. v. Casaub. ad h. l.

Fides est, quam Belgae vocant *crediet*. Ea cum minuitur, *labefieri* dicitur. Liv. XXIV. 20. *Spe labefactandae fidei haud absistens*. v. Intt. ad Liv. VI. 40.

Deviam civitatem. Notandum, *civitatem* hic de loco sive de urbe dici: quae significatio Tiberii demum aetate in Latinorum consuetudinem venit. v. Heusinger. Obs. Antibarb. p. 394.

Industriae expertae, i. e. probatae. Iustin. XLI. 4. *vir virtutis expertae*. In aliis libris legitur: *industriae experti*. ut apud Tacit. Ann. XII. 2. *femina experta foecunditatis*. v. Oudend. ad h. l.

Generis ac nominis. *Nomen* est origo nobilitatis, unde descendunt, et nomen sumunt. Itaque centies iungitur cum *genus.* Ovid. Ep. II. 50. *Credidimusque generi nominibusque tuis.* ubi v. Heins. item ad Virgil. Georg. III. 122.

5. *Perannavit*, i. e. in annum duravit. Alibi *perannare* dicitur pro in multos annos durare, v. Casaub. ad h. l.

Propter curam verrendis viis. Cura viarum urbicarum ad Aediles pertinebat. v. L. 42. D. de Aedil. edict. et Brisson. Select. Antiqu. IV. 12.

Extrarius, i. e. non domesticus. De forma *extrarius* videte quae notavimus ad Rutil. Lup. I. p. 45.

Bos arator, dicitur eo modo, quo *canis venator*, *taurus bellator*, *iuvencus pugnator.* v. Broukhus. ad Tibull. I. 11. 46.

Carmelus et mons erat et Deus. Et constat aliis exemplis, veteres montes coluisse pro Diis. Sic Casius et mons erat, et Iovis templum, et ipse Iupiter. v. Graev. ad h. l.

Proventurum, i. e. feliciter cessurum. Tacit. Ann. I. 19. *cetera mandaturos, ubi prima provenissent.* ubi v. Ernest. Sic *proventus* dicitur de felice successu. Caesar de B. G. VII. 29. *si qui in bello omnes secundos rerum proventus exspectent.* ubi v. Intt.

Iosephus. quem videte de Bell. Iud. III. 14.

6. *Perseverarunt*, scil. *ire.* Sic *dicere* subintelligitur ap. Cicer. de Amicit. 7. *cum Orestem se esse perseveraret.* v. Drakenb. ad Liv. XXII. 38.

Ubique, dicitur pro ubicunque, ut *quique* pro quicunque, *quandoque* pro quandocunque. v. Duker ad Liv. XXIII. 11.

Nomen vexillis. Non solum vexillis, sed etiam scu-

scutis imperatorum nomina inscribebantur. v. Tacit. Histor. III, 21. et ibi Lips.

Numeri, saepe dicuntur de ordinibus militaribus, ut de cohorte, turma, etc. Cic. ad Div. XI. 10. *septem nunc numeros legionum alo.* ubi v. Graev. L. 38. §. 1. D. de testam. mil. *Miles postquam desiit in numeris esse.* v. Lips. ad Tacit. Hist. I. 6. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

Verae sive falsae, pro, sive verae, sive falsae. Nam *sive* aliquando solet omitti. Seneca Herc. Oet. 1260. *Quaecunque pestis, sive quaecunque es fera.* ubi v. Gronov. Iustin. II. 9. *ducenta millia eo proelio sive naufragio amisere.* v. Oudendorp. ad h. l.

Securiorem, quoniam nullus ibi hostis erat.

Molliorem, i. e. non tam duram, non tam laboriosam. Liv. XXXIV. 17.

7. *Claustra* sunt angustiae, per quas in regionem aliquam aditus est. Flor. IV. 2. p. 667. *per obsessi claustra portus evasit.* ubi v. Duker.

Orantes opem valetudini. Sic e MSS. legendum pro *valetudinis*. Nam saepe in huiusmodi forma dativus ponitur pro genitivo. Sallust. Cat. 40. *miseriis suis remedium mortem exspectare.* Liv. III. 46. *locum seditioni quaerere.* ubi v. Intt.

Pro concione, i. e. adstante multitudine. Nam *concio* aliquando pro multitudine dicitur. v. Casaub. ad h. l.

8. *Nutantem*, i. e. ruinam minitantem. *Nutare* proprie dicitur de aedibus deorsum inclinantibus. Lucan. I. 495. *aut iam quatiente ruina Nutantes perdere domos.*

Fragrantem unguento, i. e. emittentem odorem unguenti. Catull. Carm. VI. 8. *Sertis ac Syrio fragrans olivo.*

Nutu aspernatus. Nutus h. l. dicitur de abnuente et aversante. Apulei. Met. X. p. 223. *Verbis nutum commodare, ut, quod nollem, relato, quod vellem, deiecto capite monstrarem.* v. Intt. ad h. l.

Qui ab Ostia. Lips. de Magnit. Rom. I. 5.

Calcearium, scil. *aes,* dicitur, quod ad calceos comparandos datur, ut *vasarium* ap. Cic. in Pison. 35. quod ad vasa, *clavarium* ap. Tacit. Hist. III. 50. quod ad clavos. vid. Lips. ad Tacit. l. c.

Achaiam etc. v. Scaliger. ad Euseb. Chron. 2089.

Areas aedificare, est aedificia exstruere in areis. Liv. I. 35. *privatis aedificanda divisa sunt loca.*

8. *Ruderibus purgandis. Rudera* capiendum pro loco, ubi sunt rudera. Nam ipsa rudera non purgantur. Hanc loquendi rationem egregie illustrat Gronov. ad Liv. XXVII. 20.

9. *Amphitheatrum.* Inchoavit Vespasianus, perfecit filius Titus. v. Tit. 6. et Lips. de Amphith. cap. 6. Illud opus, saepe ab aliis principibus refectum, adhuc superest.

Amplissimos ordines, i. e. Senatores et Equites. Cic. pro Mil. 2. *amplissimorum ordinum delectis viris.* v. Gronov. ad Gell. IV. 1. et Duker. ad h. l.

Libertas dicitur, cum ea dicas, facias, quae e republ. putes, nihil timens cuiusquam odium. Cic. pro Planc. 38. *tamenne tu libertatem requires meam?* v. Ernest. ad h. l. et ad Tacit. Ann. II. 34. Hist. IV. 4.

10. *Brevissimum,* i. e. minimum.

11. *Quae se servo* etc. Non Vespasiano, sed Claudio, utramque constitutionem tribuunt ICti. Sed tenendum est, quod Brummerus de Leg. Cinc. cap. 3. praeclare docet, scriptores veteres non raro rem et ius

lus ante ab aliis constitutum tribuere ei, qui obsoletum renovavit. v. Ernest. Exc. ad Ner. 17.

12. *Tarditate pompae.* Pompae tam triumphalis quam circensis fercula tardissime circumferebantur. v. Cic. de Off. I. 36. et ibi Graev.

Merito se plecti. Est formula meritam poenam post factum agnoscentis. Cic. de Off. II. 8. *iure igitur plectimur.* v. Gronov. ad Plaut. Trucul. II. 3. 22.

Nam habet vim connectendi.

13. *Figuras*, i. e. obliqua dicta, quibus petebatur. Macrob. Saturn. VII. 3. vocat *morsus figuratos.* Domit. 10. *occidit Hermogenem propter quasdam in historia figuras.* v. Casaub. ad h. l.

Adderet clausulae. Omnino legendum de Dukeri coniectura *clausulam.* Vespasianus impudicitiam Muciani inter querelas tacuit, sed iis peractis, addidit clausulam extra argumentum querelarum.

Vir sum. Vir opponitur pathico, cinaedo. Tacit. Ann. XI. 2. *interroga filios tuos: virum me esse fatebuntur.* ubi v. Ernest.

Nescio quid. Hac formula veteres utuntur, cum vel dicere non volunt, quod sentiunt, vel cum non plane iis constat, quale aliquid sit. Flor. IV. 2. p. 705. *ut videretur nescio quid deliberare fortuna.* ubi v. Duker.

14. *Executor*, i. e. ultor: videte notata ad Caes. 67.

Officium, ponitur pro hominibus, qui officio funguntur. Inf. 21. *perlectis officiorum omnium breviariis.* v. Gronov. Obs. in Scr. Eccl. cap. 10. De officio admissionis v. Lips. ad Tacit. Ann. VI. 9.

Abire Morboviam. Sensus est: abire in malam rem. Sed vox *Morbovia* inaudita, et manifeste cor-

 rupta.

rupta, Graeci eodem sensu dicunt: *ubi ad Macariam*, eamque vocem hic reponi vult Gronovius. v. quae notavimus ad Timaei Lex. Platon. p. 43. [59.]

15. *Vespasianum*, nempe non nomine *Vespasianus*, sed *princeps*, vel *imperator* salutandus erat. Vell. Paterc. II. 84. *solus nunquam reginam, nisi nomine Cleopatrae, salutavit.* v. Duker. ad h. l.

16. *Ad ampliora officia promovere.* Graevius ad Cic. de Amic. 20. minus Latinum putat *promovere ad honores.* Sed fallitur vir doctissimus. Plin. VII. Ep. 31. *promotus ad amplissimas procurationes.* Fatendum tamen est, plerumque hoc verbum dici de militibus, qui ad altiorem honoris gradum evehuntur. v. notata ad Othon. 1.

Gratuita libertate. Interdum servus cum domino quasi paciscebatur in pretium certum, quod si solvisset, liber esset. De quo more v. Duker. ad h. l.

18. *Et artifices coëmit* etc. Palmaria Graevii emendatio est: *praestantes poëtas, nec non et artifices, Coae Veneris, item Colossi refectorem* etc. De Coa Venere v. Plin. H. N. XXXV. 10.

Praefatus, i. e. caussam dicens. Caes. 28.

19. *Dapsili*, scil. *coena*, i. e. lauta, sumtuosa. Periz. ad Sanct. Min. II. 7. p. 199. legit *dapsile*, ut sit adverbium. *Dapsilis* formatur a *daps, dapis*, unde *dapes.*

Cybiosacten, i. e. salsamentorum venditorem. Vox composita est e *cybium*, quod est genus salsamenti, teste Plinio H. N. IX. 15. et σάττειν, quod proprie significat onus iumento imponere, ut faciunt mercium vectores. Veram vocis rationem primus vidit explicuitque Casaubon. ad Strabon. XVII. p. 1146.

Imitansque. In clarorum virorum funeribus adhibebantur scenici artifices, qui defunctorum mores

et

et verbis et gestibus exprimerent. v. Dionys. Halic. VII. p. 478. et Intt. ad h. l.

Funus et pompa, ἓν διὰ δυοῖν pro pompa funebris.

Ac se. Notanda est elegantia in particula *ac.* Tacit. Ann. XVI. 32. *nimiae tantum pietatis ream separarent, atque ipse quancumque sortem subiret.*

20. *Quadrata*, i. e. in qua apte congruant longitudo et amplitudo. Columell. VI. 1. *parandi sunt boves quadrati.* v. Intt. ad h. l.

Nitentis, i. e. cum nisu exonerantis ventrem.

Ad numerum, i. e. certo numero. Neque enim omnes eodem numero fricabantur, sed pro robore corporis.

Sphaeristerium, est locus rotundus, variis exercitationibus, maxime pilae ludo, accommodatus. v. Plin. V. Ep. 6.

Interponere, proprium hac in re verbum est. Celsus IV. 5. *interponenda abstinentia est.* v. Gronov. ad Plin. H. N. XXIII. 1. et Graev. ad h. l.

21. *Decidere*, non solum dicitur, qui sententiam dicit inter litigantes, sed etiam qui iubet, quid in rebus privatis fieri velit. Horat. I. Ep. 7. 58. *gaudentem — post decisa negotia campo.* v. Perizon. de Praetor. p. 752.

Momenta captabant. Sic Flor. III. 6. p. 469. *quasi captato tempore.* ubi v. Duker.

22. *Transigebat*, i. e. agebat. Liv. XXXIV. 18. *ut pleraque ipse per se transigeret.*

Praetextata verba sunt turpia, obscoena, qualia nubentibus, depositis praetextis, a pueris obiiciebantur, ut Festus ait v. Praetextatum. v. Voss. Etymolog. h. v. et Gronov. ad Gell. IX. 10.

Amore sui, pro amore eius. v. Perizon. ad Sanct. Min. II. 12. p. 243.

Amore alicuius deperire, significat aliquam perdite amare. Quae loquendi formula frequens est apud Comicos, tanquam apud Terent. Heaut. III. 2. 14.

Vespasiano adamato. In codice expensi non tantum summa, sed etiam caussa expensae pecuniae scribebatur. v. Duker. ad h. l.

23. *Improbius natus* dicitur, qui, ut Martial. II. 51. sine circuitione loquitur, nimio est pene. Sic *natura* pro verendis vel virilibus vel femininis, in Tib. 45. v. Duker. ad h. l. *improbum* dicitur. quicquid exeedit modum. v. Gronov. Diatr. Stat. cap. XXIX. et Duker. ad Flor. III. 10. p. 527.

Lachetem se ferre, i. e. dicere se Lachetem. Vell. Paterc. I. 11. *qui se Philippum regiaeque stirpis ferebat.* v. Oudendorp. ad h. l.

Dilueret, i. e. minueret. Cic. Tusc. Disp. III. 16. *quae cogitatio molestias omnes extenuat et diluit.* Gall. XII. 1. *vinculum amoris diluunt, deteruntque.* ubi v. Intt.

Ordinavit, i. e. in ordinem dispensatorum collocavit. v. Oudend. ad h. l.

Ad calciandas mulas, ut mulis ferreas soleas indueret. v. Scaliger. ad Catull. XVII. 26. et Casaub. ad Neron. 30.

Urinae vectigal. Quod a fullonibus exigebatur, qui multum utebantur urina. v. Casaub. ad h. l.

Pertinere. Hoc verbum proprie dicitur de his, quibus portenditur aliquid mali per prodigia. Liv. XXV. 16. *aruspices ad imperatorem id pertinere prodigium praemonuerunt.* v. Intt. ad Phaedr. III. 3. 7.

Morbi accessione, i. e. cum primum morbus sentiretur. Cic. ad Att. VII. 2. *alteram quartanam de-*

decessisse, alteram leviorem accedere. Haec locutio propria est Medicis.

24. *Annum gerens*, i. e. agens. *Gerere* et *agere* saepe promiscue dicuntur. Domit. 1. *adolescentiae tempus gessit.* Serv. Sulpic. Cic. IV. 5. *ut aetatem gereret.* ubi v. Graev. Valer. Flacc. VI. 695. *impubemque gerens, sterilemque iuventam.* v. Intt. ad Liv. XXIX. 23.

25. *Examine aequo*, i. e. cum lingua staterae, quae proprie *examen* dicitur, in aequo stat. Virgil. Aen. XII. 725. *Iupiter ipse duas aequato examine lances sustinet.* v. Casaub. ad Pers. I. 6.

Utrique, saepe in plurali dicitur pro uterque. Virgil. Aen. VI. 685. *palmas utrasque tetendit.* Iustin. I. 9. *aures utrasque praeciderat.* v. Oudend. ad Caesar. de B. G. I. 53.

TITUS.

1. *Amor*, i. e. qui amatur. Tibull. I. 2. 4. *Infelix dum requiescit amor.* ubi v. Broukhus. Sic *odium*, pro homine odioso. Plaut. Bacch. IV. 7. 20. *Terrae odium ambulas.* Iustin. XI. 3. *odium eos omnium populorum esse.*

Deliciae, i. e. in deliciis habitus. Cic. ad Div. VII. 2.

Superesse, plus est, quam *esse*, et copiam quandam significat, ut erudite docet Gell. I. 22. Liv. XXVII. 10. *ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse.* v. Burm. ad Valer. Flacc. V. 257.

Septizonium, est aedificium e septem molibus consurgens. v. Intt. ad h. l.

2. *Inspicere*, proprium in hac re verbum est. Petron. 135. *anum inspicere diligentius coepi.* ubi v. Intt.

Morbo afflictari idem est, quod *morbo conflictari*. Liv. XXIX, 10. *se exercitumque suum gravi morbo afflictari.* ubi v. Intt.

3. *Praecipuum robur.* Pulcre Ernestus vidit, haec verba non suo loco poni, sed transferenda esse post vocem *proiectiore.* Nec Oudendorpius dubitavit hanc emendationem in textum recipere.

Orare, simpliciter dicitur pro caussam orare: unde *oratores* pro patronis caussarum. *Caussam orare*, pro agere, dicere in iudicio, est apud Terent. Phorm. I. 5. 62. *litem orare* apud Cicer. de Off. III. 10.

4. *Rector equi* est, qui eo vehitur et eum regit. Sil. Ital. XVII. 137. *equus rectorem prodidit.* v. Intt. ad h. l. et Ernest. ad Tacit. Ann. I. 66.

5. *Cuius*, intellige *spei.* Liv. XXIX. 22. *spei conceptae compotem facere.* v. Oudendorp. ad h. l.

Veni, pater, veni. Simile exemplum ap. Terent. Heaut. III. 1. 22. *Clinia meus venit!*

6 *Praefectura praetorii* ex Maecenatis consilio, quod ille Augusto dedit, penes equestrem ordinem mansit. Nec refellitur Suetonius exemplo Arretini Clementis, ut Lipsius putat ad Tacit. Hist. IV. 68. Nam is, cum esset ordinis senatorii, non legitimo modo, sed per tumultum militarem ad praefecturam pervenit. Primus hanc rationem mutavit Alexander Severus, ut tradit Lampridius in eius vita cap. 21. v. P. Fabrum Semestr. I. 2. et Oudend. ad h. l.

Ad praesens, scil. *tempus*, ut Iustin. I. 5. *ad prae-*

praesens tempus dissimulato dolore. Idem est *in praesens.* Sallust. Catil. 16. *si caussa peccandi in praesens minus suppetebat.* ubi v. Cort.

7. *Praemiari* est quaestum facere. Nam *praemium* saepe dicitur pro praeda. v. Intt. ad Liv. Epit. 89.

Pro bono cessit, i. e. bono fuit. Sallust. Iug. 25. *populum Rl neque recte, neque pro bono facturum.* ubi v. Cort. Tacit. Ann. XII. 39. *pro meliore fuit.* *Cessit.* Liv. XXIII. 43. *quae captae urbi cessura forent.*

Amicos, i. e. consiliarios. Iustin. I. 4. *Harpago, regis amico et arcanorum participi.* ubi v. Graev.

Artifices saltationis, i. e. pantomimos. v. Cal. 57. Ner. 54. et Duker. ad h. l.

Scenam tenere dicitur, qui praecipuus inter histriones est. Cicero Bruto 27. *eo forum tenente plura fieri iudicia coeperunt.* v. Graev. ad h. l.

Munificentia maxime cernitur in spectaculis publice exhibendis, et differt a liberalitate. v. Caes. 10. Tib. 48. et Burm. ad Claudian. de IV. cons. Honor. 500.

Dedit, i. e. edidit. Swarz. ad Plin. Paneg. 33.

8. *Vocem*, i. e. sententiam.

Amici. Vox blandientis. Petron. 35. *amici, pavonis ova gallinae iussi supponi.* ubi v. Pithoeum.

Proponere munus, est publice promittere. Alibi dicit, *munus pronuntiare.* v. Lips. Saturn. II. 18.

Maiestate salva, i. e. ut nihil faceret infra maiestatem suam. Liv. III. 65. *conservata maiestate patrum.*

Mandatores, genus delatorum, qui mandarent alicui accusationem; instruerentque probationibus.

v.

v. L. 24. D. de iure fisci. Brisson. de V. S. h. v. et Swarz. ad Plin. Paneg. 35.

Subiici. Intellige *praeconi*, vel *hastae.* Calig. 38. *reliquias omnium spectaculorum subiecit, et venditavit.* v. Intt. ad h. l.

In asperrimas insularum, pro, in asperrimas insulas. Saepe haec loquendi forma occurrit. Liv. XXVIII. 39. *terrarum ultimas*, ubi v. Drak. Curt. IX. 10. *navium validissimae.*

9. *Ornamenta.* E MSS. legendum *ferramenta*, ob rationes, quas Ernest. Exc. ad h. l. et Oudendorp. attulerunt.

Ex professo, i. e. palam, aperte.

10. *Febrim nactus. Nancisci* etiam in deteriorem partem dicitur. Nepos Att. 21. *nactus est morbum.* v. Gronov. ad Gell. I. 24. Sic *adipisci* in Domit. 14. *in adipiscenda morte, manu eius adiutus existimabatur.*

Plagulas, viri docti exponunt vela, quibus lecticarum fenestrae claudebantur. Sed vocis significatio non satis certa. v. Duker. ad Liv. XXXIX. 6.

Immerenti. Veteres credebant, mortem immaturam a Diis immitti propter grave aliquod peccatum. Propert. IV. 11. 17. *Immatura licet, tamen huc non noxia veni.* ubi v. Broukhus.

11. *Altero et quadragesimo*, i. e. primo et quadragesimo, ut ex ratione temporum ostendit Burm. ad Petron. 108. Saepe disputatum est, *alter* in quibusdam locis *primus* sit, an *secundus?* Optime Cl. Dukerus ad Liv. Epit. 49. docet, *alter* saepe dici pro secundus: sed inde non consequi, *alter* numeralibus, quae ordinalia vocant Grammatici, appositum necessario esse *secundus.* v. Gesner. Thes. L. L. v. Alter.

Lau-

Laudes egit. Recte quidem dicitur *laudes agere*, ut ap. Liv. XXVI. 48. *Diis laudesque et grates egit.* ubi v. Gronov. Veruntamen sequenda est aliarum editionum lectio: *tantas mortuo gratias egit, laudesque congessit.* Aug. 98. *praetervehenti fausta omnia et eximias laudes congesserant.*

DOMITIANUS.

1. *In usu habere* est uti. Plin. VIII. Ep. 14. *ut velit discere, quod in usu non sit habiturus.* v. Swarz. ad Plin. Paneg. 88.

Noctem, i. e. concubitum. Propert. II. 18. 65. ex emendatione Hemsterhusiana: *Quam care semel in toto nox venditur anno.* v. Heins. ad Ovid. A. A. II. 803.

Honorem praeturae consulari potestate. Domitiano praetura data est, sed simul consulare imperium, ut supra ceteros Praetores emineret. Hac de re copiose disputat Graevius ad h. l.

2. *Operibus*, i. e. rebus bellicis. Flor. praef. init. *tantum operum pace belloque gessit.* ubi v. Duker.

Sellam. Lipsius Elect. I. 19. gestationem intelligit, rectius Casaubon. ad h. l. curulem.

Cunctari, deliberandi vim habet, sed cum nondum decreveris. Sallust. Catil. 52. *vos cunctamini etiam nunc?* Tacit. Ann. IV. 42. *cunctantem Tiberium perpulit.* ubi v. Ernest. Aug. 8. *diu cuncta-*

ctatus, an proximas legiones imploraret. v. Gronov. Obs. I. 18.

Obliquis orationibus, i. e. obscuris et figuratis. Tacit. Ann. V. 2. *consulem oblique perstringens.* XIV. 11. *temporum Claudianorum obliqua insectatione.* v. Duker. ad Flor. IV. 2. p. 660.

3. *Paridis amore deperditam*, i. e. quae Paridis amore deperibat, ut loquitur Vesp. 22. Propert. II. 23. 19. *ut Semela est combustus; ut est deperditus Io.*

4. *Sollemnes*, i. e. solitos.

Feminas quoque in arenam descendisse, docet Lips. ad Tacit. Ann. XV. 32.

Spatium est curriculum, quod, qui vincere vellet, septies decurrere, et ultimo cursu primus ad metas venire debebat. v. Varron. ap. Gell. III. 10.

Plurium coronatorum. Scrib. *coronarum.* In vulgata lectione vix quicquam boni sensus.

Chorocitharistae, qui una psallunt et cantant: *psilocitharistae*, qui solis fidibus canunt sine voce. v. Polluc. IV. 66.

Virgines, scil. certabant. v. Duker. ad h. l.

Toga Graecanica, i. e. cyclade, sive toga muliebri, rotunda et talari. Calig. 52. *aliquando sericatus et cycladatus.* v. Oudendorp. et alios ad h. l.

Redderent ludos. Sic habent quidam libri, eamque lectionem defendit Graev. ad Lactant. de M. P. 31. Perperam. Nam omnino scribendum: *ederent ludos*, perpetua hac in re formula, ut placet Dukero ad h. l.

5. *Quod nunc Nervae vocatur.* Quia Nerva illud absolvit. Antea *transitorium* vocabatur. v. Lips. de Magn. Rom. III. 7.

Odeum, i. e. locus, ubi certabant musici et poëtae,

tae, Graece ᾠδεῖον. v. Hesych. h. v. et qui ibi laudantur.

6. *Belli summam*, i. e. summum imperium in bello. Nepos Pelop. 5. *cuius belli cum ei summa esset data*. v. Drakenb. ad Liv. XLII. 62.

Laureis. Laurea aliquando sine iusto triumpho in Iovis gremio deponebatur. Ner. 13. *imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata*. v. Lips. ad Tacit. Ann. II. 26. Exc. D.

7. *Castrari mares vetuit*. v. L. 4. §. 2. D. ad L. Corn. de Sicar. et Brisson. Select. Antiqu. II. 21.

Ad summam etc. Elegans est Cl. Dukeri emendatio: *Ac summa quondam ubertate vini, frumenti vero inopia*.

Novellaret, i. e. novas vites institueret. Sic *novelletum* dicitur locus, arboribus novellis, vel vitibus consitus, in L. 6. D. de impens. in res dotal. factis. v. Broukhus. ad Tibull. II. 2. 22.

Geminari legionum castra, i. e. duas legiones in iisdem castris hibernis esse. Nam experientia docuerat, milites fiducia multitudinis suae facilius res novas moliri. v. Casaub. ad h. l.

8. *Perfusoriae assertiones* quae sint, non convenit inter viros eruditos. Videntur intelligi assertiones in caussa liberali contra veros servorum dominos, per calumniam litis fucatae. v. Ernest. Exc. ad h. l. et reliquos Intt.

Numarios iudices, i. e. numis corruptos. Cic. pro Cluent. 27. *varia iudicum genera: numarii pauci*. Verr. III. 57. *ecquod iudicium tam numarium fore putasti?*

9. *Praestaret*, i. e. solveret, daret. Verbum proprium de legatis et fideicommissis. Exempla habet Brisson. de V. S.

Pen-

Pendere dicuntur, quorum lites sunt pendentes, qui accusati quidem sunt, sed nondum peracti rei. Plin. IV. Ep. 9. *ad Senatum remissus, diu pependit.* v. Gronov. ad Plaut. Captiv. IV. 3. 8.

Qui caussam non teneret, i. e. qui non vinceret in iudicio. Horat. I. Ep. 16. 43. *quo caussae teste tenentur.* Liv. XXIX. 3. *magno certamine cum praetore habito, tenuerunt caussam.* ubi v. Drakenb.

Subseciva, scil. *arva*, sunt partes agri, quae supersunt ex divisione. v. Goesium Antiq. Agrar. cap. 12.

Per veteranos, i. e. inter veteranos. Caes. 19.

Carptim, i. e. variis locis et partibus. Liv. XLIV. 41. *si carptim aggrediendo circumagere hastam cogas.*

Fiscales calumnias, i. e. delationes, quibus fiscus augeretur. v. Gronov. de P. V. IV. 3. p. 276.

10. *Tenore*, i. e. continuatione non interrupta. Plin. Paneg. 84. *idem utrique propositum, idem tenor vitae.* v. Drakenb. ad Liv. IV. 37.

Cruci affixis. MSS. habent *cruci fixis* ut cap. 11. Recte. Sed separandae voces, non coniungendae, ut fit a scriptoribus Christianis. v. Oudendorp. ad h. l.

Titulo, i. e. tabella, quae caussam poenae indicaret. v. Calig. 32. et Duker. ad h. l.

Impie. Crimen maiestatis hoc tempore *impietas* dicebatur. Plin. Paneg. 33. *nemini impietas, ut solebat, obiecta.* v. Torrent. ad h. l. et Reimar. ad Dion. Cass. LXVIII. p. 1118.

Sanctissimos viros, i. e. integros vitae, scelerisque puros, ut Horatius loquitur. Cic. de Orat. I. 53. *cum illo nemo neque integrior esset, neque sanctior.* v. Duker. ad Flor. II. 6. p. 316.

11. *Actor summarum*, scil. *rationum*, est, qui curat rationes numarias domini. Sic *dispensator summarum* occurrit apud Gruter. p. 1072. 3. *Actor summarum* interdum simpliciter *summarum* dicitur, ut *primarum* et *secundarum*, actores partium primarum et secundarum. v. Murator. Inscr. p. 1488. 4. et praefationem nostram ad Rutil. Lup. p. 27.

Exitus, i. e. finis sententiae.

Parcetis oculis vestris, i. e. non cogemini videre atrox supplicium. Ovid. Met. V. 248. *Parcite luminibus, Perseus ait.* Propert. IV. 9. 53. *Parce oculis, hospes; lucoque age cede verendo.*

12. *In explicandis oneribus*, i. e. in invenienda pecunia, quae eroganda esset in sumtus publicos. *Explicare* et *expedire* propria verba sunt in re pecuniaria. Callistratus L. 31. D. de re iudicat. *quia non possunt explicare pecuniam.*

Iudaicus fiscus, non institutus est a Tito, ut multis placet, sed initium habuit cum nota illa descriptione Quirini, ut Dukerus et Oudendorp. ad h. l. ostendunt.

Vel improfessi. Intelligit proselytos, qui non essent professi, se Iudaicae sectae addictos esse. v. Duker. ad h. l.

Immodicus, i. e. arrogans, superbus. Valer. Flacc. V. 598. *dictis stupet hospes acerbis Immodicum, linguaque gravem.* ubi v. Burm. Sic *modice* pro modeste ap. Sallust. Iug. 111. *pro se breviter et modice disseruit.* ubi v. Cort.

Albatos ministros, i. e. albis tunicis indutos. Privatorum hominum servi gerebant tunicas vel poenulas coloris pulli: imperatorii ministri albas, qui color proprius libertatis habebatur. v. Lips. Elect. I. 25. et Casaub. ad Capitolin. M. Anton. 17.

13. *Pulvinar.* Quasi et ipse Deus esset. Nam Diis pulvinaria sternebantur.

De oratoribus, i. e. ex oratorum numero. Liv. V. 32. *Caedicius de plebe.* v. Intt. ad h. l.

Formalem epistolam, i. e. sollemnibus formulis conceptam. v. Brisson. de V. S.

14. *Sortis*, i. e. fati.

Excogitatum, i. e. novum, non usitatum, ut Calig. 22. *excogitatissimae hostiae.*

Receptis in manu catenis, pro, in manum: de qua constructione v. Oudendorp. ad h. l.

In adipiscenda morte, i. e. in consciscenda. Frontin. IV. 4. 15. *admissis in hostem equis, adepti mortem*, v. Oudendorp. ad h. l. *mortem invenire* dicit Virgil. Aen. II. 645.

15. *Contemtissimae inertiae*, i. e. tam inertem, ut nihil ab eo timendum sit. v. Ernest. ad h. l.

Fulgura facta. Frustra viri docti malint legere *iacta.* Seneca N. Qu. II. 39. *consiliarium fulmen est, quod cogitanti factum est.* v. Intt. ad h. l.

Temeritatem artis, i. e. vanitatem.

Sepeliri, i. e. cremari. Hoc verbum ad combustionem, et quodcunque genus amovendi cadaveris traductum est. Liv. VIII. 24. *sepultumque Consentiae, quod membrorum reliquum fuit.* ubi v. Drakenb. Hinc *sepulcrum* pro busto sive rogo ap. Terent. Andr. I. 1. 101. Similiter *humare* pro cremare dicitur a Cicer. de Legg. II. 22. et *funerare* inf. 17.

Deiecto funere. Cl. Ernestus emendat: *deserto funere.* Nihil verius. Seneca Ep. 70. *Omnes necessarii deseruerant iam non reum, sed funus.* v. Oudendorp. ad h. l.

16. *Ad mediam noctem*, i. e. circa, paullo ante med.

med. n. v. Graev. ad h. l. et notata ad Caes. 51. inf. 21. *ad horam somni.*

Hactenus, i. e. non ultra, non amplius. Ner. 51. *domum hactenus comprobavit.* v. Gronov. Obs. in Script. Eccl. 22.

Ad corporis curam, i. e. ad balneum et cibum.

Convertit, i. e. avertit a proposito.

Afferret, i. e. nunciaret. Liv. VIII. 17. *exploratores missi attulerunt.* ubi v. Drakenb.

17. *Interceptarum pecuniarum*, i. e. conversarum in usus suos. L. 20. D. commod. *si id argentum mali homines intercepissent.* v. Brisson. de V. S. Pro *intercipere* Vitell. 7. est *intervertere.*

Dolonem interiecit, i. e. telum interposuit. v. Ernest. Exc. et Duker. ad h. l.

Professus conspirationis indicium, i. e. declarans, se conspiratos indicaturum. Plin. III. Ep. 16. *cum uxor Scriboniani profiteretur indicium.* v. Brisson. de V. S. v. Indicium. et Graev. ad Cic. ad Att. II. 24.

Cornicularius, est miles, virtutis caussa donatus *corniculo*, quod erat ornamentum galeae, cornuum speciem referens. v. Liv. X. 44. et ibi Intt. et Oudendorp. ad h. l.

Decurio cubiculariorum. Vox *decurio* indicat, cubiculariorum plura corpora fuisse. *Decurio cubiculariorum* etiam memoratur in Donian. Inscr. Cl. VII. 2.

Curae Larium. Legendum est, ut Ernestus acute vidit: *arae Larium.* Sic Galb. 18. *arae Fortunae adstat senex.*

Deducto, i. e. detracto. Petron. 117. *implicitum brachiis deduxit in terram.* v. Gronov. Obs. I. 17.

Funeravit, i. e. cremavit.

Commiscuit. Cinerum mixtura magnum erat amoris indicium. Albinovan. ad Liv. 163. *Miscebor cinerique cinis, atque ossibus ossa.* Propert. II. 7. 85. *Et sua cum miserae commiscuit ossa puellae.* ubi v. Broukhus.

18. *Decens*, aliquando de toto corpore dicitur, aliquando de vultu tantum. Ovid. Trist. III. 7. 35. *Ista decens facies longis vitiabitur annis.* Petron. 128. *numquid indecens sum? numquid incomta?* ubi v. Intt.

Remacruerant. Legendum, *emacruerant*, i. e. macra facta erant. v. Interp. ad h. l.

Commendari, i. e. amabilem, carum, iucundum reddi. Cic. Bruto 59. *nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia.* Sic etiam *conciliare* dicitur. v. Scioppium ad Petron. 109.

Sentiebat, i. e. ita sentiebat, ut delectaretur. Phaedr. Epil. Lib. II. 15. *Et arte fictas animus sentit fabulas.* v. Duker. ad h. l.

Ut in contumeliam suam traheret. *Accipere in contumeliam* dixit Phaedr. III. 8. 8. ubi v. Intt.

Senescentem, i. e. defluentem de capite. *Senescere* dicuntur omnia, quae vigorem suum amittunt. Sallust. Iug. 2. *omnia orta occidunt, et aucta senescunt.* Lactant. III. 6. *ad summum iam incrementum pervenerat, ut iam necessario consenesceret ac periret.*

Decus, proprie dicitur de capillis. Petron. 109. *Quod solum formae decus est, cecidere capilli.* ubi v. Intt.

19 *Armorum*, i. e. gladii et scuti. v. notata ad Caes. 57.

Qua-

Quasi cornua effingeret. In melioribus libris legitur *efficeret*, quod praefert Duker.

20. *Reparare.* Omnino scribendum *reparari;* quamqam ne sic quidem aureae aetatis scriptores loquuntur. Nam apud eos *curare* semper cum gerundio construitur, *faciendum curo*, *reparandum curo*, etc. Qua de re exquisita est Dukeri adnotatio ad h. l.

Cognoscendis, i. e. legendis. Nepos Lysandr. ult.

21. *Potiunculam sumeret. Sumere cibum*, vel *potum*, propria est locutio. Ovid. Ep. XI. 28. *Sumebant minimos ora coacta cibos.* Plin. H. N. XXI. 3. *non nisi praegustatos cibos sumere.* v. Burm. ad Lucan. VII. 334.

22. *Conceptum*, i. e. foetum. Nec participium est, sed substantivum a nominativo *conceptus*. Columell. VII. 13. *ut integrum conceptum extrahat.* v. Intt. ad h. l.

23. *Eradendos ubique titulos.* Quicunque maiestatis, perduellionis, vel similis criminis damnati essent, non solum ipsi affligebantur, sed etiam nomen et memoria delebatur. v. Lips. ad Tacit. Ann. VI. 2. Exc. A. Supersunt multae inscriptiones, tam quam ap. Gruter. p. XII. n. 11. in quibus Domitiani nomen erasum est. v. Intt. ad h. l.

Gibba, dicitur pro *gibbus*.

Beatiorem, i. e. feliciorem. Cic. de N. D. III. 33. *tyrannus fuit opulentae et beatissimae civitatis.* Liv. XXIV. 28. *nullius civitatis statum fortunatiorem beatioremve fore.* ubi v. Gronov.

INDEX.

Al-

D.

E.

F.

Fer-

G.

H.

I.

L.

M.

Ma-

N.

O.

P.

S.

Sup-

T.

U.

D. RUHNKENII

SCHOLIA IN

SUETONIUM.

D. RUHNKENII

SCHOLIA IN

SUETONIUM.